

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

4° Physic. gen. ~~116~~ 52.

R

Digitized by Google

Coll. Soc.is Jesu Monachij 1662

PHYSICA P. IO. BAPTISTAE GIATTINI

PANORMITANI
SOCIETATIS IESV
In Collegio Romano, ter olim, Philosophiæ
Nunc Sacræ Theologiæ Professoris.



ROMAE
Typis HH. Corbelletti. M.DCL.III.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Staatliche
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

EMINENTISS.mo AC REVERENDISS.mo

PRINCIPI FRANCISCO BARBERINO S.R.E. CARD. VICECANC.

IO. BAPTISTA GIATTINVS. FEL.

NATVRALEM Aristotelis philosophiam, Scholasticis de more quæstionibus explicatam, tibi offero (*Princeps Eminentissime*) duplici præsertim ratione compulsus, & quòd neminem reperiam, cuius patrocinio tutiùs eam committam, & quòd licèt plurima suppeteret copia patrocinantium, tibi tamen vni præ cæteris offerre debe-

rem. Atque vt de priore priùs ratione loquar; quotcunque mihi inter Principes Viros occurrat, qui græcæ, latinæque litteraturæ peritus, qui philosophicis disciplinis instructus, qui sapientiæ studijs delectatus in primis, vel ingentes curas Christianæ Reipublicæ administrandæ, philosophantis curam, ac diligentiam, in indaganda naturæ veritate tueri possit, & luci publicæ commendare, non tàm nominis Maiestate, quàm singularis auctoritate doctrinæ? Hùc accedit, quod non scientia solùm veram calles philosophiam, sed eamdem factis, ac tecum ipso luculentissimè comprobas. Illa quippè morum integritas incomparabilis, illa magnitudo animi, recti semper, ac decori tenacissima, illa consiliorum sublimitas, & innocentia ab omni sordium humilitate semper aliena, illa tui, tuarumque rerum despicientia semper indefessa, vbi τὰ πράγματα, ac bonũ publicũ agatur, æquanimitas illa semper sui plena, suiq; satis contenta virtus, nõ in prospera magis, quàm in aduersa fortuna semper admirabilis, semper tua, philosophi noræ sunt eò rariores in Principe, quò potentiæ licentia dominatur impunius. In regia integerrimè philosophari perdifficile sanè est, sed exercitam in regia philosophiam inter impetus, ac vortices ærumnarum, nouis exornare luminibus Constantiæ prorsus imperterritæ; hoc enim verò tuum est (FRANCISCE BARBERINE) quod vel ipsa inuidentia, quæ lucem, tamquàm vmbram semper odit, in te cogitur admirari. Iam verò vt alteram rationem paucis perstrin-

ſtringam, priuato ſimul, ac publico nomine compellor, vt naturalem philoſophiam, quam ad publicam vtilitatem exponere compulſus ſum, tuo potiſſimùm aſpicer patrocinio. Quanta enim benignitatis ſignificatione me ignotum planè, atque exterum hominem vrbaniſſimè prouocaſti! qua commendationis gratia, mea ſtudia, nihil tale promerentia, feſtiuiſsimè reſperſiſti! quàm ſingulari voluntatis propenſione me, meaque omnia peramanter excepiſti, & humaniſsimè complexus es! vt perinde ingrati turpiter animi tabem contraherem, à qua maximè ſemper abhorrui, niſi quo tandem poſſem obſequio benignitatem tanti Principis proſequerer. Quod ſi publica ſpectem. Quid vno te iurem litterariam beneuolentius. Nullum profectò Sapientiæ genus eſt, quod è Barberina beneficentia opem, gratiam, patrocinium, vitalem quemdam afflatum publicè, priuatimque non traxerit, vt iam mirum amplius non ſit, ſi diſciplinæ ferè omnes ad ampliorem quamdam dignitatem, & excellentiam hoc ſæculo videantur euectæ, cùm tantos illis ſpiritus, animoſque ſuffecerit charitas, & exiſtimatio Barberinorvm: quin vt cunctis oſtenderes nihil tibi gratius eſſe Doctiorum laboribus, magnificentiſsimam illis Bibiliothecam, tuas nempè delicias, in Barberinis ædibus extruxiſti, qua tuo veluti ſinu nationum omnium doctrinas foueres, & Romanorum Principum more, litterarum ſtudioſos alliceres ad publicum quaſi emporium doctrinarum. Quarè ſi ad

emo-

emolumentum publicum, opus molior, non possum ad ipsius præsidium, publicæ sapientiæ patronum, non inuocare. Excipe igitur, qua soles humanitate hoc quidquid est obsequij tibi addictissimi, & tot, tantisque titulis omninò debiti, & si quid lucis hinc affulserit sapientibus, agnoscas illam non alio emissam Cœlo, quàm BARBERINO.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

DVAS res (benevole Lector) te admonitum velim, prima est, nè admireris, quod aliqua Theologica physicis immiscuerim, ad id enim impulit me docentium utilitas, ac planè necessitas, vt nimirùm præno scant, quæ deinde subsequantur in Theologia ex aliquibus philosophicis assertionibus, ne incautius in difficultates, multò diligentius præcauendas, incurrant: altera est vt æqui bonique consulas, si de multis quæstionibus ad Physicam spectantibus hìc non disputem, eas enim ad tertium tomum reseruaui, in quo de libris de Generatione, & Corruptione, de Anima, & Metaphys. fauente Deo, tractabo, prout in meis cursibus Philosophiæ facere consueui. Cæterùm si quid offenderim, tua benevolentia corrige.

Digitized by Google

GOSVVINVS NICKEL

SOCIETATIS IESV

Præpositus Generalis:

CVm Physicam *P. Ioannis Baptistæ Giattini*, nostrę Societatis Sacerdotis, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, ita videbitur, in cuius rei, testimonium has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas damus.
Romæ 28. Decembris. 1652.

Gosvvinus Nickel,

Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo P. Magist: Sacri Palatij Apostolici.

A. Episcopus Verulan. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus, Socius Reuerendiss. P. F. Vincentij Candidi Sac. Palat. Apost. Mag. Ord. Præd.

Digitized by Google

IN VIII. LIBROS ARISTOTELIS DE PHYSICO AVDITV QVAESTIONES.

VAriæ sunt Auctorum sententiæ, cur hi Libri Physicorum hoc titulo inscribantur, nempe de Physico auditu. Eas eruditè explicat P. Pererius hìc lib. 2. cap. 10. Communior sententia est, fuisse ita appellatos, vt distinguerentur à libris Exotericis eiusdem Aristotelis; duplici enim scribendi genere vsus est Aristoteles, primò faciliori, quod ab omnibus facilè percipi possit, & libros ita conscriptos appellauerunt exotericos, hoc est, qui extra provoce percipi communiter non possit, & huiusmodi libri dicti sunt Acroamatici, hoc est auscultatione indigentes, & explicatione Magistri; tales in primis sunt octo libri Physicorum, quos propterea de Physico auditu nominauit. Appellantur etiam libri de motu, & de principijs, quia de illis præcipuè agitur. Nos Deo fauente in eos quæstiones instituemus iuxta materiæ dignitatem, atque necessitatem.

A IN LI-

IN LIBRVM PRIMVM ARISTOTELIS DE PHYSICO AVDITV.

QVÆSTIO I.

De Principijs rerum naturalium in communi.

AGIT in primo libro Aristoteles de Principijs rerum naturalium, nempè de ijs rebus, quibus ea, quæ sunt primò componuntur, & constant, nec enim possumus naturam rei bonè percipere, nisi prius cognoscantur partes, & elementa, quibus constat. Variæ fuerunt ante Aristotelem atque inter se diuersæ philosophorum sententiæ de principijs rerum naturalium, quæ si accipiantur in eo sensu, quem præ se tulerunt, absurdæ sunt valdè. Sed hi Philosophi fortasse poeticis verborum coloribus suas sententias obtegebant. Ne autem ad quatuor decim classes videntur posse reduci. Primò Parmenides, cum suo Magistro Genophane, & Melissus vnum ponebant principium, & illud immobile. Dicebant enim omnia quæ sunt, eiusdem ferè esse naturæ. Hoc Melissus infinitum dicebat, Parmenides finitum; posuerunt præterea duo alia principia, sed solùm secundum apparentiam sensuum, non secundum rei veritatem, ignem, videlicet, & terram. Reliqui Philosophi mobilia principia posuere, & secundò quidem vnum, & infinitum esse dixerunt Diogenes, & Anaxemenes, nempè aerem rerum omnium antiquissimum, atq; principium; eo quòd aer facilè transformetur, & impellatur in omnem partem: quare volebant ex aere maxi-

Digitized by Google

maximè attenuato fieri ignem, quod ipsa experientia constare asseruit Papparella primo capite de calido; dixit enim, quod ad aëris disgregationem, & rarefactionem sequitur caliditas, & postea ignis; ex eodem autem condensato dicebant fieri aquam: ex magis deindè condensato fieri terram, & ex his reliqua corpora.

Tertiò, Tales Milesius aquam infinitam, vt aliqui volunt, posuit pro principio rerum omnium, quia aqua est humida, & facilè conformatur in quamlibet figuram; præterea humiditas est causa vitæ; vndè cibus est humidus, & semina humiditate progignunt; contra verò, quæ mortua sunt exiccantur. Quartò, Anaximander vnum, posuit principium etiam infinitum, nempè medium quiddam inter aquam, & aërem, vel vt alij dicunt, inter aërem, & ignem, ex quo rarefacto fieret ignis, & condensato aqua, & deinde res cetera. hoc tamen principium Anaximandri innuit hic Aristoteles textu 32. positum fuisse mixtum ex omnibus rebus, vt dicemus de sententia Anaxagoræ. Atque hi quidem vnum principium infinitum mobile posuerunt. Vnum autem principium, sed finitum statuerunt Quintò, Heraclitus, & Hipassus, nempè ignem, ex igne a quippè exhalatione mundum generari sensit idem Heraclitus, & omnia in ignem iterum esse conuertenda, vt Arist. libro primo de Anima testatur. At verò plura principia alij voluerunt, ex quibus partim esse finita, partim infinita docuerunt. Sextò enim Platonici posuerunt duo solùm principia, vt refert Theophrastus citatus hic à Simplicio, nempè magnum, & paruum, & vt aliqui explicant materiam, & causam efficientem, quod non discrepat à septima sententia Stoicorum, duo etiam principia ponentium, nempè Deũ, et materiam. Quæ quo Alexander vult tria fuisse principia à Platone assignata, materiam, causam efficientem, et exemplar, seu Ideam.

Nono, Empedocles Agrigentinus, quatuor posuit prima principia, hoc est quatuor elementa, ignem, aquam, aërem, terram, è quibus omnia per concretionem, et secretionem fierent. Posuit præterea alia duo principia, Amicitiam, et inimicitiam, à quibus, vel mouerentur in vnũ, vt coalescerent, vel secernerentur, ab inuicem. Decimo, Pythagoræi decem fecere rerum principia, vndè volebant omnia constare numero denario, sed vt arbitror potius innuebant esse decem rerum prædicamenta, vt diximus in logicis.

Alij plura posuerunt principia numero infinita, et quidem esse infinita corpuscula eiusdem naturæ et essentiæ, quæ atomos, hoc est indiuisibilia appellabant, docuerunt. Vndecimo, Democritus, Leucippus, et Metrodorus, et solùm esse varietatem in figuris ipsorum,

sorum, vt aliqua essent rotunda, alia quadrangula etc. ex quorum aggregatione, vel disgregatione omnia fierent, quare omninò sustulerunt è medio veram generationem substantialem de nouo. Ponebant præterea vacuum tanquam aliud principium, omnia enim dicebant constare ex his corpusculis, et vacuo. At verò Anaxagoras, Duodecimo, posuit infinita quidem corpuscula indiuisibilia, sed diuersæ naturę, et essentiæ, ex quorum aggregatione fierent corpora, et vbi sunt plura corpuscula eiusdem naturæ, v. g. auri, illud est aurum, vbi plura ignis, est ignis, et sic de reliquis. Hi autem ponebant mentem quandam congregantem, vel disgregãtem ea corpuscula. Alij, decimotertio, ponebant fatum, hoc est quandam necessitatem ineuitabilem, à qua ea corpuscula mouerentur. Alij denique ponebant casum fortuitum, et ita omnia casu fieri dicebant, quos impugnat Aristoteles hìc libro secundo.

ARTICVLVS I.

De primo cognito.

PRæmittitur hæc quæstio ex occasione Prooẽmij Aristotelis ad hos libros, vbi dicit esse à nobis procedendum à notioribus nobis ad notiora natura, et vniuersaliora esse notiora singularibus, quare duæ difficultates hìc proponuntur: prima an sensus, ita cognoscant obiecta, vt perfectam præcisionem faciant. Secunda, quod sit nobis notius per cognitionem ortam immediatè à sensibus.

Pro prima difficultate aduertendum est, hìc non instituì quęstionem, an sensus faciant pręcisionem ex parte obiecti, cum satis abundè probatum sit in logicis pręcisionem obiectiuam prorsus implicare, et argumenta, quæ militant in intellectu, æquè militare in sensibus; solùm ergo quærimus an sensus per suos actus, ita attingant obiecta, vt per illos faciant præcisionem formalem, qua reddantur obiecta termini prædicabiles de pluribus, sicuti faciunt aliqui actus confusi intellectus. Cœterùm nemo negat etiam sensus facere aliquam præcisionem imperfectissimam, vt patet experientia.

Dico primò. Sensus per suos actus non facit præcisionem formalem, qua obiectum reddatur terminus prædicabilis de pluribus prædicatione vniuersali. Conclusio est communis, et patet experientia; nam viso, v. g. equo, quantumuis confusè, et à longinquo,

non

Digitized by Google

nõ potest prædicari de pluribus, neque enim potest dici Bucephalus est id, quod video, equus magni Turcæ est id, quod video, possum tamen equum per intellectum abstractum prædicare de his omnibus, ergo per visionem (idem dico de cæteris sensibus) obiectum non redditur terminus prædicabilis de pluribus prædicatione vniuersali. Antecedens certum est. Consequentia patet, nam nomine obiecti præcisi intelligimus id, quod potest prædicari prædicatione vniuersali de pluribus, sicuti prædicatur animal, & alij termini vniuersales. Ratio à priori huius rei est ipsamet natura actus intuitiui, quales sunt actus sensuum, actus enim intuitiuus, licet sit confusus, tamen semper est ita determinatus, vt possit per illum intellectus dicere de obiecto pronomen, hoc, quod significat indiuiduationem sub conceptu determinato, vt infra melius explicabitur.

Objcies. Per visionem, vel discernitur differentia indiuidualis obiecti, vel non, si fiat secundum; ergò fit abstractio, quia non discernitur per illum actum differentia, si dicas primum, repugnat experientiæ, nam viso prius vno ouo, si deindè ostendatur alterum eiusdem figuræ, & coloris, non cognoscis, an differat à primo; ergò non discernis differentiam. Ad soluendum hoc argumentum, aliqui Thomistæ recurrunt ad circumstantias dicendo, quod sensus non abstrahit, quia percipit circumstantias temporis, & loci, videndo ouum in tali loco, & tempore. Hæc solutio non satisfacit, nam ponamus, quod Deus impediat, ne videatur, neque percipiatur locus vllus, vel tempus, certè tunc deberet oculus facere veram præcisionem, quia non cognoscit circumstantias. Præterea si intellectus concipiat hominem, prout existentem in tali loco, & tempore, certè talis conceptus constituit aliquid prædicabile de pluribus, nam potest prædicari de omnibus indiuiduis hominum existentibus in hoc loco, & tempore. Tertiò, redit difficultas de loco, et tempore; nam oculus ita percipit hunc locum, vt si Deus poneret alium locũ ibi simillimum primo, nempè aliam vbicationem numero solùm differentem, tamen oculus nullam discerneret differentiam inter primum, et secundum locum, ergo in ipso loco facit præcisionem.

Melius ergo. Respondetur distinguendo maiorem, quod nimirũ ita determinatè discernatur à sensu differentia indiuidualis obiecti, vt non possit ex vi illius sensationis indeterminatè prædicari de pluribus; possint tamen de illa, imò debeant prędicari plura, nõ autem possit prædicari vnum determinatè, v. g. de ouo viso debeat prędicari, quod vel sit ouum prius visum, vel sit aliud ouum, non potest autem determinatè prædicari, esse ouum prius visum. Ratio

est,

est, quia sensus, & cognitio intuitiua discernunt aliquo modo individuationem, & ad ipsam solùm terminantur; vndè fit, vt non reddant obiectum prædicabile de pluribus, sicuti reddit cognitio abstractiua, quæ non terminatur ad vnum solùm individuum, sed ad plura.

Sed instabis. Ideò obiectum redditur ab intellectu terminus vniuersalis, quia cognitio confusè tendit circa ipsum, Ita vt non discernat potius hoc individuũ, quàm aliud, sed hoc ipsum facit oculus per visionem; ergò reddit obiectum visum terminum vniuersalem. Respondeo distinguendo maiorem. Ideò intellectus reddit terminum vniuersalem, quia confusè tendit in obiectum, non magis explicando hanc, quam illam individuationem, per hoc solùm nego, quia tendit, & præterea eadè cognitio versatur circa plura obiecta concedo. Similiter distinguo minorem, & negatur consequentia; aduertendum est enim discrimen inter cognitionem, qua fit vniuersale, & cognitionem de solo particulari confusa. prima habet maiorem indeterminationem, quàm secunda; nam non tendit in vnum solum obiectum, sed in plura, ita tamen confusè, vt non discernat pluralitatem. Secundus modus cognoscendi, qui conuenit semper sensibus est, non cognoscere pluralitatem obiectorum, sed solùm cognoscere id, quod est sufficienter propositum; ità tamen, vt non reddatur certus per eam sensationem intellectus, an quod videt sit hoc vel illud. Imò, vt diximus in logicis, puto, nullam dari cognitionem naturalem intuitiuam de obiectis externis ita euidentem, vt determinet, & connotet essentialiter per suam entitatem obiectum individuum; quamuis enim clarè videam, & intuear hanc albedinem, si tamen Deus illam destrueret, & produceret aliam prorsus illi similem, non discernerem hanc secundam albedinem à prima; quare, me videre hanc albedinem, duo dicit, nempè hanc visionem talem, & existentiam huius albedinis, vndè prouenit consequenter, quod nostra cognitio, quantumuis intuitiua, sit semper indeterminata, quia æquè bene videret aliud obiectum simile, si illud existeret loco istius, quod totum non facit, vt cognitio, seu visio videat omnia obiecta similia, vt euenit in cognitione abstractiua.

Posito iam, quod sensus non præscindat, restat secunda quæstio, nempè quid prius cognoscatur cognitione originatà immediatè à sensationibus. Per vocem, prius, hic non intelligimus prioritatem temporis; Certum enim est, quod eodem tempore video equum, & omnes gradus, qui sunt in equo, sed, prius, hic idem valet, ac facilius, quid scilicet faciliùs cognoscatur cognitione à sensationibus imme-

immediatè orta. In hac quæstione certum esse debet negantibus præcisionem obiectiuam, eadè facilitate videri omnes gradus ex parte obiecti, si enim faciliùs viderem entitatem animalis, quàm entitatem equi, certè animal realiter distingueretur ab equo, quod ab hac sententia maximè abhorret. Solùm ergo restat quærere, an facilius habeatur cognitio orta à sensibus, ex vi cuius possim dicere, hoc est animal; quàm cognitio, ex vi cuius possim dicere, hoc est equus; hoc enim intelligimus, cum dicimus priùs cognosci gradum superiorem, quàm inferiorem.

Dico secundò. Cognitione distincta, & non impedita, æquè facilitèr cognosco omnes gradus. Probatur experientia, nam viso clarè Petro, non experior maiorem facilitatem ad dicendum, hîc est animal, quàm hic est Petrus; ergò non faciliùs cognosco in tali casu gradum animalis indiuiduatum, quàm Petrum. Verum est tamen, quod minus requireretur ad dicendum, est animal, quam, est homo, vel est Petrus; sed hoc non facit, quod in tali casu faciliùs cognoscã gradum superiorem, quàm inferiorem, sed solùm quod ex natura sua sit faciliùs cognoscibilis.

Dico tertiò. Faciliùs est cognoscibilis gradus superior singularibatus, quàm inferior. Hac conclusio est contra Scotum in primo dist. 3. q. 2. & Scotistas. Defenditur tamen à S. Thoma opusc. de ente & essentia cap. 7. & communiter ab omnibus, quorum plurimos citat P. Ruuius hic cap. 1. quæst. 3. Probatur primò ex Aristotele, qui hoc docet Physicorum initio, & probat exemplo infantium, qui prius omnes mares appellant Patres, & fœminas appellant mãmmas, deinde paulatim distinguunt; ergo faciliùs cognoscunt rationem communem, quam indiuiduationes, cum vnum ab alio non distinguant, & tamen distinguunt figuram maris, & figuram fœminæ. Secundò patet experientia, quia viso à longinquo equo possum dicere, est vnum animal, non autem est equus; ergò faciliùs cognoscitur ratio generica, quam specifica. Probatur consequentia, quia id faciliùs cognoscitur ad quod minùs requiritur, sed ad talem cognitionem minùs requiritur, vt patet ex ablata experientia, quia ad hoc sufficit pueruli capacitas; ergò faciliùs ea habetur. Terriò probatur à priori, quia, gradus superior nihil est aliud, nisi res ipsa singularis confusè cognita, gradus inferior est eadem res minùs cõfusè cognita, sed minùs requiritur ad eandem rem cognoscendam confusè, quàm ad cognoscendam minùs confusè; ergò minùs requiritur ad cognitionem gradus superioris, quàm inferioris.

Obijcies primò. Plura sunt accidentia, quæ cõcurrunt, vt cognoscatur

catur gradus inferior, quàm superior, sed vbi concurrunt plura accidentia, ibi facilior est cognitio; ergò faciliùs cognoscitur gradus inferior, quàm superior. Maior probatur, quia ad cognitionem, v. g. hominis, qui est species, concurrunt et accidentia generis, nempè animalis, et accidentia differentiæ, nempè rationalis, at verò ad cognitionem animalis solius concurrunt sola accidentia animalis.

Respondeo distinguendo maiorem, concurrunt plura accidentia eodem modo nego, diuerso modo concedo, et similitèr distincta minore, nego consequentiam. Dico igitur, quòd ad cognitionem generis, licèt concurrant pauciora accidentia, tamen sufficit, vt ea obscurè, et confusè cognoscantur, cognito enim confusè motu progressiuo, possum benè dicere, hoc est animal, at verò ad cognoscendum gradum inferiorem debent plura accidentia multò clariùs, et distinctiùs cognosci.

Obijcies secundò. Faciliùs cognoscitur etiam confusè totum, quàm pars, vt patet experientia, quia faciliùs cognoscimus totum montem confusè, quàm partem ipsius, et expressè docet Aristoteles hìc textu 4. sed species est totum, genus est pars; ergò faciliùs cognoscitur species, quàm genus.

Respondeo distinguendo maiorem, loquendo de toto Physico concedo maiorem, de toto metaphysico nego. Similiter distinguo minorem, species est totum metaphysicum respectu generis concedo minorem, est totum pstysicum nego. Totum physicum est illud, quod constat partibus distinctis, vel quæ possunt realitèr distingui, vt est mons. Totum metaphysicum est; quod constat partibus, quæ per cognitionem solùm possunt distingui, sic in Petro distinguitur Genus, & differentia, quæ realiter idem sunt. Auctoritas Aristotelis fauet nobis: nam ibi Aristoteles appellat totum physicum genus respectu speciei, quia genus complectitur omnia indiuidua speciei, et præterea plura alia, et ita faciliùs cognoscitur.

Obijcies tertio, datur indiuiduum, in quo aliquis gradus superior habet accidentia, quæ vix discerni possunt à sensu, vnde controuersum est, vtrum detur talis gradus superior in eo indiuiduo, v. g. multi sunt, qui negant pilos esse animatos, multi affirmant: in tali casu certum est, quod si vera est secunda sententia, talis gradus viuentis in pilo obscuriùs cognoscatur, quam vltima differentia pili, nempe, quòd sit talis figuræ, coloris, duritiei etc. quæ vltima ratio habet accidentia, quæ facilè cognosci possunt; ergò falsa est nostra doctrina.

Respondeo negando, quod hoc, quod facilè cognoscitur sit ratio inferior

inferior respectu viuentis, sed est ratio disparata, quæ per se tam latè patet, & fortasse etiam magis, quàm ratio viuentis; esse enim talis figuræ, coloris, & duritiei sunt accidentia, quæ æquè benè possunt reperiri in non viuente, vt patet in pilis cadaueris: vt autem diximus in logicis possunt duę rationes disparatę conflare differentiam vltimam, si simul indiuisibiliter accipiantur, quare semper fiat, quòd gradus inferior difficiliùs cognoscatur, quàm superior.

ARTICVLVS II.

Explicatur definitio principij in communi.

PRincipium latè sumptum, prout complectitur omnia principia, definitur ab Aristotele 5. Metaphysicæ cap. 1. Principium est id primum vndè est, aut fit quidpiam, aut cognoscitur. Particula *id* non debet accipi solùm pro ente reali positiuo, sed pro quocunque ente etiam abusiuo, vt enim dicemus à negatione ignis fit ignis, & ita negatio potest esse principium. Dicitur primum, quia principium in ea ratione, in qua est principium, non debet ab alio principiari, sic prima dies huius mensis dicitur principium mensis, quia in hac ratione non habet ante se aliam diem huius mensis. Voluntas nauigandi in mercatore non est primum principium, cur nauim accommodet, sed primum principium est finis, nempè lucrū consequendum, quod est primum in tali principiatione mercaturę: particula *vndè* significat aliquam connexionem inter principium, & rem principiatam, non enim ex eo quod aliquid præcedat aliud est ipsius principium, si enim heri natus est Petrus, non idcirco est principium Pauli, qui hodiè nascitur, quia nulla est connexio. Nomine autem connexionis intelligenda non est vera dependentia, quę requiritur in causis, sed sufficit quęcunque connexio consequtionis, quare Aristoteles loco citato assignat pro principio primam partem viæ, vndè incipit motus localis, & id vndè incipit aliquis addiscere; sic grammatica est principium doctrinarum, et carina est principium nauis.

Quia verò quęcunque res potest accipi, vel vt est de facto, vel vt est in fieri, vel vt est in cognosci, ponuntur tria illa verba in definitione, est, fit, aut, cognoscitur. E.g. Marmor est id, ex quo Statua est de facto, et anima, et corpus sunt principia intrinseca hominis non solùm in fieri, sed etiam in facto esse. Quia verò ignis dum fit denouo, fit ex non igne, priuatio formę ignis est principium ignis in

fieri. Et quia assentimur aliquibus propositionibus deductis à primis principijs per se notis, illę propositiones per se notę sunt principia in cognoscendo, et dicuntur principia complexa.

Obseruandum est primò principia incomplexa in scientijs distingui posse in duas classes. Sunt primò aliqua principia doctrinę, seu principia in cognoscendo. Secundò sunt principia naturę, seu in essendo. Prima principia in cognoscendo in qualibet scientia sunt illa, quæ adhibentur, tanquàm medij termini certi, et per se noti in ea facultate ad probandas propositiones, et etiam prima principia essendi eiusdem facultatis, atque hęc non possunt probari à priori ab eadem facultate, talis est in physica motus, penetratio, et corruptio sub rudi conceptu accepta, quę patent sensibus, vndè Aristoteles hic tex. 8. dixit, non esse physici negotij, sed pertinere ad Philosophum, hoc est Metaphysicum, conuincere illum, qui ponat principiũ immobile, quia si negaueris motum, non habet Physicus principiũ doctrinę ad probandum aliquid, et contrà negantes prima principia non est disputandum; sic etiam, qui negauerit aliquod principium in Mathematica, v. g. posse diuidi lineam, non haberet ampliùs Mathematicus medios terminos, quibus faceret suas demonstrationes: hinc optimè dixit Aristoteles, non pertinere ad Geometriam soluere fallaciam Antiphonis, qui negabat definitionem circuli, ponendo partem circumferentię ipsius posse æquari cum linea recta, quę sanè est primum principium in Geometria.

Principia naturæ, seu essendi sunt illa quę constituunt obiectum scientiarum, saltem secundùm partem magis principalem, et sunt origo, vndè oriuntur proprietates, hęc autem principia, vel sunt extrinseca, vt sunt causa efficiens, et finalis, vel sunt intrinseca, nempè partes componentes ipsum obiectum, et appellantur Elementa, hęc principia possunt probari, et de facto probantur in Physica per principia doctrinę; nam ex transmutatione, quam experimur in rebus materialibus, probantur dari tria principia, ex quorum cognitione dependet cognitio corporis, et compositi naturalis. Verum est tamen, quod de ipso motu possunt etiam fieri demonstrationes, quibus multò exactiùs eius essentia cognoscatur, solùm ergo est principium doctrinę ruditer acceptus.

Obseruandum secundò, principia Incomplexa adhùc esse in duplici classe; nam alia sunt, quæ habent solùm aliquem ordinem, et connexionem quomodocunque cum suo principiato, vel ratione loci, et ità dicitur prima Columna principium columnarum, vel ratione temporis, et sic dicitur Ianuarius principium anni, vel per aliã con-

consecutionem. Alia sunt principia ratione intrinsecæ connexionis, quæ in tres species diuiduntur, primò ex eo, quod vnum necessariò sequatur ex alio, ita priuatio est principium formæ, quia vt fiat ignis de nouo, necessariò requiritur priuatio ignis antecedens. Secundò, ex eo quod vnum accipiat esse ab alio, sed sine vlla dependentia, & imperfectione, & sic Pater Æternus est principium Filij. Tertiò, quod aliquid accipit esse ab alio per veram causalitatem, & sic omnis causa dicitur principium effectus.

Diuiduntur denique principia in principia intrinseca, & extrinseca. Extrinseca sunt ea, vnde res principiata procedit, & non continet tanquam partes suas ea principia: ità Sol est principium caloris in Terra, & omnis causa efficiens est principium intrinsecum effectus.

Principia intrinseca sunt ea, quæ componunt rem principiatam, & dicuntur partes componentes, seu elementa; sic figura quadrata cõstat ex quatuor lineis, tanquam ex elementis, & principijs intrinsecis; sic etiam quatuor Elementa dicuntur principia intrinseca mixtorum, quia corpora mixta constant quatuor elementis.

Ex dictis infero primò omnem causam esse principium effectus, quia est id vnde effectus est, fit, aut cognoscitur; non autem omne principium est vera causa, quia aliquod principium non habet verum, & realem influxum in principiatum; quarè optimè S. Thomas prima par. quæst. 33. art. 1. dixit. Principium est id, à quo aliquid procedit quocunque modo; addens enim quocunque modo, ampliauit propriam significationem illius verbi *procedit*, quod propriè significat originem, & emanationem vnius ab alio.

Infero secundò, correlatiuum correspondens principio esse principiatum; quidquid enim à principio procedit dici potest principiatum, hoc tamen non est in vsu in diuinis, quamuis enim Filius procedat à Patre, tanquam à vero principio, tamen non dicitur principiatus, vt euitetur occasio significandi aliquam subiectionem, aut minoritatem Filij respectu Patris, quare potius dicitur qui à principio procedit. Hanc autem processionem S. Thomas appellat ordinem originis, Scotus prioritatem originis; cæterùm non datur prioritas veræ causalitatis inter Deum Patrem, & Filium, vt clarius suo loco dicemus.

Denique colligitur quod illæ particulæ, aut, quibus dicitur in definitione est, aut fit, aut cognoscitur, non debent accipi in sensu exclusiuo, sed solùm in sensu præcisiuo: sensus exclusiuus est, quando ità affirmatur vnum membrum, vt aliud negetur, v. g. si dicam volo

vel solùm ieiunare, vel dare eleemosynam, tunc talis disiunctio facit sensum exclusiuum, ita vt vtrumque verificari non possit. Seusus præcisiuus est, quandò ita includo vnum, vt tamen aliud non excludam, quare etiam vtrumque potest verificari, vt si dicam volo recitare officium, vel Coronam, vtrunque possum recitare, atque in hoc secundo sensu particula, aut, est accipienda.

ARTICVLVS III.

Assignantur prima principia rerum naturalium.

VNum certum assumit Aristoteles ex varia opinionem confusione antiquorum, nempè esse aliquam contrarietatem inter principia; nam etiam ij, qui vnum priucipium statuebant, dabant aliquam diuersitatem, & contrarietatem, saltèm secundùm apparentiam, raritatem, & densitatem: plenum, & vacuum, magnum, & paruum; Amicitiam, & litem: vndè Aristoteles accepit tanquàm certũ principia debere esse contraria: pro qua re. Aduertendum est Aristotelem hìc non quærere de principijs rerum naturalium extrinsecis, nempè de causa efficiente, & de finali, sed solùm de primis principijs intrinsecis omnium substantiarum, vt patet præsertim ex textu 56.

Assumit præterea Aristoteles aliud notum Axioma tanquam certum, nempè, quod ex nihilo nihil fit; non enim agit hìc de creatione, per quã Deus ex nihilo creat, & quod fortasse penitùs ignorauit, cum illa non sit actio naturalis physica, sed spectet ad solam Dei omnipotentiam. Fieri autem aliquid ex nihilo, est rem aliquã de nouo fieri concurrente solùm virtute agentis, & nullo alio concurrente subiecto, quod dupliciter posset intelligi. Primò, si agens produceret aliquid de nouo, non corrupto alio præexistente. Secũdò, si producat aliquid de nouo se solo, & simul annihilet aliquid præexistens; v.g. si ignis agens annihilaret totum lignum totaliter, & simul produceret ignem totaliter de nouo, certè in eo casu talis ignis productio esset vera creatio, quià lignum corruptum non concurreret vllo pacto ad productionem ignis, cum in eo instanti, in quo produceretur ignis lignum totaliter non esset; ideoque talis productio fieret solis viribus agentis non concurrente ligno: vtroq; modo accepta Creatio semper fuit ab omnibus negata agenti naturali, et receptum fuit tanquàm principium indubitatum, quod ex nihilo nihil fit, et ad productionem rei de nouo, semper debet concurrere

currere aliquid, quòd præexistat; quod si quis hoc principium negaret, posset conuinci, quia videmus experimento, quod in omni Physica productione aliquid præexistens requiratur.

Hoc tamen principium, quod creatura naturaliter de facto agens non creet, quàm communiter, & constanter ab omnibus asseritur, tam etiam difficulter, & inefficaciter probatur. Communis enim probatio deducitur ab experientia, qua scilicet experimur, quod in omni physica productione aliquid præexistens semper requiritur, vndè Axioma commune promanauit: Ex nihilo nihil fit. Hoc autem ideo solùm esse potest, quia aliquod subiectum debet concurrere sustentando actionem agentis; ideòque nullum agens creat ex nihilo.

Verùm hæc ratio, & experientia non videtur efficax ad hoc probandum; posset enim responderi cum aliquibus philosophis nouatoribus; verum quidem esse, vt constat experientia, ad actionem naturalem semper requiri aliquod præexistens, & in hoc sensu verum esse axioma commune: Ex nihilo nihil fit, malè tamen hinc inferri dari aliquod subiectum transiens de corrupto in genitum, sed perire vnum corpus totaliter, & produci loco illius alterum corpus etiã totaliter, sic enim aliquis posset philosophari. Cùm à natura vacuũ refugiatur, vt docet experientia, & consequenter totum spatium, quod Cœli ambitu clauditur, plenum sit corporibus, congruum fuit naturæ, ne produceretur corpus de nouo, quin aliud corrumperetur; si enim posset produci aliquid de nouo alio non corrupto, vel corpora deberent penetrari, vel deberent condensari contra statum sibi connaturalem, omnia quippè agentia semper producerent effectus nouos, qui valdè coarctarent corpora priùs existentia, quare congruum fuit naturæ dare talem vim generatiuam rebus naturalibus, quæ per corruptionem vnius moliatur generationem alterius. Sicuti posset consequenter dici, quòd ignis V. G. quandò ex ligno producit ignem, primò creat ipsa accidentia ignis, eaque vnit violenter cum ligno, ad quorum vnionem corrumpuntur accidentia ligni incompossibilia cum illis; donèc deficientibus iam accidentibus requisitis ad lignum, tota substantia ligni perit, & in eodem instanti tota substantia ignis de nouo producitur, cum qua vniuntur accidentia illa prius producta, & quantitas etiam ligni, quæ est indifferens, vt vniatur cum quocunque corpore; & hic est modus, quo scilicet simlia reliqua agentia operantur. Certè si quis ita philosophetur, difficulter impugnari poterit ratione naturali, & solùm ob communem authoritatem in contrarium posset de nouitate reprehendi.

P. Ar-

P. Arriaga disp. 2. physic. sect. 1, impugnat, priùs argumenta facta contra Gomesium, qui materiam negabat, quippè non conuincentia, deindè affert suas impugnationes. Primò, quia cum corpora Sanctorum comburuntur non possent adorari Cineres, quia nihil de illis corporibus remanaret. Imò etiam gentiles colunt cineres suorum maiorum; ergò ipsum lumen naturæ docet remanere ibi materiam primam. Verùm hoc argumentum non videtur efficax, possent enim respondere Aduersarij; licèt pereant ossa totaliter, remanere tamen multas eorum particulas, quę actione ignis non fuerunt corruptæ; dicunt enim in corruptione corporum non semper corrumpi omnes particulas ipsorum, sed aliquas remanere, quia habent dispositiones difficiliores, vt corrumpantur, & has esse deindè cineres, quarè solùm hoc dictat lumen naturale quò ad hanc venerationem cinerum; & sic effugitur vis argumenti.

Dices. Ignis est omnium maximè actiuus; ergò si conuertit lignum in ignem; conuerteret etiam in ignem omnia corpuscula quæcunque in ligno reperiuntur, nihil ergo remanebit de eo, quod erat in ligno.

Respondeo hanc difficultatem esse ab omnibus soluendam; nam etiamsi detur materia transiens de ligno in ignem, cur post ignem remanet cinis? certè si ignis est potentissimus, & quidquid erat in ligno per se conuertit in ignem, debebat illa materia igne facta sursum ascendere, cum esset sub forma ignis. Cur ergo non ascendit, sed remanet sub alia forma, nempè cum forma cineris? Omnes ergo debemus saluare, quod licèt ignis sit actiua, tamen in aliquibus particulis substantiæ non habet actionem, quæ corrumpat totaliter dispositiones debitas illis substantijs, vndè remanet adhuc talis substantia post ignefactionem, taliter sunt aliqua metalla, vt ferrum, & aurum, quæ in igne non corrumpuntur; licèt amittant particulas impuras, & sic etiam possunt esse multa corpuscula nobis ignota, & hæc conflant cinerem; quare hæc ratio non videtur conuincens.

Secunda Impugnatio eiusdem Auctoris tota est in probando, quod non sint elementa formaliter in mixtis, sed quidquid sit de hoc, de quo videbimus in libris Generationis; Certè hæc sententia, quod detur materia non debet pendere ab ea opinione, quam multi peripatetici existimant falsam. Secundò dato, quod non sint elementa formaliter in mixto, tamen dicunt hi nouatores, dari in mixto varias dispositiones accidentales in varijs ipsius particulis, quam varietatem exigit substantia mixti, sicut enim iuxta sententiam

tiam negantem dari formas elementares in mixto, dicit ur nequi à forma substantiali mixti varias combinationes accidentium in diuersis partibus suæ materiæ, quam informat, sicuti anima requiris varias dispositiones in diuersis partibus corporis; cur dici non posset hanc etiam vicissitudinem requiri ab eadem substantia, quam appellamus mixtum? Ita vt mixtum sit complexum multarum partium substantialium habentium diuersas dispositiones, quam diuersitatem exigit tale complexum, sicuti Anima equi est complexum talium partium, exigens per se talem diuersitatem in hac materia.

Tertia Impugnatio eiusdem est, quod ignis, v. g. disponit lignum, producendo in eo calorem, & siccitatem; ergò ibi est aliquod subiectum recipiens eas dispositiones, aliter inutiliter laboraret ignis, introducendo in lignum sua accidentia, quæ deberent perire. Verùm hanc consequentiam negabunt Aduersarij, dicendo, quod ignis creat sua accidentia, quæ naturaliter exigunt vniri alienę substantiæ, & ea vnit violenter ligno; hæc autem ligno vnit formaliter expellens accidentia contraria, quæ simul non possunt esse vnita eidem substantiæ, donec pereunte tota substantia ligni, creatur ab igne alius ignis, in quo vnit sua accidentia iam producta in ligno; Certè nisi hæc responsio impugnetur, adhuc argumentum nihil urget.

Dices. Quando Animal perit ex frigore, adhuc remanet circa cor aliquid caloris, quis ergo vnit illum calorem cum substantia noua, cui inimicus est ille calor? sed possunt Aduersarij respondere in Viuentibus præter substantiam, quæ est corpus, dari quandam formam, quæ est anima, cuius dispositiones sunt calor &c. Corruptis ergo ex magna parte his dispositionibus perit anima, vel vnio eum anima, & restant solæ substantiæ partium corporis, nempè Caro, Ossa &c. in quibus per aliquod tempus possunt remanere aliquæ ex dispositionibus debitis animæ, quas non exigunt illæ partes per se acceptæ, sed fuerunt eum illis partibus vnitæ ab ipsa anima, donec tales dispositiones corrumpantur, vel ab extrinseco, vel ab ipsis substantijs partium, in quibus sunt, cum eæ non exigant. V. G. tantum calorem &c. sed solùm exigebatur, & continebatur ab anima; adeòque philosophari possunt Aduersarij, eo modo ferè, quo philosophantur, qui ponunt formas partiales in partibus corporis animati.

P. Ouiedus in Phys. Contr. 2. pun. 1. num. 8 post rationes, quas iam impugnauimus, affert contra Gonesium hanc rationem desump-

sumptam à P.Suarez disp.13. metaph. sect.1. num.7. quod si agentia in tantum corrumpunt alia corpora, vt obtineant locum illorũ, in quo producant sibi similia, vnumquodque agens potiùs loco pelleret substantiam, quam corrumperet, & experiremur hunc impulsum in maximè actiuis, quod est falsum. Sed hæc ratio non conuincit, possunt enim Aduersarij respondere, naturam noluisse corporũ compressionem, & condensationem ipsis violentam, adeòque non dedit hanc vim agentibus, vt producerent substantias sibi similes per compressionem, vel expulsionem localem aliarum substantiarũ, sed per ipsam totalem annihilationem, quare bene habent vim producendi suas dispositiones in corporibus proximis, nõ habent vim illa expellendi, cum hæc esset contra intentum naturæ, quæ debuit dare media rebus, vt consequatur finem à se intentum, non autem id, quod non intendit; imò quod omnino non vult, quare licèt posset per compulsionem consequi hunc finem, nempè producere nouam substantiam, tamen cum finis naturæ non sit noua substantia, quomodocunque, sed noua substantia sine coarctatione corporum, hinc est, quod non debuit dare hanc vim agentibus producendi noua corpora per coarctationem priorum, quam enim coarctationem ignis non faceret, si eam facere posset, vt nouum ignem produceret?

Efficaciùs tamen videtur posse probari, quod agens naturale non creet primò, nam etiam Aduersarij debent fateri, quod quandò, v.g. ignis producit suas dispositiones in ligno, non producit illas solùm in eo loco, vbi est lignum, sed producit cum vnione cum ipso ligno; nam si lignum remoueatur ab eo loco, experimur in ipso calorem, qui lignum ipsum concomitatur, quod est signum vnionis inter lignum, & calorem; repugnantia, ergo inter accidentia est nõ solùm in ordine ad eumdem locum, sed ne sint simul vnita eidem corpori, vndè quantum producitur, & vnitur cum vno corpore de calore, tantum perit dè frigore. Hinc infero hæc accidentia exigere corpus, cum quo vniuntur, etiam per Aduersarios, vt aliquid sibi necessarium ad existentiam, & quod requiratur, vt determinatiuum productionis ipsorum, ex eo enim, quod sit lignum, potest ignis producere calorem &c. ergo se habet lignum tanquàm causa realis per suam existentiam determinans ad productionem caloris.

Dices. Quamuis sit verum, quod calor exigat lignum, vt producatur, sicuti comprobatur experientiâ, negatur tamen, quod ipsum exigat tanquam causam, seu determinatiuum suæ existentiæ, sed exigit tanquam id, cui vniatur, sicuti in sententia valdè probabili creatio

creatio Angeli non pendet à ſubſtantia Angeli, & tamen exigit eſſentialiter illam, & ipſi eſſentialiter vnitur. Similiter vnio inter Animã, & corpus, exigit vtrumque; & illis vnitur, & tamen non dependet ab vtroque extremo in ſententia communiori, & multi aſſerunt, & benè; etiam ſi vnio eſſet creata, optimè vniret, & tamen tunc exigeret extrema abſque vlla dependentia ab ipſis, cur ergo non poſſumus ſimiliter ſic philoſophari dicentes, calorem exigere aliquod corpus, cui vniatur, abſque eo quod ab illo dependeat vllo modo. Certè niſi hoc impugnetur, ſemper poſſunt eò confugere aduerſarij.

Ad excludendum hoc effugium Nouatoribus, Aduertendum eſt. Duplicem dari poſſe exigentiam in aliqua re. Prima eſt eſſentialis, quoties nempè res illa perſuam eſſentiam exigit exiſtentiã alterius rei, ita vt non poſſit exiſtere ſinè illa, & tunc dicimus habere relationem tranſcendentalem, ſeu connexionem eſſentialem cum ea; talem exigentiam habent modi reſpectu rei, quam modificant, ſunt enim eſſentialiter modificatio talis rei per ſuam entitatem; ſic vnio eſt eſſentialiter nexus extremorum, actio eſt poſitio termini,

Secunda, exigentia eſt naturalis, quando ſcilicet vna res de ſua natura aliam exigit, ſic ignis exigit calorem vt oſtio, lapis egixit ſnõ aſcendere, ſed potius deſcendere; violenter tamẽ poſſunt pati aliquam carentiam rerum, quas exigunt, vt patet in rebus, quæ ſunt in ſtatu aliquo violento.

His poſitis. Certè exigentia, quam habet, calor v. g. vt vniatur cum ligno, non eſt eſſentialis, cum poſſit de facto eſſe ſinè ligno, neque etiam exigit eſſentialiter vniri cum aliqua ſubſtantia, tum quia in Sacramento Euchariſtiæ exiſtunt miraculosè accidentia abſq. eo quod ſint vnita vlli ſubſtantiæ ea vnione, qua denominent ſubſtantiam, ſic per albedinem hoſtiæ Corpus Chriſti, non denominatur album; tum quia nulla eſt neceſſitas, quæ cogat calorem vt exigat vniri eſſentialiter cum aliqua ſubſtantia, nulla autem res dicitur exigere aliam eſſentialiter, niſi talis connexio probetur rationabili cauſa, quarè ſolùm exigitur per exigentiam naturalem, ſed ſi hoc modo exigitur, verbi gratia, lignum, vel aliud corpus à calore, & tamen ab eo non penderet idem calor, nulla eſſet ratio, quod deſtructa ab aliquo agente naturali vnione inter ipſum calorem, & lignum, deberet perire calor, quod eſt contra experiẽtiam; nam ſi remoueatur ab igne lignum calidum, paulatim frigefit, & perit calor; quod autem non deberet perire probatur, nam lignum

subtractum ab ignis violentia iam calefactum per productionem frigoris vnit per se frigus ligno, & destruit vnionem ligni cum calore, sed destructa hac vnione, licèt calor patiatur aliquam violentiam, non deberet tamen perire, sed eam violentiam pati. sic videmus in alijs rebus, quod nempe nisi pendeant ab aliqua re tanquam à causa, licèt eam rem exigant naturaliter, non tamen pereunt ea pereunte; sic anima rationalis, licèt naturaliter exigat vnionem cum corpore, tamen, ea destructa, non perit, sed remanet; lapis eo quod vim patiatur vnitum cum motu sursum, tamen non idcirco perit; Aqua bonam partem frigoris amittendo, non tamen perit, quia ab eo nõ pendet, nec vlla res potest assignari, quæ ea sola defectu rei, quam exigit naturaliter, pereat, nisi ab ea pendeat; ergo nisi dicatur, quod calor pendeat à ligno, non potest rationabiliter asseri, quòd pereat, & quod amplius cum eo, vel alio corpore non vniatur. Ratio autem huius rei à priori esse potest, quia esset insana rerum natura, si ob defectum illius, quod exigit naturaliter, deberet perire, & non potiùs pati talem defectum, si ab ea re non pendeat. Vnde communiter dicunt, si materia habet propriam existentiam independenter à forma; si priuetur miraculosè omni forma, remanet tamen connaturaliter, quia à forma non pendet, ergo ponere in accidentibus talem naturam, vt pereant præcisè ex defectu illius, quod exigunt naturaliter, & à quo nõ dependent est, ponere insanam Naturã, quæ absurdissimè exigat non esse, quia deest aliquid illi bonum, à quo tamen non pendeat.

Posito ergo, quòd accidentia pendeant aliquo modo ab eo, cui vniantur. Probatur, quòd nõ possint illud corrumpere, nulla enim res potest corrũpere id, à quo indiget, vt sit, quia hoc pacto tẽderet in sui corruptionẽ, quod natura maximè abhorret, vt per se patet.

Dices. Accidentia nõ tendunt simpliciter in corruptionem illius, quo indigent, sed in productionem alterius substantiæ, quæ multo melius explebit locum substantiæ pereuntis, & ita calor, & siccitas in ligno introducunt ignem, à quo melius substentabuntur, quare cessat ratio, quod hoc pacto intenderent sui corruptionem. Sed cõtra est, nam hoc ipso, quod calor, & siccitas pendent à ligno bonum possunt esse destructiua ligni vllo pacto, nulla enim causa molitur suam destructionem, ergo lignum nullo pacto concurreret ad existentiam caloris, & siccitatis, si ipsa tandem aliquando ipsum destructura sint, essent enim simpliciter ipsi malæ; nulla autem causa concurrit ad id, quod est sibi malum, vt patet. Quare dicendum est in ligno dari aliquid, cui aptent male hæc accidentia, quæ sustentat,

tenerat, & hoc, vt dicemus, erit materia prima.

Secundò probari potest, quia si periret totum lignum daretur de facto mutua causalitas, non solùm secundum quid; sed simpliciter, quod communiter negatur. Sequela probatur; nam in eodem instanti, in quo lignum corrumpitur, producitur ignis de nouo, quì pendet in eo instanti à calore, & siccitate tanquam à suis dispositionibus requisitis, ergo calor, & siccitas in eo instanti sunt causa ignis, sed etiam pendent ab ipso igne, cui in eo instanti vniuntur quia tunc non possunt amplius pendere à ligno, quod in eo istanti non existit, ergo essent causa ignis, & penderent ab igne, quod esset mutua causalitas secundum existentiam, quam probabimus esse impossibilem suo loco.

Tertio. Probatur experientiâ; nàm videmus, quòd si quis attrahat sursum aërem in fistula, sequitur aqua violenter ascendendo, at si agens naturale crearet ex nihilo in tali casu, posita violenta attractione aëris, deberet producere aquam, vel aër aërem potiùs quàm causare illam violentam aquæ tractionem; sequela probatur, quia posita violentia, debet natura moliri id, quod meliùs est sibi, & connaturaliùs, sed posita violenta tractione aëris, ne daretur vacuum, melius esset, sinè vlla violētia producere aliud corpus, quā trahere sursum aquam, ergo ita deberet fieri, quod si non fit, signum est non esse hanc vim in natura producendi corpora ex nihilo per creationem; in hoc enim non militat ratio allata pro aduersarijs, quòd scilicèt natura non debet moliri productionem corporum per coarctationem aliorum, quia hic natura non facit coarctationem, sed illam supponeret factam violenter, qua posita facere deberet, quod sibi meliùs est, sinè vlla violentia, quarè cum videamus hanc indissolubilem adhærescentiam corporum, ne detur vacuum, habemus signum optimum, quod natura non potest totum corpus de nouo creare, quia si hoc posset, facillimè, & sinè violentia posset impedire vacuum, quandò datur violentia trahens vnum Corpus.

Neq; dicas hoc fieri non posse, quia aër v.g. cōdensatus violēter semper ita maneret, si corpus de nouo produceretur in eo loco, quem reliquit per condensationem. Nam huic inconuenienti statim posset occurrere impediendo in alio loco aliquā productionē alterius corporis in tanta copia, in quāta fieret, si aer nō esset cōdensatus; ex eo enim, quod quærit suum statū naturalē impediret ne v.g. produceretur tāta aqua, & ità recuperaret faciliùs suū debitū statum sinè vllo incommodo, atque hæc satis sint in re, quam serè

omnes concesserunt, vt certam, & luminis naturæ perspicuam, vtrū autem Creatura aliqua sit possibilis, cui sit connaturalis potentia creatrix, dicemus in libris de Generatione.

His positis ità discurrit Aristoteles: Cōtraria per se nō possūt esse plusquā duo, quia in vnoquoq. genere vna datur cōtrarietas: cū enī omnis cōtrarietas desumatur vltimò ex cōtradictorijs, et vni reivnī si contradictoriū; & oppositū, cōtraria esse nō possunt plusquā duo, quamuis enim calidum opponatur frigido, tamèn idcircò opponitur, quia frigidum naturaliter secum trahit negationem caloris, & ita, ratione negationis naturaliter cum eo connexæ, frigidum est contrarium calido, & præscindendo à negatione nulla datur cōtrarietas. Posito ergo, quod contraria sint duo, & principia debeant esse contraria, necessariò sequitur, in vnaquaque substantia debere dari duo principia, nempe aliquod positiuum, & aliquod negatiuū; & sanè hoc omninò necessarium est, quia non potest de nouo aliquid fieri, nisi priùs detur eius negatio, seu priuatio: implicat enim quod res fuerit ante hoc instans, & dicatur fieri de nouo in hoc instanti, quare, vt fiat album de nouo, debet priùs non fuisse albedo, sed ipsius priuatio, atq. hoc reperitur in omni generatione, & mutatione naturali, quæ semper, & essentialiter requirit antecedētem priuationem illius, quod producitur, vndè hinc habemus duo principia contraria, nempe formam, quæ fit de nouo, & priuationem antecedentem.

Dices. Natura nō facit calidum, nisi priùs supponatur frigidum, ergo præter priuationem caloris per se requiritur frigus ad hoc vt fiat calidum, nempe frigus pro tempore antecedenti.

Respondeo, vt fiat calidum non requiri frigidum antecedenter, quatenus est quid positiuum, sed quatenus habet negationem caloris, per accidens autem est respectu nouæ productionis caloris, quod præcesserit in subiecto frigus, vndè, si esset subiectum, neque calidum, neq; frigidum, eique applicaretur ignis, verè fieret calidū de nouo, & tamen nō fieret calidū ex frigido sicuti aër fit lumino sus absq. eo, quod præcedat vlla qualitas oppositā lumini, ergo sola priuatio caloris per se requiritur ad calidum de nouo, cætera per accidens se habent considerando nouam productionem præcisè.

Ex hoc rursus probat Aristoteles, dandum esse tertium principium præter duo contraria, nam ex non albo, V. G. quatenus est nō ens, certè non fit album, quia ex nihilo nihil fit, & idem est fieri ex non esse, ac fieri ex nihilo, ergo debet dari aliquod tertium principium, quod transeat ex non albo in album, & priùs præextiterit sub

non

non albo, deinde existat sub albo de nouo; hoc autem tertium principium est materia, seu subiectum formarum. Vt hoc melius intelligatur afferatur in exemplum cõsueta mutatio, quandò ignis applicatur ligno, & lignum in ignem transmutatur. Profectò in hoc casu datur intrinsecè in ligno, antequam comburatur; priuatio formæ ignis, quia lignum non habet in se intrinsecè formam ignis. Ignis ergo applicatus ligno dupliciter posset producere ignem de nouo. Primò si corrumpat totaliter lignum, ita vt ex eo nihil omnino remaneret, & præterea produceret totaliter ignem de nouo. Si hoc modo produceret ignem, certè ignis nouus fieret ex nihilo, quia lignum non adiuuaret productionem noui ignis, quandoquidem in eo instanti, in quo est ignis genitus de nouo, non existeret lignum amplius, ergo agens naturale crearet ignẽ ex nihilo, quia lignum corruptum non concurreret vllo pacto ad productionem ignis, cum in eo instanti in quo produceretur ignis, lignum totaliter non esset, adeoq. talis productio ignis fieret solis viribus agentis non concurrente ligno.

Secundo modo posset se gerere ignis applicatus ligno, si produceret aliquid de nouo, non annihilato totaliter ligno præexistente, sed solùm destructa vna parte ligni, nẽpè illius forma, et remanente materia eiusdẽ ligni, quæ materia remanens adiuuaret vires ignis generãtis ad producẽdã formã ignis de nouo in eadẽ materia ita vt ex ipsa materia, quæ priùs erat subiectũ formæ ligni, & ex forma ignis de nouo genita fiat adequatè totus ignis de nouo genitus atq. hoc secũdo modo ignis de nouo nõ fit ex nihilo, quia remanet aliquid de ligno, adiuuãs vires agẽtis naturalis, ergo hoc secundo modo fieri debet productio naturalis, et ita ostenditur dari tertiũ principium rerum naturalium, nempe materiam primam, quæ est id, quod trãsit de composito corrupto ad compositum genitum.

Dices. Adhuc non saluatur, quod res non fiant ex nihilo, nam calor. V.G. qui totus est de nouo, non fit ex materia, tanquam ex parte componente calorem, quia calor est forma simplex, et non constat materia, et forma, ergo fit ex nihilo.

Respõdeo, quod hoc axioma, ex nihilo nihil fit, potest habere duplicem sensum; primus est; id, quod fit de nouo debuit præexistere antequam fiat in quo sensu accipiebant Philosophi ante Aristotelem, & ita negabant veram generationem de nouo, et solùm ponebant aliquam coniunctionem, vel segregationem corpusculorum, siue realem, siue apparentem, quare hic sensus non est ad rem.

Secundus sensus est, quod nihil simpliciter fiat ex nihilo, hoc est; nul-

nullum concretum fiat totaliter ex nihilo, in quo sensu accipit Aristoteles, illud enim, quod dicitur simpliciter fieri, est totum Concretum, quod per se intenditur à natura; ita dicitur de nouo fieri calidum, non autem fieri calor, quia natura non intendit calorem in abstracto, sed totum Concretum, solùm ergo forma fit vt quo, quia est id, quo constituitur principaliter Concretum in tali specie, dicitur etiam concretum transmutari in aliud, non autem forma in aliam. Hinc optimè dixit Aristoteles ex ægro fieri sanum, non autem ex ægritudine sanitatem, quarè semper fiat, quod concretum de nouo factum non fit ex nihilo, quandoquidem componitur ex materia remanente compositi corrupti; quæ tota doctrina patet in Aristotele præsertim textu 78.

Dices secundo Aristoteles sæpe asserit ex nigro fieri album, ergo per ipsum sunt quatuor principia, nempe albedo, nigredo, priuatio albedinis, et materia.

Respondeo negando consequentiã; Aristoteles enim dixit ex nigro fieri album, non quia nigredo sit necessaria per se accepta ad productionem albi, sed propter connexionem, quam habet cum priuatione albedinis, quę priuatio est principium per se requisitum.

Ratio autem, cur potiùs non dixerit, ex non albo fit album, est, quia non album, est terminus infinitus, et significat quidquid album non est, vndè etiam Angelus est non album, quia ergo ex Angelo, quamuis verè fit non album, non fit album, ideò posuit aliud coloratum, quod haberet materiam priuatam albedine, vt significaret, quod talis materia cum priuatione albedinis per se requiritur ad album de nouo.

Petes primò, quarum rerum sunt hęc principia de quibus agit Aristoteles hìc.

Respondeo esse principia rerum omnium generabilium, et corruptibilium, vndè si Cælum est corpus simplex, de quo suo loco, eius principia non quærit hìc Aristoteles; neq; enim necesse erat, vt quæreret hìc principia totius obiecti Physicæ. Præterea agit per se de principijs tam compositi substantialis, quàm accidentalis, cum vtrumque sit obiectum attributionis in Physica; quarè dicimus, hìc agi per se de principijs communitatis, non autem de solis principijs causalitatis. Dicuntur principia communitatis omnia principia tàm compositi substantialis, quàm accidentalis. Principia causalitatis sunt sola illa principia compositi substantialis, quia sunt causa, et origo accidentium.

Petes

Petes secundò. Agit ne hic Aristoteles de principijs generationis, an rei, quæ generatur?

Respondeo; non agere de principijs generationis, prout generatio nihil est aliud, nisi actio, per quam res producitur, hæc autem actio non componitur ex materia, & forma, sed est simplex accidés. Agit ergò de principijs rerum, quæ generantur, quatenùs sunt in hac circumstantia generationis, hoc est quatenùs sunt in primo fieri; possunt enim aliqua conuenire rebus, quandò sunt in primo fieri, quæ non conueniunt eisdē, quandò sunt in facto esse, ita ignidum est in primo fieri, cōuenit essentialiter, quod immediatè præcesserit priuatio formæ ignis in eadem materia, quod non conuenit igni iàm producto; eum itaque dicitur agi hìc de principijs rerum, prout sunt in primo fieri; particula prout significat conditionem, & circumstantiam, secundùm quam considerantur res. Hinc denique infertur tria esse principia rerum naturalium generabilium, & corruptibilium in fieri materiam, formam, & priuationem eiusdem formæ.

Petes tertiò, possent ne saluari omnia, si ponamus cum Antiquis res naturales fieri ex coniunctione corpusculorum, quæ sint diuersæ speciei.

Respōdeo negatiuè. Primò, quia hæc corpuscula quomodo inter se adhærent, non sane seipsis, quia etiam duo lapides constant corpusculis eiusdē speciei, & tamen nō adhærent inter se, ergo deberet produci vnio de nouo, et sic daretur aliquid de nouo substātiale præter corpuscula. Secundò quia in Sanctissima Eucharistia remanent accidentia panis, pereunte substantia ipsius, ergo accidentia non sunt corpuscula panis. Tertiò quia quandò excitatur magnus ignis, si non producitur aliquid de nouo, vndè nam congregata sunt tot corpuscula ignea, & quid illa traxit in vnū; si enim ex partibus vicinis ignea corpuscula congregata sunt deberemus experiri maximum frigus in corporibus vicinioribus, quia sunt ab illis ablata corpuscula ignea calida, & in locum ipsorum fuerūt intromissa corpuscula frigida, quod totum est contra experientiam. Præterea corpuscula ignea sunt leuissima, ergò sicuti trahuntur à corpusculis similibus ad magnū, incēdiū, multò magis deberēt trahi ad euolandū sursum, et ita non possent remanere corpuscula ignea in partibus inferioribus. Quartò operationes vitales cognoscendi, amandi, nutriendi, et similes adeò sunt perfectæ, vt requirant causam multò nobiliorem corpusculis, et debeant fieri ab anima, quarè propter hęc, et alia multa absurda meritò hæc sententia reijcitur

ab

ab omnibus, quòd si aliquibus nouatoribus placet, videant an bene cohereant cum principijs fidei.

ARTICVLVS IV.

Explicatur definitio Principiorum rerum naturalium.

PRæter definitionem communem omnibus principijs cuiuscunque rei, traditur definitio Principiorum rerum naturalium ab Aristotele hìc textu 42.

Prima principia, neque sunt ex alijs, neque ex alterutris, et ex his omnia; huius definitionis sensus est, quòd prima principia rerum naturalium, nec fiant ex se ipsis ad inuicem, nec ex alijs rebus, quæ non sunt ipsa principia, et præterea quod ex illis omnia fiant.

Hæc definitio, licèt posset etiàm explicari de primis principijs, seu elementis cuiuscunque rerum classis, tamèn accipi debet pro primis principijs rerum naturalium, quia de his quærit Aristoteles.

Quòd autẽ particula, ex, significet principiũ intrinsecum, potiùs probatur ex locutionibus Aristotelis, dicẽtis se quærere prima Elemẽta rerum naturaliũ, quam ex propria significatione ipsius particulæ, vndè nòn placent, qui asserunt cum Thomistis particulam *ex*, semper esse signum elementi, et partis componentis, nàm tàm apud Græcos, quàm latinos particula, *ex*, significat aliquandò causam efficientem iuxta illud Ioannis, Vos ex patre Diabolo estis. & consiliarius, et impellens ad aliquid ex Aristotele dicitur causa efficiens ergò ex vi solius particulæ *ex* nihil certè colligi posset.

Principium ergò definitur hìc per duplicem comparationem, seù respectum, primò ad antecedentia, secundò ad subsequentia. Respicit antecedentia dicendo negationes alterius cuiuscunque principij in eo genere, in quo ipsum principiat. Respicit subsequentia, nempè omnia composita tanquàm à se principiata.

Vt autèm meliùs hæc definitio intelligatur Aduertendum est, in omni productione, & corruptione de nouo dari duos terminos, vnus dicitur à quo, alter ad quem: Terminus à quo est illud, à quo materia transit ad aliud: Terminus ad quem est, illud in quod trãsit materia, v.g. cum ex ligno fit ignis, terminus à quo est priuatio ignis, quià ab ea priuatione transit materia ad formam ignis, terminus verò ad quem est forma ignis. Similiter in omni motu datur terminus à quo discedit mobile, & terminus ad quem accedit.

Vest

Definitio supra allata non caret difficultate propter particulam ex, nam vel ex significat modũ principiandi, vt est terminus à quo, & sic est falsa, quia forma ignis non principiat ignem vt terminus à quo, vel significat modum principiandi vt terminus ad quem, & hoc pacto priuatio ignis non esset principium ignis, quia solùm est terminus à quo, vel deniq; significat modum principiandi vt pars componens, & hoc pacto priuatio ignis, neque esset principium, quia non est pars illum componens. Propter has difficultates variæ sunt inuentæ explicationes ab auctoribus.

Primò dicunt aliqui prima principia non esse ex alijs, neq, ex alterutris, quia sunt entia incompleta, esse autem simpliciter prolatum conuenit enti completo, nempè concreto constanti ex materia, & forma, quare dicuntur prima principia non esse ab alijs, neque ab inuicem, quia non competit illis esse simpliciter, omnia verò fieri ex ipsis, vel vt ex partibus componentibus, vel vt ex termino à quo. Hæc explicatio non placet, primò quia licèt verum sit, quod hæc prima principia sint entia incompleta, cur tamen non potest illis competere verbum esse, saltem secundariò? & vnde habent hi Auctores debere hìc accipi verbum esse, in sensu ita rigoroso, & non in sensu ordinario, & communiori? immò ipse Aristoteles paulò post, nempè rextu 49. applicat verbum fieri ipsis principijs, dicit enim quare omnia, quæ naturaliter fiunt, erunt aut contraria, aut ex contrarijs: contraria autem sunt ipsa principia, ergo si illis applicat verbum fieri, quod rigorosissima conuenit soli enti completo, cur non debuit applicare verbum esse?

Secundò displicet, quia superfluæ fuissent illę duæ particulæ in definitione, neque ex alijs, neque ex alterutris, & sufficisset dicere: principia sunt ea, quæ non sunt, & ex quibus omnia sunt, ex eo enim, quod sunt incompleta, non potest illis competere verbum esse, adeoque sufficit dicere, quod ipsa non sunt.

Tertiò, quia Aristoteles tex. 42. reddens rationem de hac definitione, dicit principia non esse ex alijs, quia sunt prima, non esse ex alterutris, quia sunt contraria, nunquam autem dixit non esse, quia sunt entia incompleta, quæ ratio fuisset vniuersalis pro omnibus, ergo per particulam esse, non accipit solùm esse rigorosum competens solis entibus completis, sed esse quomodocunque. Consequentia probatur, quia in eo textu Aristoteles approbat id, quod dicebant antiqui, nempè prima principia esse contraria, & subdit tanquam rationem reddens, oportet principia neq; ex alterutris, neque ex alijs, & ex his omnia; si autem intelligeret per verbum

nõ esse, entia incompleta, non bene fuisset assignata hæc ratio, quia plurimi antiquorum ponebant entia completa pro principijs, ergo intelligit, quod nullo modo prima principia sint ab inuicem, vel ab alijs.

Dicunt alij secundò Priuationem habere rationem elementi, & in hac ratione non fieri ab alijs, quare omnia principia sunt, elementa, nempè materia, forma, & priuario, & in hac ratione non fiunt ab alijs, neque ab inuicem, tanquam ab elementis, explicant autem, quod Priuatio sit elementum compositi, quod generatur, quia elementum est id, circa quod per se versatur agens in productione rei, & quia agens naturale per se versatur circa priuationē formæ, quæ fit de nouo, nempè priuationem illam destruendo; dicunt hoc pacto habere rationem principij. Sed contra est primò, quia gratis assumunt, quod illud, circa quod per se versatur agens sit elementum, nam elementum idem sonat ac componens, vndè litteræ dicuntur elementa, quia componunt scripturam, & nõ quia per se scriptor circa illas versatur. Præterea agens multò magis versatur circa compositum, & tamen non dicitur elementum: similiter ruditas marmoris non est elementum statuæ, & tamen circa eam per se versatur sculptor. Secundò, quia neque hæc explicatio congruit cum doctrina Aristetelis, qui sæpissimè repetit priuationem esse principium per accidens, et ratione alterius: at verò iuxtà hanc explicationem esset principium per se, quia per se versatur agens circa priuationem, eam destruendo. Tertiò contra est, quia etiam materia esset principiata ex priuatione sui tanquam ex elemento, adeoque in ea ratione, qua principiat, esset principiata. Sequela probatur, quia Deus, quando creauit materiam, per se versatus est circa priuationem materiæ illam destruēdo, fecit enim materiam ex non materia, ergo ipsius priuatio, quia est id, circa quod per se versatur agens, esset elementum.

Tertiò dicunt alij particulam *ex*, debere sumi, quod in ea ratione, in qua principia principiant, non principiantur ab alijs, nec ab inuicem, sed in eadem ratione principiant omnia, quę explicatio hucusque bene procedit: addunt deinde priuationem principiare vt terminum à quo, formam verò, & materiam, vt partes componentes, in quibus modis principiandi ipsa principia non principiãtur, nec ab alijs, nec ab inuicem. Ita P. Hurtadus in physic. disp. 1. sect. 2. Hæc explicatio non placet, quia non est iuxtà mentem Aristotelis, primò, quia si priuatio principiat, vt terminus à quo, nullo modo principiat per accidens, seu per aliud, quo sæpius repe-

tit

cit Aristoteles, imo textu 67. dicit principia aliquo modo esse duo & aliquo modo tria, quia videlicet priuatio ferè est idem principium cum materia, at verò terminus à quo, est terminus per se, & ratione sui habet, quod sit terminus à quo, ergo si priuatio principiat vt terminus à quo, certè ratione sui, & non ratione materiæ est principium; contra doctrinam Aristotelis. Secundò impugnatur, quia priuatio v.g. formæ ignis potest esse à forma ignis tanquam à termino à quo, nam ab igne fit non ignis, ergo in ea ratione, in qua priuatio principiat compositum, ipsa principiari potest.

Respondent alium esse modum principiandi termini à quo positiui, ac modus principiandi termini à quo negatiui, et ita licèt priuatio principietur à forma tanquam à termino à quo positiuo, ipsa tamen principiat vt terminus à quo negatiuus; sed contra est, quia etiam quatuor elementa ex hac responsione essent prima principia, quia principiant mixtum, vt corpora simplicia, at verò ipsa non principiantur ex alijs corporibus simplicibus, licèt principientur à materia, et forma, ergo non componuntur eodem modo, quo ipsa componunt mixta, quod per Aduersarios satis est, vt sint prima principia.

Alij cum Philopono, et Capreolo volunt particulam *ex* significare in prima, et secunda parte definitionis partem componentem, in tertia verò, vel partem componentem, vel terminum à quo, vnde sensus est principia non sunt ex alijs, neque ex alterutris tanquam ex elementis componentibus, et omnia ex ipsis sunt, vel tãquam ex elementis componentibus, vel tãquam à termino à quo. Sed cõtra est primò, quia definitio esset valdè vitiosa propter æquiuocationem, non enim negaret idem de principijs, quod concederet principiatis, imo si esset à termino à quo, satis est vt aliquid sit principiatum, certè cum priuatio sit à forma, et forma sit à priuatione tanquam à termino à quo, priuatio esset principiata, sicuti etiam forma esset principiata, vtraque enim fit ab aliquo tanquam à termino à quo. Secundò quia priuatio principiaret per se contra id, quod docet Aristoteles; et sequerentur alia argumenta suprafacta.

Meliùs explicanda videtur hæc definitio cum Alexandro, & alijs accipiendo particulam *ex*, semper in eodem sensu, v.g. quod significet modum principiandi elementi, et materiæ; vel permanentis, vel transeuntis Pro qua re intelligenda, aduertendum est; elementum, seu materiam esse id, quod aliquo modo aliud componit, componere autem, vt patet ex ipso vocabulo, est aliqua simul ponere,

et conflare tertiam rem, non quidem efficiendo, sed quasi ingrediendo vt pars intrinseca illius rei, diuiditur autem materia in permanentem, et transeuntem; permanens est, quæ manet in re, quam componit, sicut litteræ manent in scriptura, trãsiens est, quæ non permanet in re, quam componit; sed restat difficultas; nam si conceptus materię, et elementi est intrinsecè componere rem, quo pacto materia transiens componit rem, et tamen non remanet in ea? Ad hanc difficultatem, vndè pendet tota quæstio, ità respondemus.

Dupliciter aliquid potest dici manere, et inesse in alio, primõ manendo secundum se totum, secundò non manendo secundum se, sed secundum aliquod essentialiter à se importatum. Ità in Sanctissima Eucharistia, panis dicitur materia transiens, quia licèt substantia panis, tota pereat, remanet tamen aliquid pertinens ad cõstitutionem panis, nempè illius accidentia, quare illud quod remanet secundum aliquod connotatum à se, non autem remanet ipsũ secundum se, dici potest materia transiens; differt autem materia transiens à termino à quo simpliciter, nam terminus à quo est illud, quod per se recedit adueniente altero, non autem necesse habet, vt aliquid sui remaneat, sed præscindit ab hoc, quatenus est merus terminus à quo. Hinc est, quod quando ex non Angelo fit Angelus, negatio Angeli est quidem terminus à quo, quia per se recedit Angelo producto, non est materia transiens, quia nihil remanet illius negationis.

Ex his probatur nostra explicatio conclusionis, quod semper particula *ex*, importat rationem materiæ, et elementi, vel permanentis, vel transeuntis; et quidem loquendo de materia, et forma patet, quia vtraque ineſt in composito, illud componens, tanquam pars intrinseca permanens, materia autem componitur ex partibus diuersis, seu vt alij loquuntur, essentialibus; tam enim materia, quam forma sunt entia physica incõpleta, vt suo loco probabimus, neque componuntur à priuatione tanquàm à materia, et elemento intrinseco, quia materia nullo pacto componitur priuatione, sicuti neque componitur forma; at de priuatione probatur, quod fit elementum transiens, nam priuatio, v.g. albedinis duo dicit essentialiter, vnum est negatio formæ; & hoc est purum non ens, alterum est subiectum capax illius formę quando igitur ex non albo fit album, remanet quidem subiectum priuationis, nempè materia recedit autem ipsa priuatio secundum se, ergo habet priuatio rationem materiæ transeuntis respectu compositi, ipsa verò priuatio intrin-

Digitized by Google

intrinsecè non componitur, vt patet. ergo in ea ratione, in qua principiat, non principiatur.

Idem probatur ex Aristotele dicente, quod ex non ente, vt est non ens, nihil fit, & textu 61. ait fieri enim non potest, vt mutuò cõtraria patiantur, hoc est forma non fit à priuatione, nec priuatio à forma, & textu 52. dixerat, quo nam pacto substantiæ fiant ex non substantijs? Non potest autem hoc intelligi de puro termino à quo, nam verè ex non Angelo fit Angelus tanquam ex termino à quo, ergo debet intelligi de termino à quo qui simul sit materia transiens relinquens aliquid sui quod essentialiter importabat.

Confirmatur, quia negatio abstracta, licèt sit terminus à quo respectu formæ, nõ est materia transiens, & idcirco Aristoteles priuationi abstractæ non ponit particulam *ex*, dicit enim falsum esse ex ægritudine fieri sanum, sed ex ægro sanum, ergo tota ratio principiandi priuationis consistit in hoc, quod relinquat subiectum in composito, quod subiectum essentialiter ipsa connotabat, atque hic est sensus Aristotelis quando dicit, quod priuatio principiat ratione subiecti, & quod non est per se principium, hoc est, non est per se componens compositum, sed ratione materiæ, quæ est aliquid sui, & idcirco aliquo modo principia sunt duo, & aliquo modo tria, quia materia dum inest in composito de nouo facit, vt priuatio opposita formæ genitę sit materia transiens; adeoque sunt duo principia permanentia, vnum autem transiens. Porrò quod dicimus de priuatione respectu compositi positiui, dicimus etiam de forma respectu cõpositi negatiui, siuè priuatiui: ita ex luminoso fit tenebrosum, tanquam ex materia transeunte, quia tunc priuatio est pars intrinseca permanens, & componens tenebrosum, luminosum autem est materia transiens.

Obijcies primò; licèt possit dici materia transiens, & materia permanens, tamen dici non potest elementum transiens, nam materia dicitur aliquando illud, circa quod versamur, & appellatur materia circa quam, quæ potest esse transiens, at elementum dicit esse partem intrinsecam componentem.

Respondeo Verum esse, quod aliqua materia circa quam non possit dici elementũ, quia nihil remanet de illo, et quoties aliquid illius remanet dici poterit elementum transiens ratione sui, remanens verò ratione alterius à se essentialiter importati, quare concedo, quod elementum dicat semper remanentiam in composito, sed si est elementum ratione sui debet ipsum remanere, si est solùm ratione alterius non debet ipsum remanere, sed id quod impor-

portatur tanquam aliquid illius, atque in casu nostro remanet materia relicta à priuatione; ita explicant Aristotelem S. Thomas, & Albertus Magnus, quod scilicèt priuatio sit elementum, et sit transiens, seu non remanens, nisi ratione alterius, nam textu 56. ita dicit, tria igitur dicere elementa esse &c. et textu sequenti ait, quod igitur neq; vnum sit elementum, neque plura duobus, veltribus manifestum est, ergo appellat priuationem elementum. Quod autem appellet non remanens, patet ex textu 61. vbi dicit aliqua ex his esse permanentia, & docet, quod de principio contrario non permanente, vt est immusicus (hoc est non musicus) potest benèfieri musicus, sicuti ex musico fit immusicus, ergo persistendo in doctrina Aristotelis non debemus refugere ab vsurpatione istarum vocum, nempè elementi secundum se non permanentis, sed permanentis ratione subiecti.

Obijcies secundò. Si priuatio est elementum ratione materiæ remanentis in composito, sequeretur quòd principiatio priuationis non distingueretur à principiatione materiæ, ergo essent in rigore duo principia, nempè materia, & forma. Sequela probatur, quia materia principiat vt materia tanquam pars cumponẽs compositum, sed priuatio etiam principiat, quatenus materia inest in composito, ergo est eadem prorsus principiatio, à nobis tamen duplici vocabulo insignita.

Respondeo negando sequelam, ad probationem dico materiam secundum se principiare tanquam partem componentem præscindendo ab omni priuatione, si enim concipiamus materiam vnitam formæ ignis, habemus conceptum materiæ componentis ignem, in quo conceptu præscindimus à priuatione, at verò si consideretur materia, vt quid relictum à priuatione, et quod priuatione priùs afficiebatur, est alius conceptus valdè diuersus, & sub isto conceptu est diuersum principium à materia per se accepta, illa enim per se accepta nihil connotat præfuisse in se, at verò quando principiat, connotando, priuationem præfuisse tempore antecedenti, est principium valdè diuersum, et per accidens.

Obijcies tertiò. Quando res fit, non est priuatio formæ, quæ producitur, ergo tunc talis priuatio nullo pacto est principium. Consequentia probatur, quia id, quod actu non est non potest dici esse principium, sed quando res fit, priuatio non est actu, ergo tũc non potest esse principium, & ita nunquam principiat.

Respondeo id, quod principiat, vt terminus à quo, simpliciter principiat rem, quando ipsum nõ est, debuit tamen immediatè antea

tea existere V. G. cum ex non Angelo fit Angelus negatio Angeli non debet esse quando fit Angelus, quia tunc existit Angelus, sed debuit immediatè antea præcedere, vndè falsum est, quod omne principiatum debeat esse simul cum suo principio. Illud autem quod principiat, vt elementum trãsiens, debet existere cum principiato secundùm aliquid sui, non autem secundùm omnia. Ita priuatio secundùm aliquid, nempè materiam, debet existere cum principiato; secundum autem, quod est non ens debet præcedere principiatum, et ita principiat quando non est. Quod autem ita principiet non est absurdum, quia principiare non dicit influere, adeoquè potest aliquod principiare tunc, quando ipsum non est, sufficit enim, quod necessariò præcedat.

Dices. Si priuatio debuit præexistere ad hoc vt sit principium, productio mundi non fuit facta ex principijs, quia non præcesit priuatio formæ mundi in materia, fuit enim simul creata materia cum forma, ergo non fiunt omnia ex ijs principijs.

Respondeo productionem mundi non fuisse mutationem, neque factam viribus naturæ: Aristoteles autem hìc quæsiuit principia rerum naturalium in fieri per veram & propriam transmutationẽ, imo ipse non cognouit primam productionem rerum, quippe qui putauerit generationes rerum procedere ab æterno, quare satis est, vt omnia, quæ fiunt per physicam transmutationem vnius in aliud, fiant ex his principijs.

Obijcies quartò. Causa efficiens, & finalis sunt principia non minus requisita, quam materia, & forma, et priuatio, ergo principia sunt plura tribus.

Respondeo distinguendo consequens; principia quomodocunque requisita concedo; principia intrinsecè componentia, nego consequentiam. Hìc autem quærimus solùm de principijs, quæ appellari possint elemẽta rerum naturalium hęc enim solùm hìc inuestigat Aristoteles, de alijs principijs disputat libro sequenti.

Obijcies quintò. Quantitas, et plura accidentia sunt intrinseca, et per se requisita naturaliter ad nouum compositum, ergo sunt prima principia intrinseca.

Respondeo totum hoc esse verum respectu compositi accidentalis, quod intrinsecè componitur à forma accidentali tanquàm à parte componente, si verò loquamur de composito substantiali distinguendum est antecedens, requiruntur per se, tanquam complementa, et proprietates permanentes à materia, concedo, tanquam per se constitutiua noui compositi substantialis nego; nulla enim

enim substantia componitur intrinsecè accidentibus tanquam partibus essentialibus ipsius, cum enim substantia sit prima radix omnium, quæ sunt in individuo, accidentia, quæ in ipso reperiuntur, emanant à substantia, & consequenter non sunt partes constitutiuæ substantiæ.

Dices. Saltem vnio substantialis, qua forma substantialis vnitur materiæ, est essentialiter constitutiua cõpositi substantialis, & vnio accidentalis est constitutiua compositi accidentalis, ergo datur quartum principium.

Respondeo negando consequentiam, quia vnio facit vnum principium cum forma, forma enim vnita materiæ est cõstitutiua compositi, non autem forma secundum se, immò vnio est ratio formalis principiandi formæ, quia forma prout vnitur est principium nouæ compositi.

Obijcies sextò compositum accidentale fit ex materia, & forma substantiali, & præterea ex forma accidentali, V. G. calidum fit ex materia, & forma ligni, calore, præcedente ipsius priuatione: præterea corpora mixta fiunt ex quatuor elementis, iuxta sententiam probabilem, & ex forma mixti, ergo non fiunt omnia ex tribus principijs.

Respondeo distinguendo consequens non fiunt omnia, vel mediatè, vel immediatè nego; immediatè concedo; dico enim, quod mixta, posito quod constent ex elementis; ratione partium fiunt ex his tribus principijs, quia partes mixti, nempè elementa sunt principiata ex his tribus, atque hoc est principiari mediatè, nempe mediantibus partibus constantibus ex principijs, quare omnia indigent ex his tribus principijs, vel ipsa immediatè, vel saltem ipsorum partes, elementa autem mixti non dicuntur prima principia, quia sunt principiata à materia, forma, & priuatione,

Ex dictis colligimus, hanc definitionem esse intelligendam de singulis principijs in particulari positiuè, hoc est quod vnum fiat ex tribus principijs, & aliud ex alijs tribus, adeoque tria sunt principia particularia cuiuscumq. rei particularis, non sunt autem tria principia particularia principia cuiuscunque compositi, quòd si accipias compositum in communi, possunt etiam accipi tria principia in communi.

A R

ARTICVLVS V.

Quomodo participent principia rationem communem principiandi.

PRæsens difficultas tota oritur ex priuatione, cum enim priuatio secundum id, quod intrinsecè dicit non ens, sit contradictoria formæ, non potest dari aliqua ratio communis materiæ formæ, & priuationi, esset enim illa ratio simul ens, & non ens.

Respondent aliqui rationem principij conuenire intrinsecè materiæ, & formæ; priuationi verò solùm extrinsecè cõuenire, & quòd intrinsecè conueniat materiæ, & formæ, patet, quia materia, & forma principiant compositum per se ipsa, dando se tanquam partes intrinsecas compositi, sed esse partes compositi est denominatio intrinseca materiæ, & formæ, ergo ratio principiandi ipsarum est aliquid intrinsecum ipsis. Quòd autem talis ratio principiandi sit extrinseca priuationi probant, primò impugnando dari posse rationem communem intrinsecam enti, & non enti. Secundò, quia ratio principij in priuatione est esse id, vndè aliquid fit, sed hæc denominatio est illi extrinseca. Minorem probant, quia hæc denominatio, nempe esse principiatum à priuatione est, quod compositum in fieri sit aliquo modo connexum cum priuatione immediatè antea præcedente, sed totum hoc est extrinsecum priuationi, ergo etiam denominatio. Ma. est certa, Mi. probatur, quia illud positiuum, quod fit se ipso, est connexum cum priuatione immediatè antea præcedente, sicuti visio parietis se ipsa est connexa cum pariete, ergo esse connexum cum priuatione immediatè antea præcedente est quid positiuum, & extrinsecum priuationi, et eam denominat extrinsecè principiantem, sicuti visio denominat extrinsecè parietem visum.

Secunda sententia dicit rationem principij conuenire intrinsecè materiæ, formæ, & priuationi, quia priuatio etiã vt nõ ens, est id, vndè aliquid fit. Cõsequẽter docet eadẽ sententia, abente, & nõ ente posse abstrahi rationem communem intrinsecam, quę realiter sit partim non ens, sed sub conceptu non explicante, neque rationem entis, neque rationem non entis, sed solùm confusè simul ens, & non eus significante, quod appellant rationem principij, potest afferri exemplum de ratione entis, quæ dicitur tàm de substantia, quàm de accidente, & tamen à parte rei, vel est accidens, vel substan-

ſtantia, licèt in conceptu non explicetur distinctè ratio ſubſtantiæ, & accidentis, vndè fit, vt ſub conceptu confuſo poſſit illud obiectū prædicari de ſubſtantia, & accidente, quare videntur benè ſaluari contradictoria, nam ſi petas quid eſt ratio principij, reſpondēt. à parte rei eſſe partim ens, partim non ens, in conceptu autem formali neutrum declarari, ſed ſolùm certificatur intellectus, quod obiectum illud ſit diſtinctum ab eo, quod procedit ab alio, hoc eſt ab eo, quod non eſt principium intrinſecum modo dicto.

Ex his duabus ſententijs, ſemper probabilior mihi viſa eſt ſecunda, ad cuius explicationem ſuppono principium poſſe accipi dupliciter, vel in actu primo, vel in actu ſecundo. Principium in actu ſecundo, eſt quod actualiter principiat de facto. Principium in actu primo eſt id, quod habet potentiam de facto principiandi, et præſcindit, an principiet de facto, an non; præſens quæſtio agit de principio in actu ſecundo, quia hoc cognito ſtatim cognoſcitur principium in actu primo, per illud enim, per quod actu principiat, colligitur eiuſdem virtus principiandi.

Aduertendum præterea; principiū denominari à principiatione actiua, eadem enim principiatio in rebus creatis dicitur actiua ſi conſideretur reſpectu principij, dicitur paſſiua ſi conſideretur reſpectu principiati: ſicuti actio reſpectu agentis eſt actiua, reſpectu paſſi eſt paſſiua.

Dico primò. Rationem principij eſſe intrinſecam inadæquatè priuationi, etiam vt eſt non ens, adeòq; dari rationem formalem principij intrinſecam tribus principijs.

Probatur concluſio, quia ſi accipiatur ſolùm poſitiuum, quod principiat aliquid de nouo, V. G. ignem, non habetur adæquata denominatio principij, ſed requiritur præterea aliquod negatiuum ad complendam hanc denominationem principij adæquatè, ergo ratio principij eſt intrinſeca partialiter priuationi. Conſequentia probatur, quia illa denominatio eſt intrinſeca partialiter alicui, quæ illud inuoluit tanquam partem ſui, ſed priuatio inuoluitur tāquam pars in denominatione principij; ergo ratio principij eſt partialiter intrinſeca priuationi. Antecedens probatur, quia quicquid eſt poſitiuum in compoſito in fieri, poteſt totum eſſe poſtquàm compoſitum factum eſt, quandò priuatio non eſt ampliùs principiū compoſiti cum ſolùm principiet ipſum infieri, ergo denominatio principij non poteſt eſſe ſolùm poſitiuum, ſed inuoluit aliquod negatiuum.

Dices. Principiationem priuationis eſſe quid poſitiuum adæquatè

quatè, solùm connotans priuationem antecedentem; sicuti visio parietis non componitur intrinsecè partialiter ex ipso pariete, sed illum connotat tanquàm aliquod sibi extrinsecum. Sed contrà est, quia illa connotatio, quam habet illud positiuum respectu priuationis, vel est ens, vel nõ est ens, si primùm, ergo remanente eodem ente positiuo, remaneret Connotatio, quod est falsum, quia remanet totum compositum positiuum, & non remanet denominatio, per quam dicebatur priuatio principiare, quando compositũ fiebat. Si dicas secundùm; ergo inuoluitur intrinsecè in ratione priucipij ipsa negatio, quod nos intendimus.

Exemplum de visione est contra Aduersarios, nam ordo, quem habet visio ad parietem, est denominatio tota intrinseca visioni, nec distinguitur ab eius entitate, vndè neque de potentia Dei absoluta potest existere visio parietis, quin existat illa denominatio, & connotatio At verò in casu nostro potest existere totum illud positiuũ, quod est in composito, absque eo, quòd connotet negationem immediatè antea præcedentem. Præterea est necessaria consequentia, existit visio parietis, ergo existit paries, at verò non est necessaria consequentia, datur totus ignis, ergo immediatè antea præcessit priuatio, quia post vnã horã existit idem ignis ante productus, & tamen tunc nõ verificatur; præcessit immediatè antea priuatio, ergo connotatio priuationis immediatè præcedentis non est adæquatè intrinseca in solo positiuo, quod sit, sed est partim illi intrinseca, partim intrinseca priuationi, est enim regula infallibilis, quod quoties posita aliqua entitate, alia verò, vel per possibile, vel per impossibile non posita, existit denominatio aliqua, illa alia entitas non est intrinseca denominationi. Contra verò, quando existente vno, & non existente altero; denominatio non existit, vtrumque est intrinsecum illi denominationi. Ita est in casu nostro, nam existentibus omnibus positiuis nunc non habetur denominatio priuationis immediatè antea præcedentis, sed requiritur ipsa existentia priuationis immediatè præcedentis, ergo talis existentia priuationis immediatè præcedens est intrinseca denominationi principij.

Dices secundò. Postquàm res facta est, non remanere illam primam durationem, in qua res erat in fieri, sed aliam diuersam, ergo per illam primam durationem, quæ tota erat positiua, habetur denominatio priuationis immediatè præcedentis. Sed contra est, quia duratio, vel denominatur prima à se sola, vel etiã ab aliqua negatione præcedente, non primum, quia si vna hora priùs fuisset res

aliqua producta, certè post illam horam fuisset eadem positiua duratio, in qua nunc dicitur primò producta, & tamen hæc duratio non esset prima, quia antecesit alia duratio vnius horę, ergo denominatio, per quam res dicitur prima, non est solùm ens positiuũ, sed inuoluit etiam priuationem, ergo licèt sit duratio de facto, quę sit prima, tamen denominatio prima non habetur solùm à positiuo. Totum hoc confirmatur exemplo cęnæ, hęc enim denominatio cęnæ non est adæquatè intrinseca comestioni, & extrinseca adęquatè tempori, sed partim est in comestione, partim in tempore, vndè potest dari comestio sinè tempore vespertino. Sed priuatio respectu principiationis se habet, sicuti tempus vespertinum respectu cęnæ, quia potest esse comestio, & non in tempore vespertino, & potest esse res principiata absque eo, quod immediatè antea præcesserit priuatio, ergo neque ratio principij est adæquatè in positiuo, sed inuoluit essentialiter ipsam principiationem antecedentem.

Idem etiam dicendum est de principio, & principiatione in actu primo; nàm quoties principiatio in actu secundò constat duabus partibus, etiam ambæ partes in potentia erunt actus primus, ita cęna in actu secundò est actualis comestio existens in tempore vespertino, & cęna in actu primò est potentia comestionis, & temporis vespettini, adeòque similiter si consideretur materia potens simul cum forma componere aliquod totum cum priuatione immediatè antea præcedente, erit principiatio in actu primò inuoluẽs etiam ipsam negationem.

Ad primam rationem primæ sententiæ, quòd scilicèt ratio principij esset ens, & non ens.

Respondeo posse optimè præscindi rationem principij ab ente, & non ente, quæ licèt realiter sit ens, & non ens, tamen non explicatur ratio entis, & non entis, sed solùm confusè attingitur ens, & non ens; solùm contradistinguendo obiectum ab ente, & nen ente, quod non principiat, sicuti ipsa ratio entis abstracta; licèt attingat accidens, & substantiam, tamen confusè illa obiecta declarat, solùm ea distinguendo à non ente, & ab ente ficto, non autem distinguendo accidens à substantia. Sententia enim, quæ negat præcisionem ex parte obiecti, admittit quidem diuersitatem in obiecto, & solùm dicit, quod ea diuersitas confusè explicatur à cognitione vniuersali, quid ergo est absurdi; quod ens, & non ens explicentur conceptu obscuro; nempè quatenùs sunt principia, in quo conceptu non distinguatur non ens ab ente, sed vtrumq; distinguatur ab eo, quod non principiat?

Dices

Dices primò. Non ens tollit quidquid dicit ens; sed ens, nempè materia, & forma, dicit rationem principij, ergo non ens tollit rationem principij.

Respondeo, quod non ens tollit quidem id, quod ponit ens; & ita non ens tollit formaliter per suum non esse id, quod ponit ens per suum esse, sed tamen potest ens, & non ens conflare rationem principij, dumniodò non ens præcedat tempore principiationem entis; sic in casu nostro forma ponit suum esse, & suam partem principiationis, non eodem tempore, in quo existit priuatio, sed tempore subsequente, quarè non ens non potest tollere id, quod ponit ens, ponimus enim ens existens diuerso tempore, ac existit non ens, quarè ratio principij, licèt cunflectur ente, & non ente; tamen non conflatur ente, & non ente simul existentibus, sed vno antecedente, altero subsequente. Eodem pacto respondetur, quod ens, et non ens sunt contradictoria, si simul existant. At verò si vnum existat priùs, alterum posteà, nulla sequitur contradictio, quæ semper habetur iuxta eandem mensuram durationis, non autem in diuersa mensura, & tempore.

Ad secundam rationem responsum est nostro argumento suprafacto, quo probauimus falsum esse, quòd principiare totū sit à materia subsistentari formam, et à forma informari materiam, cum totum hoc reperiatur etiam postquam compositum factum fuit, quarè denominatio principij inuoluit particulam primò, ad hoc autem, vt habeatur particula primò non sufficit entitas positiua rei, quæ fit, sed debet simul accipi ipsa entitas priuationis præcedentis; sicuti vt habeatur denominatio domus antiquæ non sufficit entitas positiua domus existentis, sed debet simul accipi duratio pręterita domus; hæc autem priuatio, quatenùs dicit non ens debet intrinsecè venire in ratione principij, siuè accipiatur in recto, siue in obliquo; adhoc enim, vt duæ res intrinsecè veniant in aliqua denominatione sufficit, vt altera veniat in recto, altera in obliquo, vt diximus in relatione de denominatione Patris, quæ intrinsecè conflatur, et ab ipso generante in recto, & à filio genito in obliquo.

Restat adhuc quærendum; an ratio principij intrinseca omnibus principijs sit ratio perfectè præscindens? Ad quam quæstionē. Respondeo affirmatiuè, ratio est, quia audito isto termino, principium, non magis relucet in intellectu hoc, quàm illud principium, neque apparet vllo pacto diuersitas, sicuti audito termino Animal, nulla apparet diuersitas in obiecto, nec enim magis certificor de

vna

vna specie principiorum, quam de alia, sed æquè prædico illũ terminum de singulis principijs particularibus, ergo illa ratio principiandi perfectè præscindit à particularibus. Præterea censeo posse dari rationem perfectè præcisam vniuersalissimam enti, & non enti, quæ ratio solùm certificet, quod obiectum non sit implicans existere, adeòque contradistinguat illud solum à chimærico, sed conceptus, qui solùm possit certificari de suo obiecto, quod illud non sit chimæricum, nullo pacto discernit differentias entis, & non entis realis, ergo talis conceptus perfectè præscindit ab ente, & non ente reali. Confirmatur hoc, quia si quis mihi dicat concipio aliquid, quod non est chimæra, in tali casu non possum dicere, tu concipis positiuum, neque possum dicere, tu concipis negatiuum, ergo non magis cognosco rationem entis, quam rationem non entis, sed vtramque concipio confusè, ita vt prædicem, tam de ente, quàm de non ente reali; possum enim dicere ens est id, quod tu concipis contradictorium ab ente chymærico, & possum dicere, non ens est, quod tu concipis contradictoriũ ab ente chimærico, esse enim cõtradictoriũ à chimæra, tã conuenit enti reali, quã ipsius negationi.

Dices primò. Cum concipimus principia, veniunt ens, & nõ ens sub disiunctione, sicuti cum dico Canis veniunt tres canes, sed contra est, nam in termino æquiuoco, sicuti est canis, non potest dari vna definitio, at de principio datur definitio, quæ omnibus conueniat, ergo signum est, quod confusè concipiantur omnia, & non formaliter disiunctiuè, quare intellectui tunc non relucet pluralitas.

Dices secundò. Ens, & non ens, nullam habent similitudinem, ergo non potest fieri vlla abstractio illis intrinseca.

Respondeo distinguendo antecedens. Nullam habent similitudinem fundatam in entitate totaliter positiua concedo; In entitate partim positiua, partim negatiua nego. Similitudo enim non est, quod vna entitas sit alia, sed quod aliquo modo non differant, hoc est habeant aliquas proprietates similes, seu quod distinguantur ab aliquo alio, cum ergo priuatio per suum esse abusiuum sit contradistincta à chimæra, & etiam res positiua sit cõtradistincta à chimæra, habent aliquod fundamentum in se, vt possint concipi conceptu totaliter confuso, qui non discernat ipsorum differentias, sed solùm contradistinguat illa obiecta à chimæra.

Neque dicas ens, & non ens esse maximè opposita, quia sunt cõtradictoria, ad hoc enim facilè respondetur, quod sunt maximè opposita in ordine ad existendum absolutè, si enim vnum absolute existit, alterum absolutè non existit, adeòque in ijs, quæ pos-

possunt absolutè existere, non dantur duo magis opposita, quam ens & non ens. At verò si consideremus obiecta, quæ non possunt absolute existere, neque habent vllam veritatem absolutè possibilem, sed solùm habent esse veritatem possibilem ex suppositione, hęc sunt magis opposita enti, & non enti, sed talia sunt entia chymerica, quę non possunt absolutè existere, ergo respectu istorũ habent maiorem oppositionem ens, & non ens, quam habeant inter se, & ita possunt accipi, vt contradistincta à chimeris, & non vt contradistincta inter se, quia magis opponuntur chymæris, quam opponantur inter se ens, & non ens, atque hoc sufficit ad defendẽdam rationem communem enti, & non enti.

Verùm præterea censeo, posse dari rationem communem etiã enti reali, & chymerico, quę ratio sit omnium prima, & vniuersalissima; ratio, quæ me monet est, quia licèt non possim contradistinguere ens reale, & chymericum ab aliquo alio, cum nihil aliud possit assignari præter ens reale, & chymericum, tamen possunt concipi ista duo obiecta diuersissima, cognitione adeò confusa, vt vnum non distinguatur vllo modo ab alio, nam possunt concepi hæc duo obiecta præcisè solùm, quatenus sunt apta cõcipi ab intellectu, sub quo conceptu neque explicatur ratio entis, siue positiui, siue negatiui, neque ratio entis chymærici, & tamen vtrumque obiectum concipitur, quia id, quod potest concipi ab intellectu non est solum ens reale, sed etiam est ens ficti, quare si vtrumque cõcipitur solùm in ordine ad cognoscibilitatẽ intellectus, seu ad potentiam cognoscitiuam intellectus, certè cognoscitur ita confusè, vt vnum ab altero non distinguatur vllo pacto.

Neque obstat, quod non detur aliud, à quo contradistinguatur ratio entis realis, & chymærici, nàm quod aliqua ratio vniuersalis sit talis, vt per eam obiectum cõtradistinguatur ab aliquo alio; solùm est necessaria, quando talis ratio habet supra se aliam magis vniuersalem; at verò si sit ratio vniuersalissima omnium, non debet esse talis, vt per eam obiectum contradistinguatur ab aliquo alio, & ratio à priori est, quia intantum obiectum contradistinguitur ab alio per aliquam cognitionem, in quantùm ea cognitio non est, maximè vniuersalis; sed relinquit aliqua obiecta, quæ per eam non cognoscantur, at verò, si nullum obiectum relinquat, quod ipsa non cognoscat, certè nihil remanet à quo contradistinguat obiectum à se cognitum, cum ergo ratio complectens ens reale, & chimæricũ complectatur omnia obiecta nullo relicto; non potest contradistinguere id, quod ipsa complectitur ab aliquo alio, potest tamen confusè cognoscere illa obiecta.

Dices

Dices: Non potest explicari, quid sit confusè cognoscere talia obiecta; nam confusè cognoscere obiecta est posse cõtradistinguere ab aliquo, et ab alio non contradistinguere; sic V. G. explicatur cognitio confusa animalis, quod scilicet per eam obiecta distinguantur ab inanimatis, non autem contradistinguantur inter se vnum ab alio.

Respondeo optimè explicari confusionem huius cognitionis præcisè cognoscentis ens reale, et chymericum, nempè considerando illa obiecta in ordine ad intellectum, quatenus sunt obiectum, in quod potest ferri intellectus, sicuti potest explicari aliquando conceptus confusus in ordine ad aliquod tertium, verbi gratia ratio animalis benè explicatur in ordine ad sensationes; quare si dicamus, quod talis vniuersalissima ratio explicet ens reale, et chymæricum solùm in ordine ad potentiam cognoscitiuam, tanquam ad aliquid obliquum, optimè explicatur confusio talis cõceptus præcisissimi, verè enim ens reale, et chymeeicum habet per suam entitatem veritatem aliquam obiectiuam, siuè conditionatã, per quam habet, vt intellectus possit illud concipere, ergo habet sufficienter, vt possit explicari in ordine ad aliquod tertium, nempe in ordine ad potentiam cognoscitiuam; quod satis sit in præsẽtia ex occasione principiorum.

QVAESTIO II.

De Materia.

DATA definitione de Principijs in communi, & eorum essentia explicata, agimus de illis in particulari, & primò quidem de materia, quę est primum subiectum omnium corruptibilium. Nomine autem materię hìc intelligimus illud ens incompletum, quod ex vno Composito transit in aliud, vt probauimus ex Aristotelis discursu, cum enim ex nihilo nihil fiat, quando fit aliquid de nouo, verbi gratia ignis ex ligno, si nihil remaneret ligni, ignis fieret adęquatè ex nihilo, ergo aliquid, quod erat in ligno, remanet in igne nouo, & facit vnum cum forma ignis, & appellatur materia, & potentia ad omnes formas; ex se enim est apta tàm ad recipiendam formam ignis, quàm formam ligni, vel alterius rei; appellatur autẽ materia prima ad distinctionem materiæ secundæ. Dicitur materia secunda materia dispositæ

cum

cum omnibus dispositionibus ad aliquam formam substantialem; V. G. materia habens calorem, & siccitatem in summo est materia disposita ad formam ignis, & dicitur materia secunda. Materia autem prima est illa substantia incompleta per se accepta, quæ transit de vno composito in aliud præscindendo à dispositionibus.

ARTICVLVS I.

Traditur, & explicatur definitio materiæ.

DEfinit Aristoteles hìc materiam textu 82. Materia est primum subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit per se, & non secundùm accidens, & si quid corrumpitur in hoc abibit vltimum. Hæc definitio, quam Aristoteles per transmutationem colligit, multas explicat materiæ proprietates. Dicitur enim primum subiectum vniuscuiusque, quia ante materiam non datur aliud subiectum, & simul excluditur materia secunda, quæ inuoluit particularia accidentia cuiuslibet formæ substantialis. Dicitur, ex quo fit aliquid, vt ostendatur, materiã esse causã cõpositi & formæ; dicitur, cum insit, ad excludendam priuationem, quæ non remanet in composito, & ad significandum modum essendi partis componentis. Dicitur, per se, & non secundùm accidens, ad excludendam quantitatem, & reliquas dispositiones accidentales, denique per particulas vltimas, si quid corrumpitur in hoc abibit vltimũ, declaratur, quod materia est incorruptibilis, et ingenerabilis naturaliter; sẽper enim vltimum, quod remanet de composito corrupto, est materia, quamuis reliqua omnia pereant, et ita si V. G. corrumpitur lignum præscindendo ab eo, quod de nouo generatur; lignum abibit in materiam, quia sola materia remanebit de ligno corrupto.

Aliam definitionem materiæ tradit Arist. 1. Metaph. tex. 8. Materia neque est quid, neque quantum, neque quale, neq. aliquid aliud, neque horum negationes, sed id, de quo omnia prædicantur; sensus autem definitionis est, quod materia non sit vllum ex prædicamentis, quia non est quid, hoc est non est substantia, vox enim, quid, substantiam significat, quæ ponitur in prædicamento, nempè substantiam completam, neque est in prædicamento quantitatis, neque in prædicamento qualitatis, neque in reliquis prædicamentis, et tamẽ est positiuum, quia non est negatio prædicamentorum, et præterea est subiectum omnium formarum. Hæc definitio, quamuis tradita per negationes, tamen si bene intelligatur est optima. Debet autem

intelligi per negationes radicales, hoc est per exigentiam, quam habet materia essentialiter, vt ipsa per se non sit substantia completa, neque quantitas, neque qualitas, nec in vllo ex reliquis prædicamentis, et præterea, quod non sit pura negatio, et denique per exigentiam, vt omnes formæ materiales possint de ipsa prædicari.

Ad meliorem explicationem. Aduertendum est, quod materia potest dici denominatiuè quanta, qualis, animata, et informata quilibet forma materiali, non autem potest ita dici per suam solam entitatem quanta, vel qualis etc. quia non habet in se, id quod formaliter constituit concretum quantum, quale etc. vndè sensus est, quod materia exigit non esse vllum ens determinatum cuiuscunque prædicamenti. Quando autem dicitur, quod omnes formæ possint de illa prædicari, debet intelligi, quod possint prædicari denominatiuè, et in concreto, et sic dici posset materia est quanta, est ignita, est animata etc. in quibus prædicationibus prædicantur formæ in concreto, nempe quantitas, forma ignis, anima etc. Ex hac ergo duplici exigentia essentiali materiæ, nempe, quod non sit prædicamentum determinatum, et præterea, quod sit subiectum omnium formarum, optimè explicatur essentia materiæ.

Dices: Prima pars definitionis sufficit, nam id, quod neque est quid, neque quantum etc. aliud esse non potest nisi materia; ergò secunda pars definitionis est superflua.

Respondeo, negando simpliciter ant. nam possumus adhuc dubitare, vtrum possit aliquid dari, quod neque sit substantia, neque ponatur per se in illo prædicamento, et tamen non sit materia, V.G. indiuisibile quantitatis, nempè punctum in sententia, quæ illud admittit, neque est substantia, neque quantum, nec est in cæteris prædicamentis, et tamen non est materia; ergo secunda pars non est superflua; neque est superflua prima pars, quia formæ materiales possunt prædicari de toto corpore, si accipiantur in concreto, cum dici possit corpus est igneum, est quantum, et tamen totum corpus non est materia prima: ergò tam prima, quam secunda pars est necessaria ad hanc definitionem.

Petes. An materia sublunaris, hoc est corporum, quæ sunt sub Cælo vsque ad centrum terræ, quam hic definit Aristoteles, sit vna numero?

Respondent aliqui Thomistæ esse quidem vnam numero, sed negatiuè, non autem positiuè. Esse vnum numero negatiuè per ipsos est, quod licèt sint duo positiua à parte rei, tamen non habent repugnantiam, vt ex illis fiat vnum positiuè: sic duæ guttæ aquæ altera in

India,

India, altera hic dicuntur ab ipsis una gutta negatiuè, quia non repugnat illis coalescere in vnam. Hæc responsio non placet, quia, quamuis verum sit, quod nō repugnet ex duabus guttis, & ex duabus materijs, fieri vnam, tamen ex hoc nullo modo potest dici, quod duæ guttæ sunt vnum negatiuè, nam conceptus vnius est, quod res sit indiuisa in se, & diuisa à quocunque alio, non autem quod duo non repugnet esse vnum; quarè terminus, negatiuè, est terminus distrahens, cæterùm de re non possumus dubitare, quia materia Petri non est materia Pauli, vt per se patet.

Dices Aristoteles 7 Metaph. c. 3. definit materiam esse id, ex quo inexistente aliquid fit, sed ex forma etiam inexistente in toto fit totum; ergò materia non distinguitur à forma.

Resp. ibi Aristotelem definire causam materialem, non autem definire materiam primam, vt talis est, causa autem materialis est illa, ex qua fit aliquod, & quod ipsa intrat tanquam pars componens rem, quæ fit, qui conceptus conuenit omnibus partibus componentibus, etiam formis, vt suo loco explicabimus.

ARTICVLVS II.

An materia sit substantia completa.

DVos sensus potest habere hæc quæstio. Primus est, An materia sit corpus simplex, quomodo aliqui cum Auerroe dicūt esse Cœlum, quod corpus per se ponitur in prædicamento substantiæ, vt ens completum. Secundus est, an materia sit composita, ex vna parte materiali, & ex forma corporis, quæ solùm illi tribuat gradum corporis, & reddat corpus, hanc autem formam corporis qui ponunt, appellant formam corporeitatis, & dicunt esse coæuam materiæ, hoc est quod simul fuerit producta cum materia, & semper in ea remanserit.

Dico primò. Materiam non esse corpus simplex; est communis sententia contra antiquos Philosophos. Probatur quia si esset corpus simplex, vel esset substantia completa in ratione substantiæ, vel non. Si dicūt secundum, solùm esset quæstio de vocabulo, quòd vellent appellare corpus aliquod ens completum, quod non ponitur per se in prædicamento substantiæ, nos autem nomine corporis intelligimus id, quod per se ponitur in prædicamento substantiæ, adeoque male loquuntur. Si materia esset substantia completa in ratione substantiæ, sequeretur, quod non faceret vnum substantiale

cum forma adueniente, quod est absurdum, quia tolleretur omnis productio substantialis. Sequela probatur, quia id, quod est completum in aliqua ratione, non facit vnum per se in eadem ratione cum forma adueniente, sed in ratione substantiæ, & corporis materia esset completa; ergò simul cum forma ignis, V. G. non faceret vnum in ratione substantiæ, & corporis.

Dices primò. Materiam esse substantiam completam in ratione substantiæ, non autem in ratione talis substantiæ, v.g. ignis, vel ligni; adeoque completur in ratione talis substantiæ. Sed contra est, quia si forma ignis ponitur in substantia completa in ratione substantiæ, ignis erit compositum accidentale in ratione substantiæ, sicuti est calidum; ideò enim calidum est compositum accidentale, quia inuenit substantiam iam completam in ratione substantiæ; ergo etiam forma ignis adueniens substantiæ per se completæ in ratione substantiæ, facit compositum accidentale. Secundò contra est, quia si forma ignis dat esse tale corpus materiæ, certè dat etiam esse corpus; indiuiduatio enim non distinguitur realiter à gradu superiori; ergò per illam entitatem, per quam materia est tale corpus, per eandem etiam est corpus; adeoque frustra poneretur forma illa corporeitatis, per quam materia esset corpus.

Dices secundò. Multi dicunt, quod forma mixti, v.g. forma ligni adueniat elementis, nempè igni, aquæ, & cæteris, & tamen non facit vnum accidentale, ergò etiam si forma adueniat materiæ, cõpletæ in ratione corporis, non facit vnum accidentale.

Respon. primò, quod hæc sententia propter hoc idem argumentum non probatur, sed quidquid sit de illa: dico secundò, quod in sententia horum Auctorum videtur omninò consequens, vt dicant formam ligni facere quidem vnum per se in ratione mixti, non autem in ratione corporis: nam est per accidens corpori, vt corpus est, quod sit mixtum: si enim forma adueniens materiæ solùm faceret vnum per se in ratione talis corporis, & supponeret materiam completam in ratione veri corporis, poneremus in natura aliquod frustra, nempè quod detur duplex ratio corporis simplicis, alia facta per formam corporeitatis, alia constituta per formas particulares, nullũ autem habemus indicium talis corporis antecedenter ad formas particulares, at verò habemus indicium, quod antecedenter ad formam mixti ignis sit corpus, & aqua sit etiam corpus, & idem dico de aëre, & terra, videmus enim, quod ista per se subsistunt, & non videmus, quod materia per se subsistat sinè forma particulari, sed cum sola forma corporeitatis.

Dico

Digitized by Google

Dico secundo. Materia nullam habet formam in se antecedenter ad formas particulares, est communis sententia S. Thom. prima par. quæst. 76. art. 3. & alibi, & Thomistarum, quos citat Pater Suarius disp 13. Metaph. sect. 2. num. 12. est etiam Themistij, Philoponi, & aliorum contra Auicennam lib. 1. sufficientiæ cap. 2. & alios paucos, qui partim ponunt in viuentibus, partim in solo homine.

Probatur Conclusio primò, quia talis forma corporeitatis non daret solùm esse corporis in communi; ergò daret esse corporis in specie determinata, imò & in indiuiduo, quod est absurdum, quia forma ignis esset accidentalis corpori in ratione talis corporis; probatur ant. quia talis forma est indiuidua, quia non datur aliquid à parte rei vniuersale; ergò non solùm daret esse corporis, sed etiam esse talis corporis: probatur vltima consequentia, nam forma totũ id tribuit subiecto, quod habet in se, sed in se non solùm habet esse formam corporis, sed esse talem formam, quia est indiuidua; ergo dat tale esse corpori. Confirmatur à pari, quia hæc numero forma ignis, nõ solùm dat esse ignem composito, sed esse hunc ignem, quia in se est hæc forma; ergò hæc forma corporeitatis, quæ est in homine, cum non sit illa, quæ est in cane, dat tale esse corporis indiuiduũ, quod altera non dat: probatur secundò, quia forma ignis sufficienter dat esse corporis: ergò superflua est alia forma antecedens, cum enim inferius contineat in se rationem superiorem in eadem linea prædicamentali, certè ignis continebit corpus, & forma ignis formam corporis tanquam rationem sibi superiorem. Denique probatur, quia argumenta aduersariorum, quę probant dari formam corporeitatis cœuam materiæ, probant etiam, vt ante formam corporeitatis fuerit alia forma, & ante hanc fuerit alia, & sic in infinitum, ergo nimis probant, & ideo nihil valent.

Obijcies primò Aristotelem, qui 9. Metaph. textu 20. ait omnia per actum cognosci, si ergo materia est ens cognoscibile, habet actũ, per quem cognoscatur, sed actus est forma, ergo habet formam.

Resp. Ibi Aristotelem docere, quod ea, quæ sunt potẽtia, benè cognoscuntur si reducantur ad actum, quia vt benè explicat S. Thom. tunc inuenitur eorum veritas: nõ autem asserit, quod quidquid cognoscitur debet habere formã physicam: quod si Arist. hic tex. 66. & alibi dicit, materiam esse hoc aliquid, loquitur in comparatione priuationis, quæ est non ens: imò 12. Metaph. textu 14. dicit materiam esse hoc aliquid in apparentia, nõ quod sit realiter tota substantia completa, sed apparet, ac si esset substantia, & addit, substantias esse tres, materiam, naturam, hoc est formam, & singulare compositum

positum ex his: quare sicuti forma non est substantia completa, neque erit materia.

Objicies secundò. Quantitas est passio corporis: ergò si materia requirit quantitatem est corpus.

Resp. distinguendo ant. quantitas est passio corporis solius nego, est passio etiam illius entis, quod habet partes entitatiuas concedo, & nego consequentiam, quamuis omne corpus exigat quantitatem, vel illud sit compositum ex materia, & forma, vel sit simplex, tamen ideo eam exigit, quia habet partes entitatiuas, quarum vna exigit esse extra aliam, & non penetrari cum alia, quod per quantitatem habetur formaliter, sed etiam materia per se accepta habet tales partes entitatiuas: ergo exigit eandem quantitatem, quamuis ipsa non sit corpus.

Dices omnia accidentia sunt propter formã: ergo illã sequuntur, ergo quantitas sequitur aliquam formam in materia, sed hæc non est alia, nisi forma corporeitatis, quia antecedit omnes alias particulares formas, ergo datur talis forma corporeitatis.

Resp. negando primam consequentiam; falsum enim est, quod quidquid est propter aliquid, sequitur illud in executione, sed solùm sequitur in intentione, itaut prius intendatur tanquam finis id, propter quod aliud fit, quam id, quod fit propter aliud, at in executione sæpe fit vice versa: prius ponitur id, quod fit propter aliud, quàm id propter quod aliud fit, & sic finis est prior in intentione, media sunt priora in executione: cum ergo materia sit essentialiter ordinata ad formam, & ad compositum, quidquid illi conuenit, est etiam ordinatum ad formam, conuenit autem quantitas materiæ, etiam prius natura, quàm forma, quia materia habet partes entitatiuas secundùm se accepta, & sic exigit secundum se quantitatem tanquam proprietatem partium entitatiuarum.

Objicies tertiò. Materia sicuti semper habet quantitatem, sic etiam semper est corpus, nec illi vnquam corrumpitur ratio corporis: ergò si quantitas est coæua materiæ, erit etiã coæua forma corporeitatis. Resp. quod non eodem modo materia habet semper quantitatem, ac habet rationem corporis, nam quantitas in nouo composito est eadem, quæ fuit in corrupto, at verò ratio corporis fit semper de nouo in composito: cum enim forma noua det gradum corporis, etiam gradus corporis est de nouo, quare omnes gradus Metaphysici in nouo composito sunt de nouo, quia sunt identificati saltem partialiter cum forma noua. Cæterùm, an anima rationalis det gradum corporis, agetur in Libris de Anima.

ARTI-

ARTICVLVS III.

An materia habeat propriam existentiam.

HÆc quæstio, celebris inter Thomistas, & Scotistas, pendet à alia quæstione, quod essentia distinguatur realiter ab existentia, quam quæstionem infra examinabimus, postquam egerimus de actione. Qui non admittunt essentiam distingui ab existentia dubitare non possunt, quod existentia materiæ non sit existentia formæ, cum enim essentia materiæ non sit essentia formæ, & idem sit essentia, & existentia, consequens est euidenter, quod existentia materiæ non sit existentia formæ, quare hæc quæstio non potest habere locum, nisi posito, quod essentia realiter distinguatur ab existentia, nec videtur intelligibilis Durandus in 2. dist. 12. quæst. 2. qu etiam si non distinguat essentiam ab existentia, tamen asserit materiã existere existentia formæ, nisi fortasse solùm velit dicere, materiã non existere, nisi dependenter à forma, quod est valdè diuersum.

Pro explicatione quęstionis pręmittendum est primò ex Metaphysicis. Essentiam rei esse conceptum obiectiuum eiusdem rei, seu id, quod venit ex parte obiecti, quando res concipitur, hoc autem prescindit, an existat, vel non existat, quarevt sit existens, vel debet aliquid aliud concipi, per quod formaliter existat: vel certè debet diuerso modo idem concipi: in prsenti quęstione supponimus id, quod infra omnino negandum est, nempè supponimus illã entitatem, per quam essentia rei existit, esse distinctam ab ipsa essentia, sicuti albedo, per quam formaliter paries est albus, realiter distinguitur à pariete.

Aduertendum secundò, quod dupliciter potest accipi materia, primò secundum se, tanquam aliquod ens imperfectum, & semisubstantia. Secundò, vt est in aliqua specie completa, v.g. in specie ignis, lapidis, & sic de cæteris: certum est autem apud omnes, quod materia ad hoc, vt existat in aliqua specie completa requirit existentiam formę, nec est prsens quęstio ad quærendum, per quid materia existat in specie determinata, sed solùm per quid existat, vt quid incompletum, & vt semisubstantia per suam ne existentiam propriã? an per existentiam formæ? Prætera, neque quærimus nunc an existentia formę requiratur tanquam causa existentię materię, de qua re infra agemus libro sequenti; sed solùm quærimus an existentia materię sit idem cum existentia formę.

His

His præmissis. Prima sententia dicit materiam nullam habere existentiam suam, sed existere existentia formæ, quam habet actu, et quia corrupta vna forma aduenit alia, hinc fit, vt nunquam desinat materia existere per aliquam existentiam. Ita communiter sentiunt Thomistæ, Caietanus de ente, et essentia cap. 5: quæst. 8. et alibi, qui oppositam sententiã dicit errorem esse intolerabilem, sed in hac re ipse videtur intolerabilior. Capreolus in 2. dist. 12. quæst. 2. Ferrar. contra gentes cap. 4. et 1. Physic. quæst. 11. Durandus loco supracitato, Scotus hic quæst. 9. Soncinas 7. Metaph. quæst. 17. Zabarella, Zimara, Aquillinus, et alij. Citantur pro hac sententia multæ auctoritates S. Thomæ, quæ tamen explicantur à multis, quod agant de existentia totius, seu in specie determinata, quod certè habet materia ab existentia formę.

Secunda sententia dicit, materiam habere suam existentiam incompletam; quia est substantia incompleta, ita Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. et 2. et 5. Metaph. quæst. 5. Scotistæ communiter. Præterea nominales, quos citant, et sequuntur P. Fonseca 1. Metaph. cap. 7. quæst. 3. sect. 8. Valentia in pr par. disp. 3. q. 1. Vasquez ibidem disp. 12. cap. 3. Toletus 1. Physicor. q. 13. Suarius disp. 13. Metaph. sect. 4. et 5. Pererius lib. 5. Philosophiæ cap. 13. Molina prima parte quæst. 3. disp. 12. Rubius, Hurtadus, Conimbricenses, Arriaga, Ouiedus, et alij communiter.

Verum antequam nostram sententiam proferamus, est adhuc diligenter aduertendum, quam suppositionem facimus, quando supponimus essentiam distingui ab existentia: oportet enim, vt semel facta suppositio non impugnetur, neque mutetur, sed semper in eodem sensu firmiter accipiatur: Et quia hæc suppositio est omninò falsa, et absurda; facilè est, vt ab aliquibus in vno sensu accipiatur, ab aliquibus in alio. Quadrupliciter, quantum videre potui, explicari potest sententia admittens distinctionem inter essentiam, et existentiã cuiuslibet rei creatæ. Prima explicatio est, quod tota actualitas rei sit existentia, et essentia de suo nihil dicat actualitatis, sed sit pura potentia in ordine ad omnem actualitatem. Ita videntur sentire mulei cum Thomistis, et argumenta eorum, si quid probant, hoc probant: dicunt enim, rem esse actu formaliter per existentiã, vndè inferunt, quod materia, neque diuinitùs possit esse per se: ergo formaliter esse actu habetur per actum, nempe per formam; quod si petas, quid sit illa alia pars, nempe essentia, quæ coniungitur cum existentia, est ne res actualis, an purum nihil? nihil ipsi declarant quid sit, sed ex vno capite deberet esse purum nihil, cum de se non habeat

habeat actualitatem, ex alio capite deberet esse aliqua realitas actualis, quia purum nihil non potest componere cum existentia aliquid positiuum, vt bene probat Suar. tom. 2, Metaph. disp. 31. sect. 5. Verum, vt dixi, hoc non asseritur à Thomistis negantibus omne esse actuale essentijs rerum de se. Videatur Caietanus de ente, & essentia, cap. 5. quæst. 8. vbi dicit, Est impossibile, rem esse actu sine actu, actus autem primus, cuius est dare esse, idem est, ac forma.

Secunda Explicatio esse potest, quod essentia prout contradistincta ab existentia non sit purum nihil actuale, sed sit ens actuale de se, sed per quandam actualitatem, ita exilem, & debilem, vt non possit ipsa per se terminare actionem vllam productiuam, sed simul cum existentia terminet actionem, quare actio agentis simul terminatur ad existentiam, vt terminum primarium, & ad essentiam, vt secundarium, dando illi efficienter illam actualitatem exilem, ac debilem, atque insufficientem denominare rem simpliciter extra causas, & existentem, sed solum denominabit aptam componere rem existentem, si coniungatur cum existentia; atque hæc explicatio videtur magis intelligibilis, quam prima.

Tertia. Explicatio est, quam afferunt PP. Arriaga, Ouiedus, & alij, nempe explicantes suppositionem de distinctione inter essentiam, & existentiam; quod vtraq; habeat de se suam actualitatem, & talem, vt possint dari duæ actiones distinctæ, altera terminata ad solam essentiam, altera terminata ad solam existentiam; hæc explicatio est maximè intelligibilis, sed non videtur apta ad intentum Auctorum, ponentium existentiam superaddi essentiæ, qui semper docent essentiam de se non habere actualitatem, id autem, quòd per se terminat vnam actionem agentis per se, certè illam terminat per suam actualitatem, sed, vt dixi, hoc prouenit ex absurditate talis distinctionis.

Quartò, denique posset accipi nomine existentiæ ipsa duratio rei, per quam durat, sic accipiunt aliqui recentiores, citantes pro se antiquiores etiam auctores, sed quidquid sit de hac quæstione, quæ videtur de nomine potius, quàm de re quo ad hoc punctum, & quam suo loco impugnabimus. Certè supponimus hanc etiam explicationem in præsenti.

His positis; hic non facimus quæstionem faciendo suppositionem iuxta quartam explicationem; nam si illam suppositionem faceremus, tota quæstio in sensu reali esset, an materia, et forma durent per vnam durationem, an per duas, quæ quæstio non est huius loci, sed eam reijcimus ad quæstionem de duratione, vbi de hoc videbimus.

Dico primò, iuxta primam, et secundam explicationem; materiã habere propriam existentiam, etiam posito, quod existentia distinguatur ab essentia. Probatur primò, ex Arist. hìc textu 66. vbi dicit, quod eadem numero materia transit ab vna forma in aliam, sed si materia non haberet propriam existentiam, non esset eadem numero, ergo eam habet. Minor probatur, quia vnitas numerica sumitur ab esse actuali, ergo vbi est diuersa actualitas, hoc est existentia, non potest per seuerare eadem vnitas: præterea textu 82. dicit materiam esse propè rem, et substantiam aliquo modo, quia vt explicat ibi S. Thomas, materia est in potentia ad rem, hoc est ad totum, & intrat in constitutionem substantiæ; ergò non debet illi ex Arist. denegari existentia incompleta, quia si per existentiam formæ existeret, nullo modo per se esset substantia, alia loca videri possunt apud Suarium loco citato, præsertim sect. 5. num. 11.

Secundò probatur ratione, quia si materia existeret per existentiam formæ, materia non esset creata, sed producta ab agente naturali, consequens est falsum; ergò, & ant. Sequela probatur, quia per eam actionem ponitur res extra causas, & in actu existens, per quã ponitur eius existentia, sed actio, per quam ponitur existentia formæ, est productio, & non creatio; ergo si materia existit per existentiam formę, ponitur extra causas, & actu per productionem agentis creati. Minor videtur certa; nam actio agentis productiua formæ intrinsecè attingit, & ponit ipsam formæ existentiam; cum existentia formæ non creetur à solo Deo, Maior probatur; nam vel res est formaliter actu per existentiam, tanquam per formam reddentem illam actu existentem, vel per se ipsam, si dicas secundum, iam non distingnis realiter existentiam ab essentia, nam esse actu formaliter est existere; si dicas primùm; ergò per eam actionem ponitur in actu, & extra causas quælibet res, per quam actionem ponitur eius existentia, sicuti per id ponitur in actu album, per quod ponitur albedo in subiecto, quæ est ratio formalis albi.

Neque dicas cum Ouiedo contr. 2. phys. puncto 5. num. 8. posse dari duas actiones, alteram terminatam ad essentiam, alteram ad existentiam, quarum prima sit Creatio, non autem secunda, nam idcircò superius distinxi inter varias explicationes, quæ possent fieri de distinctione inter essentiam, & existentiam, & conclusionem posui iuxta primam, & secundam explicationem; quæ ambæ non concedunt actionem vllam posse terminari ad essentiam, quin terminetur etiam ad existentiam. At verò quid sequatur facta suppositione iuxta tertiam explicationem, mox videbimus.

Secun-

Digitized by Google

Secundò, eidem argumento possent respondere admittendo, quod materia generaretur, sed negando hoc esse absurdum, posita enim mutua causalitate inter materiam, & formam, quid est absurdi, quòd in eodem instanti producatur forma dependenter à materia, & materia dependenter à forma, in tali enim casu materia nō crearetur ex nihilo, quia licèt nō fieret depēdenter ab aliqua materia, tamen fieret dependenter à forma, & ita saluaretur non fieri ex nihilo, quod solùm saluandum est, ne dicatur propriè creari.

Præterea dici potest, quòd productio materiæ essentialiter requirat præexistentiam materiæ pro tempore antecedenti, quæ certè non requiritur ad creationem.

Sed contra est primò, quia hæc responsio prorsus eneruat totam doctrinam, & rationem Aristot. qua probatur, debere dari materiā, eo quod aliquid debet transire ex vna forma ad aliam, sed per te, iam nihil transiret, quia tam forma, quam materia per te fierent de nouo; ergò destrueretur Arist. demonstratio: quòd autem præcesserit tempore antecedēti alia existentia materiæ, nihil adiuuat agens in hoc instanti, quia iam per te nihil illius entitatis est in hoc instanti; ergò est adminiculum planè ridiculum concedere materiam antecedenter ad operandum, & quando agens operatur carere eo adminiculo: si enim Deus mihi daret vires vt centum ante hoc instans, & in hoc instanti me spoliaret illis viribus, quid nunc caperem emolumenti ad operandum nunc ex illis viribus præteritis? sed ita se res habet in casu nostro: ergò agens nihil adiuuaretur à materia præterita.

Secundò, impugnatur, quia in tantum requiritur materia, in quantum debent produci in ea dispositiones: ergò si materia tota de nouo fit, frustra productæ sunt dispositiones in materia antecedenti. Probatur consequentia, quia accidentia non possunt transire de nouo subiecto in aliud, vt hìc suppono, & omnes concedunt: ergo accidētia producta deberent nunc perire, et alia de nouo produci: ad quid ergo facta fuit productio illa dispositionum, et accidentium in materia peritura? ergo dicendum est, quòd eadem materia remaneat, et consequenter perseueret eadem existentia.

Tertiò, impugnatur eadem responsio, nam quando dicis, quòd forma adiuuat agens ad materiam producendam, peto, an adiuuet per solam essentiam, an adiuuet etiam per existentiam? neutrum dici potest: ergò non adiuuatur à forma ad materiam producendam. Si dicas adiuuari ab essentia sola formæ, contra est, quia hoc pacto nulla res crearetur, quando enim fit Angelus à Deo, essentia An-

geli adiuuaret ad ponendam existentiam eiusdem Angeli, sicuti per te essentia formæ adiuuat agens ad ponendam existentiam eiusdem formæ, quæ per te est existentia materiæ: ergò si propter hoc adiuuamen materia non dicitur creari, neque Angelus crearetur, quare, vt forma adiuuet agens ad materiam producendam, debet ipsum adiuuare per existentiam. Si dicas adiuuari agens ab existentia formæ ad ponendam materiam; contra est, quia existentia formę deberet adiuuare agens ad aliquid ponendum: ad quid ergo adiuuat? non adiuuat ad ponendam existentiam materiæ, quia per te non datur diuersa ab existentia formæ, neque adiuuat ad ponendam essentiam materiæ, quia etiam hoc pacto adiuuaret existentia Angeli ad ponendum Angelum, et sic essentia Angeli non crearetur ex nihilo, quòd non admittis: quare, vt existentia formæ adiuuaret agens ad materiam producendam, deberet agens producere aliam existentiam, ad quam producendam adiuuaretur ab existentia formæ. Hinc satis patet mutuã causalitatem nihil iuuare ad negandam existentiam materiæ, quia solùm probat existentiam formæ adiuuare agens ad existentiam materiæ ponendam: vnde potius colligeretur dari duplex existentia, altera formæ, altera materiæ, est enim principium irrefragabile, etiam in diuinis, quod vbi cunque datur producens, et productum, detur realis distinctio, quare si existentia formæ aliquo modo causaret materiam, deberet distingui ab existentia materię.

Probatur tertiò conclusio, quia si daretur materia existens formaliter per existentiam formę, materia causaret se ipsam etiam in genere causæ materialis, quòd aduersarij non admittunt, implicat enim, quòd idem sit vera, et physica causa sui ipsius.

Sequela probatur, quia in tantum materia causat formam, vt causa materialis, in quantum causat existentiam formę, nempè eam entitatem, per quam formaliter existit forma, sed etiam causat per te existentiam, qua ipsa materia formaliter existit: ergò causat se ipsam in genere causę materialis. Minor est certa per Aduersarios, cum per eamdem existentiam existant formaliter forma, et materia. Maior probatur, quia materia in genere causæ materialis non causat essentiam formę, cum essentię non causentur secundum se, sed solùm ratione existentiæ, hoc est ponantur in actu formaliter per existentiam: ergo tota ratio causandi consistit in causanda existentia. Confirmatur, quia ponamus, quod existentia formæ non causetur à materia, in tali casu procul dubio materia non esset causa materialis respectu formę, sicuti euenit in homine, cuius anima nõ

causa-

causatur à materia; ergò tota ratio causandi est dare alicui existentiam, sed per te materia dat sibi existentiam in genere causæ materialis; ergò se ipsam causat in eodem genere causandi.

Dices cum eodem Ouiedo, hoc argumentum habere instantiã; nam in hac sententia distinguente essentiam ab existentia, semper existentia subiectatur in essentia, neq; per hoc res non dicitur creari, V.g. existentia Angeli pendet tanquam à subiecto ab essentia Angeli, & tamen Angelus creatur. Sed contra est; nam non concedent aduersarij, quòd existentia Angeli non creetur, sed educatur; hoc enim ipso ponerent duas actiones distinctas, alteram creatiuam essentiæ Angeli, alteram eductiuam existentiæ eiusdem, adeòque non persisterent in explicatione suppositionis factæ; sed potius deberent dicere, actionem, terminatã ad existentiã Angeli, esse veram creationem, & per se ipsam aliquo modo impropriè pendere ab essentia, quatenus eam exigit, vt actuet. At verò actio, qua producitur existentia formæ, est omnino formalissima eductio, cum existentia formę nullo modo creetur per aduersarios, siue ergo habeatur hoc, quia eius essentia pendet à materia, siue ex quocunque capite, certè negari non potest, eam existentiam non esse creatam, sicuti nõ creatur existentia Angeli; ergò habet vim argumentum nostrum iuxta has explicationes suprapositas.

Dico secundò. Si supponatur tertia explicatio, nulla apparet ratio conuincens, quòd materia habeat propriam existentiam. Probatur, quia supposito, quòd essentia materię per suam entitatem propriam sit actu, & terminet per suum esse actionem creatiuam, si rectè philosophari velimus, non pendet à forma, sed solùm illam naturaliter exiget, imò essentialiter exiget aliquam existentiam pendentem à se, vt à subiecto; ergò ipsa per suam entitatem esset causa accidentium, quæ substentaret, & non deberent perire, quando ex ligno fit ignis, quia cum ipsis transit subiectũ eorũ in lignum, nempè transit ipsa entitas essentiæ, quæ est sufficiens subiectum illorum accidentium; ergò corruũt omnia argumenta suprafacta, si admittatur talis explicatio.

Dices. Accidentia subiectantur etiam in existentia materiæ; ergò, ea peruente, debent perire; sed contra est, quia si semel admittis actualitatem essentiæ materiæ terminantem actionem creatiuam, & rectè velis philosophari, ipsa erit sufficiens ad sustentanda accidentia, & existentia ab eo distincta solùm ponitur iuxta hanc suppositionem, vt bona socia, quæ ipsam essentiam comitetur, ne sola exeat extra causas sine consortio existentiæ. Quare tota difficultas

erit

erit, quod videatur superflua existentia distincta iuxta hanc explicationem, sed si semel admittatur, deuoranda erit hæc difficultas, quæ iam supponitur; & solùm philosophari tenemur consequenter ad suppositionem factam. Cæterùm hæc suppositio non videtur vera, neque ad rem, si enim essentia per suum esse terminauit adæquatè creationem sui, per suum esse sufficienter existit, nec indiget alia existentia. Hinc communiter Auctores, qui putant distingui essentiam ab existentia, non ponunt actionem vllam solùm terminatam ad essentiam, & aliam solùm terminatam ad existentiam, verùm, vt dixi, hoc posito non apparet vllum absurdum nec vlla ratio ex dictis conuincit, quod essentia materiæ debeat existere per suam propriam existentiam.

Dices, cum Arriaga hic sect. 5. facta etiam hac suppositione iuxta tertiam explicationem; est conformius rerum naturis, vt singula habeant suam propriam existentiam; sed respondetur cum distinctione, si natura, seu essentia sit ex se indifferens ad varias species completas, vt est materia, nego; Si sit determinata ad vnam speciem completam, concedo, quid enim est absurdi, quod essentia de se indifferens, vt sit ignis, & aqua, æquè bene conformetur cum existentia formæ ignis, & cum existentia formæ aquæ? Hinc soluitur secunda ratio, quod ridiculum sit materiam toties mutare existentiam, vbi enim datur indifferentia, datur optima ratio mutandi aliquod complementum requisitum ad existendū iuxta varias formas; aliæ rationes manent solutæ ex dictis; nam materia in hac suppositione verè crearetur, & non educeretur, sicuti educitur forma, & eius existentia; non enim in hac suppositione est idem educi, ac educi ipsius existentiam, cum tam essentia, quam existentia habeant diuersam actionem adæquatam terminatam ad se: ergò per illas denominatur sufficienter educta, vel creata, & sit patet solutio ad reliqua argumenta.

Similiter soluitur ratio aliquorum recentiorum, quòd scilicet, si materia existeret per existentiam formæ, nunc haberet existentiam materialem, nunc spiritualem, cum habet animam rationalem: rei autem materiali solùm congruit existentia materialis. In primis enim licet materia sit ens materiale, tamen potest illi conuenire forma spiritualis, nempè Anima. Ergò cur non existentia spiritualis? Secundò, quia, vt dixi, hoc ipso, quod materia est potentia ad hominem, & ad lignum, est de se indifferens ad existendum per quid spirituale, & per quid materiale: ergò posset benè facere vnum existens cum alterutro ex his existentijs congruenter ad suam naturam

suram indifferentem. Exempla de alijs essentijs non sunt adæquata, quia præter materiam non datur essentia indifferens ad faciendum vnum cum formis diuersissimis, ergo non est mirum, quod aliæ essentiæ præter materiam habeant determinatas existentias. Atq. hęc dicta sint iuxta hanc explicationem impropriam de distinctione existentiæ ab essentia.

Obijcies primò cum Thomistis. Materia ex se est pura potentia, vndè ab Arist. appellatur non ens, ergo nullam habet actualitatem, sicuti quia Deus dicitur actus purus, nullam habet potentialitatē. Resp. distinguendo aut. Materia est pura potentia in ratione vnius physici compositi concedo, in ordine ad existendum incompletè nego, & in eodem sensu dicta fuit ab Arist non ens completum, quòd vt meliùs intelligatur. Aduertendum est in composito physico dari duas partes, quarum altera dicitur actus, seu forma, altera dicitur potentia, seu materia, differunt autē hæ duæ partes in hoc, quod altera est indifferens, vt sit in isto, vel in illo composito, etiam specie diuerso, & talis est materia: altera pars est naturaliter determinata ad vnum compositum tale, nec potest transire de vno in aliud compositum, hæc autem appellatur forma, quia constituit, & format vltimò compositum, dicitur etiam actus, quia determinat, & ponit vltimò compositum in esse actuali: quia ergo materia est indifferens, vt sit in hoc, vel in illo composito, & potest naturaliter transmeare ex vno in aliud; dicitur potentia, quia potest euadere quodcunque compositum, atque in hoc sensu potest dici materia pura potentia, quia nihil habet, per quod determinet vltimò compositum, cum hæc tota vltima determinatio habeatur à forma. Deus autem dicitur actus purus, quia omnem excludit potentialitatem; quidquid enim potest habere Deus, totum habet actu, itaut nihil possit de nouo recipere, sicuti possunt recipere creaturæ: atque in hoc sensu Deus non opponitur materiæ, quia materia habet suam actualitatem incompletam, sicuti probatum est.

Dices. Aristoteles secundo de Cœlo tex. 18. ait, quòd contrariorum si vnum est, necesse est alterum esse posse; ergò si Deus est purus actus, debet posse dari contrarium, nempè pura potentia, quæ certè erit materia.

Resp. Axioma illud, vt ibi explicat S. Thomas, verùm esse in veris contrarijs, quæ habent materiam, & ratio est, quia cum materia habeat potentiam ad formas oppositas, debet posse dari vtrumque oppositum. Non verificatur autem, quod quælibet res debeat habere posse contrarium, Deo enim nihil opponitur, nisi ad summum

relatiuè,

relatiuè, quòd enim contradictoriè opponeretur, esset chymera.

Obijcies secundò ex Arist. 7. Metaph. tex. 49. ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum per se, sed si forma, & materia haberent suas existentias, essent duo entia in actu: ergò ex illis non posset fieri vnum per se.

Resp. Axioma Aristotelis intelligendum esse de duobus entibus in actu physico completo, non autem de duobus incompletis, vt sunt materia, & forma, quòd sanè patet ex sequentibus, & lib. 8. semper enim dicitur, quòd ex duabus substantijs non potest fieri vna substantia, vndè laudat Democritum qui quamuis absurdè dicat, substantias esse indiuisibiles magnitudines, tamen asserit ex illis non fieri vnum, quia sunt substantiæ simpliciter, at verò, quòd ex semisubstantijs, fiat vna substantia completa, neque est absurdum, neque negatur ab Aristotele.

Dices, ex hoc sequeretur, non dari formam substantialem, nam si materia habet existentiam, quidquid illi aduenit est accidens, cum possit adesse, & abesse præter materiæ corruptionem, & ita non haberetur conceptus formæ substantialis contradistinctæ ab accidentali.

Resp. In primis certum esse, quòd forma non sit de essentia intrinsecæ materiæ, nam hoc pacto materia esset constata ex materia, & forma, sicuti homo constatur Anima, & corpore, tanquam partibus intrinsecis essentialibus, atque in hoc sensu omnis forma est accidens metaphysicum respectu materiæ. Non autem est accidens physicum. Accidens metaphysicum est quidquid respectu alicuius, neque est essentiale, neque profluit ab essentia, vt declarauimus in prædicabilibus, & tale accidens est definitum à Porphyrio: an autem illud sit accidens, vel substantia nihil refert, vt dicatur accidere, & ideò appellatur accidens metaphysicum, seu logicum. Accidens physicum est id, quod non est primum principium passionum, quæ sunt in aliquo indiuiduo, cum ergo forma substantialis sit primum principium proprietatum, vt videbimus, non est accidens physicum, sed solùm metaphysicum respectu materiæ.

Petes, quid sit facere vnum per se cum materia, & cur accidens non facit vnum per se?

Respondeo, quòd posita mutatione substantiali, certum est debere dari famam substantialem quæ sit proportionata materiæ, & cum eo faciat vnam perfectam substantiam, videlicet primam radicem determinatam, & adæquatam omnium proprietatum, quòd non potest præstare forma accidentalis physica, quia forma accidentalis est illa,

illa, quæ debetur alteri tanquàm primæ radici, adeòque ipsa nō po-
test conflare, & constituere tanquam pars intrinseca, & essentialis
primam radicem, quod tanè præstat forma substantialis, quare face-
re vnum per se est intrinsecè conflare, & constituere primam radi-
cem omnium propietatum indiuidui.

Dices iterum: vndè scimus, quod calor E. G. qui exigit raritatem,
& leuitatem, aliasque proprietates, non sit prima radix in indiuiduo
calido.

Resp. primò, retorquendo argumentum, vndè sciunt Aduersarij,
quod calor non dat existentiam materiæ in composito calido.

Secundò resp. directè, ex multis capitibus cognoscì calorem non
esse primam radicem: primò, quia suscipit magis, & minus, datur
enim magis, & minus calidum, quod non competit substantiæ, non
enim datur magis ignis, nec minus lignum. Secundò, quia videmus
calorem in homine, in quo scimus esse formam substantialem; vide-
mus eundem in aqua, etiam persistente essentia aquæ, nempè forma
substantiali aquæ, vndè colligimus calorem nō constituere primam
radicem proprietatum. Cæterùm neque tenemur hìc demonstra-
re in particulari, quæ nam sint formæ accidentales, quæ substantia-
les, sed solùm supponimus dari formam accidentalem, & explicamus
eius essentiam, in quo nimirum ea fita sit.

Objcies tertiò. Effectus formalis existentiæ est facere, vt existat
id, in quo ipsa est, sed existentia formæ est in materia, quia illam re-
cipit: ergò existentia formæ formaliter facit existere materiam, nec
potest cessare ab hoc effectu formali: ergò non requiritur alia exi-
stentia propria materiæ, cum hęc sola sufficienter faciat illam exi-
stere: quemadmodum albedo in subiecto reddit ipsum sufficienter
album, nec requiritur alia albedo.

Resp. posita distinctione essentiæ ab existentia, sinè qua hæc quæ-
stio agitari non potest, distinguendo maiorem. Effectus formalis
existentiæ est reddere existens illud, in quo ipsa est tanquam actus
entitatiuus concedo, tanquàm actus formalis physicus nego, simili-
ter distinguo minorem. Existentia formæ est in materia tanquàm
actus entitatiuus materiæ nego, tanquam actus physicus formalis
concedo; appellatur actus entitatiuus illa entitas, per quam res in-
se ipsa existit, & sic actus entitatiuus materiæ est existentia, per
quam existit materia, & actus entitatiuus formæ est existentia for-
mæ. Actus formalis physicus est ille, qui determinat materiam in
aliqua specie determinata completa, & consequenter facit vnum
per se physicum simul cum materia.

Ratio autẽ cur existentia formæ, licèt sit in materia, non reddat illam existentem, est, quia non est actus proprius illius: ad hoc autẽ, vt actus entitatiuus reddat aliquid existens debet esse proprius illius: sic existentia albedinis, V. G. licèt sit in materia, illam non denominat existentem, sed denominat albam, quia non est apta ad faciendum existere materiam, sed ad illam complendam, & determinandam, vt sit in specie albi: quare aduertendum est à qualibet forma non dari denominationem quamcunque subiecto, sed illam, cuius est capax, quia ad totam denominationem debet etiam concurrere partialiter subiectum: vndè si poneretur visio in lapide nõ redderet ipsum videntem, sed solùm denominaret habentem visionem, quia lapis non habet ex se quod requiritur ex parte subiecti ad denominationem videntis: sic in casu nostro materia recipit à forma denominationem in specie completa, non autem denominationem existentis, quam recipit à suo actu entitatiuo, nempè à sua existentia.

Obijcies quartò. Materia non est principium actiuum: ergo non existit per se, sed propter operari: cum ergo materia nihil operetur, non debet ex se existere.

Resp. transeat antecedens, nego consequentiã, ad probationem dico quod si loquamur de ente completo transeat, quòd sit propter operari, de quo adhuc possemus dubitare: at si loquamur de partibus entis completi nego, quod existat in ordine ad operandum immediatè, sed vel in ordine ad operandum, vel in ordine ad recipiendum id, quod producitur, quod est immediatè operatiuum, cum ergo materia sit subiectum receptiuum omnium formarum, facta est in ordine ad eas recipiendas, quibus mediantibus potest dici, ipsam operari mediate; si ergo natura fecit res propter operari, debuit ad eundem finem etiam facere materiam, vt medium necessarium ad hoc, vt formę possent operari existentes in ipsa materia.

ARTICVLVS IV.

An potentia ad formas substantiales sit de essentia materiæ.

TRiplex potest assignari potentia; prima est, quam appellant logicam, quę consistit in eo, quòd nõ repugnet alicui rei aliquid pati, vel agere, & dicitur communiter consistere in negatione repugnantiæ.

Digitized by Google

gnantię. Cæterùm non est inclinatio positiua ad aliquid: talis est potentia obedientialis, quam habent Creaturæ respectu Dei in ordine ad res supernaturales: sic non repugnat, quod lignum recipiat aliquod accidens supernaturale de potentia Dei. Sicuti in sententia probabili aqua baptismi recipit aliquid supernaturale, per quod eleuatur ad producēdam gratiam in baptizato, de qua infra loquemur. Secunda potentia est actiua, nimirum illa, per quam agens aliquid producit, & distinguitur in duas classes: in prima sunt potentiæ emanatiuæ, nempè virtutes illæ, quæ reperiuntur in singulis cōpositis, vt producant in se suas proprietates, v.g. in aqua datur virtus, seu potentia, per quam producit in se frigus: & expellit calorem violenter in se productum ab igne, quæ appellatur potentia emanatiua, per quam quasi emanant proprietates compositi per actionem immanentem, quæ non procedit ab alio extrinseco, sed ab ipso composito. Secunda classis continet potentias actiuas in externam materiam, per quam producuntur formæ, siue substantiales, siue accidentales in materia diuersa ab egente, sicuti quādo ignis producit in ligno nouam formam, certè producit per potentiam actiuam. Tertia est potentia passiua, per quam aliquod subiectum recipit aliquid cum inclinatione illius, siue id, quod recipit dependeat ab ipsa materia, vt sunt formæ materiales naturaliter, siue non dependeat, vt est anima rationalis; puto enim, quod vox, recipi, sit indifferens ad vtrumque, quamuis aliqui, vt P. Ouiedo, nomine receptionis intelligant, recipi per inhęsionem, & substentationem, quod videtur falsum, cum in communi vsu loquendi dicatur anima recipi in corpore, & tamen non substentatur, sed hæc est quæstio de mero vocabulo, de qua nihil curo; de hac ergo potentia receptiua in hoc sensu quærimus, an sit de essentia materiæ, an non? loquimur autem de potentia materiæ in ordine ad formas substantiales in vniuersum acceptas, certum est enim, quod materia habet positiuam inclinationem ad recipiendas in se formas substantiales, quæ sunt bonum ipsius, & ipsam constituunt in specie completa substantiali.

Prima sententia dicit, potentiam formalem materiæ ad formas substantiales esse proprietatem illius. Ita videtur sentire Auerroes primo Physicor. tex. 10. Albertus hic tract. 3. cap. 13. Zabarella lib. 1. de materia cap. 9. & 11. Pererius lib. 5. cap. 22. Arriaga disp. 2. physic. sect. 3. n. 37.

Secunda sententia affert, potentiam materiæ ad formas substantiales esse illi essentialem, ita S. Thom. prima par. quæst. 77. art. 1. ad

primum,& primo Physic.sect.15.& alibi;ipsum sequuntur Thomistæ; idem sentiunt Conimbricen.hic c.9 quæst.3. Suarius disp.15. Metaph.sect.8.Hurt.in Physica disp.2.sect.2.& alij.

Dico primò. Potentiam materiæ ad formas substantiales esse de essentia ipsius.Antequam probetur conclusio Aduertendum est, illa solùm dici de essentia alicuius,quæ requiruntur ad conceptum formalem ipsius: dicitur autem conceptus formalis ille,qui distinguit rem primo ab omni alia re,dixi primò,quia res potest etiam distingui à cæteris alijs,per conceptum proprietatis, V.G. distinguitur homo à non hominibus,per conceptum risibilitatis, sed talis conceptus non est primus,quia anteipsum potest formari conceptus de rationalitate, per quem distingueretur optimè homo à nõ hominibus, quare conceptus risibilitatis non est primò distinctiuus hominis à non hominibus, & per consequens non est conceptus formalis.

Probatur iam primò conclusio,quia ex materia, & forma debet fieri vnum per se,tanquam ex potentia determinabili,& actu determinatiuo, sed si hæc potentia esset proprietas materiæ non posset fieri vnum per se: ergò non est accidentalis materiæ. Maior est Arist.1.Physic. & alibi passim, & probatur ratione, quia vnum substantiale, si resoluatur in partes essentiales,resoluitur in materiam, & formam,quæ ideo faciunt vnam primam radicem proprietatum, quia proportionãtur inter se,& vna pars recipit,& altera recipitur. Minor probatur,quia actus substantialis non facit vnum per se cum proprietate materiæ, sed cum ipsa materia: ergo si potentia esset proprietas materiæ,forma non constitueret vnum substantiale cum ea. Ant. probatur, quia cum eo facit vnum substantiale actus substantialis, quod potest cum eo conflare primam radicem omnium passionum,& proprietatum, sed hoc non potest præstare proprietas materiæ,quia ipsa pullularet ab essentia materiæ, quæ esset prima radix illius proprietatis: ergo non potest facere vnum substantiale cum forma.

Secundò probatur, quia entitas ipsa materiæ est intrinsecè perfectibilis à forma substantiali: ergò non indiget alia potẽtia adhoc, vt possit perfici intrinsecè à forma,sicuti quia forma est perfectiua materiæ,non indiget alia potentia,vt possit illam perficere,sufficiẽter enim materia per suum esse intelligitur exigens formã; cũ illud esse materiæ sit essentialiter perfectibile à forma.

Dico secundò. Potentiam materiæ ad formas substantiales non distingui realiter à materia, nec posse haberi conceptum materiæ, absque

absque eo, quod concipiatur talis potentia. Prima pars conclusionis patet, quia nulla apparet necessitas distinguendi realiter potentiam ad formas substantiales ab entitate materiæ, cum ipsa entitas materiæ sit indigens perfectionis, etiam præscindendo ab omni proprietate. Sec. pars conclusionis probatur, quia non potest assignari conceptus distinctivus materiæ ab omni alia præscindendo à potentia materiæ ad formas substantiales: ergò est conceptus proprius conueniens essentiæ materiæ; cōsequentia videtur bona, quia quidquid constituit conceptum formalem materiæ non potest ab ea distingui. Antecedens probatur, quia, vel assignas pro conceptu materiæ, præscindendo à potentia ipsius, quod sit pars compositi, sed hoc conuenit etiam formæ, vel quod sit pars, quæ debeat determinari à forma, & in isto conceptu includitur potentia ad formā, quæ formaliter consistit in eo, quod materia sit per suam entitatem indifferens, & determinabilis à forma substantiali.

Dices. Duplicem esse potentiam materiæ ad formas substantiales, altera radicalis, & hæc est de essentia materiæ, sicuti rationalitas est risibilitas radicalis: altera est potentia formalis, per quam recipit formam, sicuti est potentia formalis ad ridendum, nempè risibilitas: sed contra est primò, quia frustra est hæc multiplicatio potentiæ, cum se ipsa materia sit potens recipere formas. Secundò, quia potentia accidentalis est improportionata actui substantiali. Tertiò, quia potentia dicitur in recto de materia. Aristoteles enim hic tex. 88. & alibi sæpiùs formam appellat actum, & materiam potentiam; ergò sicuti forma ad hoc, vt sit actus non requirit alium actū formalem, sic etiam materia, neque requirit potentiam aliam formalem.

Exemplum de risibilitate facit contra Aduersarios; nam in tantū risibilitas formalis datur in homine præter radicalem, quæ est ipsa rationalitas, in quantum antecedenter ad illam habetur adæquatus conceptus hominis; præscindendo enim ab omni risu, et concipiendo entitatem hominis in ordine ad discursus, formatur conceptus primus essentialis hominis, adeoque formalis potentia ad ridendū, hoc est entitas hominis in ordine ad risum non est cōceptus formalis primus hominis, at verò antecedenter ad conceptum potentiæ ad formas substantiales nullus potest formari conceptus proprius, et essentialis materiæ: ergò potentia formalis ad formas substantiales non se habet in materia, sicuti potentia formalis ad risum in homine. Est autem bona regula dignoscendi, an aliqua potentia sit de essentia nec ne, videre, an præscindendo ab obliquo, quod connotat

ea

ea potentia habeatur integer conceptus essentialis rei; si enim haberur, certè formalis potentia ad illa obliqua non est de conceptu essentiali, vt patet in risibilitate: sin autem præscindendo ab obliquis potentiæ non potest haberi conceptus essentialis integer illius rei, certè ea potentia est de essentia rei, vti euenit in materia.

Dices. Omnipotentia Dei potest concipi etiam præscindendo à creatura: ergo etiam poterit concipi materia præscindendo ab omni forma substantiali, & consequenter potentia formalis ad formas substantiales, iuxta regulam datam, non est de essentia materiæ.

Respondeo primò negando antecedens. Omnipotentia enim essentialiter est connexa cum creaturis possibilibus, quia est prima origo, & fœcunditas ipsarum, nec certè videtur explicabile quid sit Omnipotentia, nisi concipiatur id, quod venit sub voce, Omnia, sub qua voce veniunt creaturæ, adeoque est essentialiter connexa cum creaturis, sed quidquid sit de hoc.

Resp. secundò. Transeat antecedens; nego consequentiam. Disparitas inter Omnipotentiam, & materiam, quò ad præsentem difficultatem est, quia Omnipotentia non comparatur cum creaturis, vt potens recipere perfectionem ab ipsis. Perfectio enim Diuina est totaliter à se. At verò materia comparatur cum formis substantialibus, vt potens recipere perfectionem ab ipsis; imò vt indigens perfectione illarum; implicat autem, quod perfectibile essentialiter non respiciat suum perfectiuum, adeoque materia non posset concipi, vt ens perfectibile, quod est illi de essentia, nisi concipiatur in ordine ad perfectiuum.

P. Arriaga in Physic. disp. 2, sect. 3. subsect. 4. postquàm optimè dederat rationes, quod potentia ad formas substantiales in materia, neque formaliter per nostrum intellectũ distingui posset ab essentia materiæ, num. deinde 37. sit in oppositam sententiam ob paritatem potentiæ intellectiuæ; sicuti enim potentia radicalis intellectionis est ipsa anima, potentia verò formalis est intellectus, qui iuxta Thomistas realiter distinguitur ab ipsa anima, & iuxta Nominales solùm per nostrum intellectum formaliter, sic etiam saltem formaliter possumus in materia distinguere duas potentias ad formas substantiales, alteram radicalem, & hæc est essentia ipsius, alteram formalem, & hæc est accidens metaphysicum, solùm formaliter ab ea distinctum.

Hæc sententia displicet primò, quia assumit aliquid, quod non probat, neque hìc, nec in lib. 2. de anima, nempè Animam rationalem non esse formaliter potentiam intellectiuam; in lib. de Anima dist. 3,

dist. 3. sect. 4. ad finem nu. 121. dicit, se ostendisse, posse distingui formaliter potentiam intellectiuam ab anima ex ijs, quæ dixit de potentia materiæ, hìc autem nullo modo hoc probat; imò potius n. 35 eam impugnat. Impugnatur autem hæc formalis distinctio, quia, vt sæpe diximus, quotiescunque aliquid concipimus in ordine ad obliqua, & est conceptus potentiæ, si non habemus obliqua diuersa realiter, non possumus respectu eiusdem obliqui formare duos conceptus potentiæ, alterum per quem immediatè accipiamus tãtùm in ordine ad illud obliquum, alterum per quem idem accipiamus mediatè: ergò respectu eiusdem obliqui, nempè intellectionis, non possumus concipere duas potentias, alterã immediatam, & formalem, alteram mediatam, & radicalem. Antecedens probatur primò ab absurdo, quia si hoc posset fieri, possemus formare conceptus infinitos, & distinguere formaliter potentias infinitas in anima, nã sicuti tu dicis, quod concipiendò animam immediatè in ordine ad intellectionem, concipis vnam potentiam, quæ est formalis, & concipiendo eandem animam mediante hac potentia formali in ordine ad intellectionem formas conceptum de potentia radicali; sic ego dicam, quòd si comparo animam, mediante hac potentia radicali, tendentem in intellectum, formabo conceptum tertiæ potentiæ magis radicalis, & sic formabo conceptum quartæ potentiæ adhuc magis radicalis, & sic in infinitum. Secundò probatur, à priori idem antecedens; nam intellectus tunc potest formare diuersos cõceptus in potentijs, cum ex parte obiecti habet aliquid diuersum, & vnum immediatè tendens realiter, alterum non tendens realiter immediatè, sicuti, si est vera sententia Thomistarum, tunc Anima immediatè tendit in ipsam entitatem intellectus à se distinctam, & ea mediante tendit in intellectionem: cum autem id, quod immediatè tendit est prorsus idem, quod per te mediatè tendit, nec illud, quod per te mediatè tendit, habet vllum alium conceptum formalem, certè non poterit distingui præcisè per hoc, quod tu dicas mediatè tendere, nisi enim assignes conceptum diuersum aliunde de eo, quod dicis tendere mediatè in intellectionem, malè asseris tendere mediatè, implicat enim idem sub eodem conceptu acceptum, & sinè vlla diuersitate formali tendere mediatè, & tendere immediatè in idem. Magis hoc ipsum explicatur; quando dicis. Eadem anima immediatè tendit in intellectionẽ, & eadem mediatè tendit, debes habere conceptum tam illius, quod tendit immediatè, quàm illius, quod tendit mediatè; si enim non habes diuersos conceptus formales vnius tendentis, & alterius tendentis, non potes

de

de vno dicere mediatè, de altero immediatè, sed non habes conceptum diuersum formalem vnius, & alterius in anima (si enim possis habere, iam non curret paritas cum materia, de qua non potes formare conceptum, præscindendo à formis substantialibus) ergo non potes in ea formare duos conceptus præcisè, per hoc quod eadem tendat mediatè, & immediatè.

At è contrario, quia potes formare conceptum de anima præscindendo à risu, optimè dicis. Anima non tendit formaliter immediatè in risum, sed mediatè, anima siquidem comparata cum risu, vt potentia ipsius, est risibilitas, seu formalis potentia ridendi: eadem anima comparata cum intellectione, habet diuersum conceptum, & priorem, quàm vt comparata ad risum, quia intellectio est causa risus, vndè sequitur, quod anima, vt rationalis, nō sit immediatè potentia ridendi, sed radicalis, quia obliquum animæ, vt rationalis, est verè causa risus, qui est obliquum animæ, vt risibilis. Vbi verò est prorsus idem obliquum, non potest formaliter idem rectum comparari cum eo obliquo mediatè, & immediatè.

Displicet secundò, etiam si anima haberet potentiam formaliter distinctam ad intellectionem, ob rationem, quā ipse Arriaga affert n. 39. et conatur soluere, quia nempè materia, sub conceptu substantiæ accepta, debet facere vnum per se, cum forma, vnum enim substantiale formaliter debet esse sub conceptu primæ radicis omnium reliquorum, quæ sint in composito, sed non potest intelligi, quod faciat vnum per se cum forma, nisi ipsa sub conceptu primæ radicis intelligatur recipere formam per vnionem cum ea: ergo sub conceptu essentiali materiæ, per quem constituitur, vt materia est, et vt pars determinabilis, per receptionem formæ, debet intelligi, vt potens recipere; per illud enim, etiam formaliter, intelligitur facere vnum per se cum forma, per quod formaliter recipit, et potitur formâ; si ergo eam reciperet per aliquid, quod per te est formaliter accidens, et præsupponit formalem primam radicem, iam fieret vnum ex accidente metaphysico, et forma, adeoque formaliter vnum per se, non haberet conceptum primæ radicis, sed præsupponeret aliquod prædicatum formaliter prius, quod esset prima radix, sicuti si aliquid vniatur formaliter cum potentia ridendi, quę est accidens metaphysicum, et solùm formaliter distinctum à rationalitate, certè non fieret vnum, quod in suo conceptu involueret formaliter hominem: similiter si forma intelligitur facere vnum cū ea potentia formali materię, quę per te est accidens metaphysicum, et præsupponit essentiam materię constitutam antecedenter, certè non fieret vnum, quod esset formaliter prima radix.

Neque

Digitized by Google

Neque satisfacit dicere, quod etiam ipsa materia sub conceptu potentiæ radicalis faciat vnum per se formaliter. Nam contra est, quia si dicas. Materiam cum calore, & forma ignis constituere physicè primam radicem, quæ est substantia ignis, male dicis, quia hoc ipso, quod ponis aliquod accidens in constitutione intrinseca compositi, non facis amplius compositum substantiale, sed accidentale, constans ex materia, forma substantiali, & forma accidentali, similiter si facis, vt in conceptu vnius substantiæ materialis ingrediatur, vt pars intrinseca aliquid, quod est formaliter accidens, iam non constituis formaliter vnum substantiale, & quod habeat conceptum primæ radicis, sed potius facies vnum compositum formaliter accidentale. Quare nullo pacto potest accidens sive physicum, sive methaphysicum intrare, vt pars constitutiua compositi formaliter substantialis; dixi, vt pars constitutiua, quia vt aliquid requisitum ad ipsam vnionem debet semper venire. Quod autem se habet vt potentia passiua, semper se habet vt pars; hoc enim intelligimus nomine potentiæ passiuæ, seu receptiuæ, nempè id, quod recipit aliud, vt pars determinabilis ab eo, prout inferius magis explicabimus; vndè fit, vt potentia passiua in hoc sensu respectu formæ substantialis implicet, quod sit accidens physicum, seu metaphysicum.

Obijcies primò cum Auerroe hìc tex. 70. Potentia materiæ adueniente forma amittitur; ergò non est de essentia materiæ. Antecedens probatur, quia cum res est actu non est amplius potentia ad illam, sed tunc forma est actu; ergò non est amplius potentia ad illam.

Resp. negando antecedens, ad probationem distinguo maiorem; non est potentia cum negatione actus concedo, sinè negatione actus, nego, & similiter distinguo consequens, duppliciter enim potest accipi potentia, primò pro re positiua, nempè pro positiua inclinatione, vel certè pro non repugnantia ad aliquod, sic Petrus habet potentiam ad ambulandum, & habet non repugnantiam ad recipiendum accidens supernaturale, Alia potentia est, quæ inuoluit negationem, & hanc potiùs explicamus per casum ablatiuum, nempè res est in potentia; sic materia ligni, quando habet formam ligni, est in potentia ad formam aquæ; quãdo ergo erit in ea forma aquę, habebit quidem materia suam potentiam ad illam, sed non habebit negationem illius formæ, potentia enim positiua non destruitur aduenientè actu, sed potius perficitur: sic homo, quando loquitur, certè habet potentiam loquendi, aliter loqueretur sinè potentia: hinc Arist. 7. Physicorum tex. 22. dixit, in æternis idem est posse, &

esse, quia cum æterna, per ipsum, necessariò sint, nunquàm sunt in potentia, vt sint, cum semper actu sint, ideoque idem est esse, & posse esse.

Obijcies secundò. Potentia actiua est accidens, loquendo de formali, ergo etiam passiua.

Resp. transeat antecedens, quod neque est verum vniuersaliter, nam potentia emanatiua, per quam V. G. aqua producit in se suas dispositiones perditas, est idem cum aqua: negatur tamen consequentia, disparitas est, quia potentia passiua debet perfici, & determinari intrinsecè à forma, quam recipit, adeoque debet posse recipere formã per eã entitatẽ, quæ potest perfici, hinc est, quod potẽtia passiua facit vnum concretum substantiale cum suo actu, videlicet cum forma substantiali, at verò potentia actiua potest esse distincta ab agente, quia agens non debet constituere vnum completum cũ actu potentiæ actiuæ, nempè cum effectu, neque ab eo debet perfici intrinsecè: ergò non debet agens per suum esse posse producere effectum.

Obijcies tertiò, posse faciliùs, & difficiliùs recipere formam est potentia accidentalis materiæ, quia per accidentia habet materia, vt difficiliùs, vel faciliùs possit recipere vnam, aut aliam formam substantialem. ergo posse simpliciter recipere formam est etiam accidentale materiæ, nam eadem forma est, quæ dat simpliciter, & quæ dat magis, & minus, vt calor dat simpliciter esse calidum, & dat magis, vel minus calidum: ergò potẽtia, quæ dat faciliùs, vel difficiliùs, dat etiam posse simpliciter.

Resp. concesso antecedente, negando consequentiam: ad probationem nego vniuersaliter antecedens, nam aliqua potentia dat simpliciter posse, quæ tamen non dat faciliùs, vel difficiliùs, V. G. habitus intellectualis dat faciliùs, vel difficiliùs operari, & tamen non dat simpliciter posse, sed hoc conuenit intellectui, quare non valet argumentari, habitus dat faciliùs, vel difficiliùs operari: ergò dat simpliciter posse operari, similiter, licet accidentia dent materiæ faciliùs, vel difficiliùs recipere, tamen non dant simpliciter posse, quod certè habet ex se. Præterea in tantum accidentia facilitant materiam ad recipiendum, in quãtum facilitant agens ad producendam formam in materia.

Obijcies quartò, Peius est rem esse, quàm posse pati, ergo potentia passiua præsupponit pro aliquo priori Naturæ essentiam materiæ: ergò non est de essentia.

Resp. primò idẽ argumentũ soluendũ esse ab aduersarijs, nam loquendo

quendo de potentia accidentali, quam ipsi ponunt, certè materia habebit potentiam radicalem, loquendo ergo de illa potentia radicali in ordine ad recipiendum hanc accidentalem, idem argumentum fieri potest; quare.

Resp. secundò negando consequentiã, nã pro eo priori solũ formatur conceptus vniuersalis quod sit, qui conceptus competit rebus omnibus existentibus, non tamen est sufficiens ad explicandam naturam rei, quia non explicãtur per illum differentiæ entis constitutiuæ rei, quare non est conceptus explicans adæquatè essentiam rei, de quo hic loquimur.

Denique obijcit Zabarella Aristotelem in Prædicamentis cap. de quali, dicit enim, potentiam, & impotentiam naturalem esse in prædicamento qualitatis: ergò potentia materiæ est qualitas.

Resp. Aristot. ibi loqui de potentia, quæ aduenit substantijs completis, qualis est grauitas, & levitas, non autem de quacunque potentia, nam etiam per aduersarios forma substantialis potest producere qualitates in toto, sic forma aquæ producit frigus in ipsa aqua, & certè ipsa materia, etiam per aduersarios, habet ex se potentiã recipiendi hanc potentiam, quę per illos est qualitas; nec potest dici, quod potentia illa, per quam recipit hanc potentiam, quæ est qualitas, sit etiam qualitas, quia deberet dari alia potentia receptiua illius potentiæ, & sic daretur processus in infinitum, ergo Aristot. est intelligendus solùm de potentijs, quę debentur substantijs completis in ordine ad producendos effectus in alijs subiectis. Verum autem potentia substẽtatiua sit de essentia materiæ, dicemus infra, cum agemus de forma substantiali, & eam cum materia comparabimus.

ARTICVLVS V.

Quomodo materia respiciat formas substantiales?

POtentia materiæ appellatur etiam appetitus, & ordo ad formas: appetitus autem est duplex, alter innatus, alter elicitus. Innatus est exigentia, quam habet naturaliter aliqua res alicuius sibi boni propter proportionem, quam habet cum eo bono. Appetitus elicitus est actus vitalis, quo appetitur bonum, vt est actus voluntatis in homine, & Angelo, & actus appetitus sensitiui in brutis. Certum est, materiam non habere appetitum elicitum, cum ille supponat cognitionem. Quod verò habeat innatum patet, quia

eum sit essentialiter perfectibilis, respicit formam, vt bo num sibi, & ideò inclinat ad illam, tanquam ad bonum sibi proportionatum. Quæstio præsens est, an Appetitus materiæ respiciat formas substantiales determinatè, an indeterminatè.

Pro intelligentia quæstionis Aduertendum est, posse dari duplicè respectum vnius ad plura, primus est determinatus. Secundus indeterminatus. Determinatus est, quoties ita tendit ille respectus in ea plura, vt si vnum ex illis auferatur, pereat ille respectus. Talis est actus efficax voluntatis, quo aliquis vult, V.G. decem libros determinatè, si enim vnus liber desit, non potest subsistere ille actus efficax.

Respectus indeterminatus est, qui ita tendit in plura, vt vno ex illis ablato, adhuc perseueret ille respectus, talis est actus efficax voluntatis, quo quis appetit, v.g. libros existentes in tali cubiculo, si enim illi sint decem, siue nouem, siue plures, siue pauciores, adhuc perseuerat ille actus integer.

Quærimus ergo nunc, an appetitus materiæ ita tendat in omnes formas substantiales, vt si vna ex illis euaderet impossibilis, materia etiam impossibilitaretur, atque hic respectus dicitur determinatus, & per ipsum materia est determinatè respiciens formas. Alius respectus indeterminatus esset, si materia ita respiceret omnes formas substantiales, vt etiam si vna ex illis fieret impossibilis, materia adhuc perseueraret in suo esse, quare hic quærimus, an materia determinatè vel indeterminatè respiciat formas. Aliqui recētiores distinguūt inter appetitū, seu exigētiā materiæ, ac potentiā ipsius, & dicūt sub conceptu exigentię respicere formas indeterminatè, sub cōcepta potentiæ respicere formas determinatè. Hæc distinctio non placet; nam conceptus formalis potentię passiuæ, non potest prescindere ab exigentia formarum, per hoc enim distinguitur potentia passiua physicè à non repugntia, vt iam diximus, quia potentia passiua physicè dicit essentialiter in suo conceptu exigentiam formæ, quam exigentiam non dicit nō repugnantia, quo pacto ergo potest intelligi conceptus potētię materię sub formalissimo conceptu potētiæ passiuę, & simul prescindi ab exigentia formarum? quare quidquid dicitur conuenire potentiæ materię sub conceptu potentis, debet illi conuenire sub conceptu exigentis; neque materia alio titulo exigit formas, nisi vt potentia passiua modo superiore explicato.

Dico primò, materia de facto respicit indeterminatè omnes formas substantiales, naturaliter sibi vnibiles; est contra P. Hurtad. disp. 8.

disp.8.Physicæ sect.3 Arriag.disp.7.sect.4.& alios.

Probatur cõclusio,quia eo pacto debet resçipere materia formas, quo pacto expedit ipsi materiæ,sed materiæ expedit respicere indeterminatè: ergò hoc pacto respicit. Maior patet, quia in tantum materia respicit formas,in quantum sunt sibi bonum.& expedit ipsi materiæ.Minor probatur,quia tota ratio, cur forma respiciatur tanquam bonum à materia est, quia ipsam collocat in specie completa quæcunque sit, Materia enim non appetit potius hanc,quam illam speciem,cum æquè respiciat dispositiones ad quamlibet speciem, vt experientia constat,sed quod collocetur in specie cnmpleta non requirit possibilitatem omnium formarum, sed solùm possibilitatem aliculus formæ,quæcumque illa sit; ergò ad hoc, vt materia consequatur bonum suum,sufficit,vt respiciat formas indeterminatè, si enim aliquæ formæ implicarent, adhuc materia æquè bene posset consequi bonum suum,nẽpe,quod esset in specie completa,ergo hoc pacto indeterminatè debet respicere.

Hoc argumentum,vt meliùs percipiatur,Aduertendum est,quod natura operatur semper rationabiliter,hoc est prædicata cuiuscunque rei perinde in se sehabent, ac si res illa haberet intellectum perfectissimum considerantem omnia,quæ ad se spectant;hoc posito considereremus materiam, ac si esset perfectissimè intelligens, & deberet operari rationabiliter, nempè iuxta dictamen rectæ rationis,certè in tali suppositione, materia optimè videret, quod etiam si aliquæ formæ substantiales omnino implicarent, adhuc ipsa posset consequi finem suum æquè bene, ac nunc consequitur illis non implicantibus:ergò rationabiliter operans non deberet appetere, vt nulla forma prorsus implicaret, hic enim ppetitus esset superfluus, adeoque impertinens ad bonum suum;quoties enim sinè aliquo cõsequimur finem nostrum æquè bene; toties non debemus illud appetere, quia esset superfluum. Quod autem implicantibus aliquibus formis substantialibus, materia æquè posset consequi finem suũ. Probatur,quia finis adæquatus materiæ est, vt existat in specie individui completi; sed æquè bene existeret in tali specie,etiam si implicaret,V.G.forma aquæ; ergo implicante hac forma,æquè consequeretur finem suum. Minor probatur, quia si implicaret forma aquæ,certè agens non posset illam producere, adeoque neque posset spoliare materiam forma substantiali,quam habet, vt in ea produceret formam aquæ, sed solùm posset illam spoliare forma substãtiali,quam habet,vt in eam introduceret aliam formam substantialem possibilem,quam videlicet agens posset producere, quare implicante

plicante forma aquę, nullum esset periculum materiæ, ne semper esset in specie completa: ergò si iuxta dictamen rectæ rationis appetit bonum suum, non debet appetere determinatè formam aquæ quæ implicante æquè bene posset habere finem suum, at verò si omnis forma substantialis implicaret, materia non posset consequi bonum suum, quia in nulla specie completa esset, ergo essentialiter debet appetere, ne implicent omnes formæ, adeoque, vt aliquæ sint possibiles.

Dico secundò. Non solùm materia de facto, sed neque materia possibilis potest appetere determinatè formas substantiales. Sunt aliqui, qui licèt concedant, de facto materiam appetere formas indeterminatè, tamen de possibili dicunt dari materiam, quæ respiciat determinatè formas substantiales, quia non videtur repugnare de potentia Dei absoluta, quod possit creare aliam materiam determinatè respicientem formas substantiales. Probatur tamen nostra conclusio, quia Deus non potest creare ens, cuius prædicata sint illi indebita, & contra exigentiam ipsius, sed tale prædicatum est indebitum materiæ; ergò non potest Deus creare materiam, quæ habeat hoc prædicatum, nempè respicere determinatè formas. Maior probatur, quia licèt Deus possit dare multa accidentia indebita alicui enti, & possit etiam ab eo tollere accidentia illi debita, non tamen potest facere, vt ens aliquod appetat accidentia, vel aliquod sibi in debitum, & superfluum, neque potest facere, vt non appetat res sibi debitas; E.g. Deus non potest creare hominem, qui naturaliter appetat per suam entitatem volatum, quia suppono, quod volare sit indebitum homini, adeoque Deus non potest coniungere hæc duo prędicata, nempè hominem, & exigentiam volandi. Similiter neque potest facere albedinem, quæ exigat, v.g. per suam entitatem calorem vt octo, quia cum calor vt octo non sit bonum albedini, non potest naturaliter inclinare; vt habeat calorem. Similiter neque Deus potest creare grauitatem, quæ non exigat descensum, quia est bonum ipsius naturaliter illi debitum. Ratio autem à priori est, quia esse cuiuscunque rei habet esse bonum transcendentaliter, bonitas autem transcendentalis est, quod sit appetens boni sibi debiti, & conformetur voluntati rationabiliter volenti, vndè aliqui explicant bonitatem entis transcendentalem, quod ens conformatur Diuinæ vuluntati, hoc est quod si haberet intellectum, & voluntatem appeteret ea, quę appetit rationabiliter appetendo.

Minor probatur, quia, quod materia appetat formas substantiales determinatè, est prędicatum illi indebitum, quia talis appetitus esset

effet irrationabilis, & omninò superfluus, cum sine illo possit æquè bene consequi bonum suum; ergò non potest coniungi tale prædicatum cum prædicatis materiæ, nempè entis perfectibilis à qualibet forma substantiali, nomine enim materiæ, ne faciamus quæstionem de vocabulo, intelligimus ens imperfectum, & semi substantiam, quæ naturaliter potest transire, ex vi agentis naturalis, ex vno composito in aliud, adeoque hæc prædicata debent reperiri in omni eo, quod est materia, sed cum his prædicatis non potest coniungi appetitus determinatus ad formas substantiales, quia esset superfluus prædicatis materiæ: ergò non potest Deus facere materiam cum hoc appetitu; & sane, vt verum fatear, videtur hæc quæstio de potentia Dei omninò superflua, quidquid enim materia, quæ de facto est, non habet, neque poterit habere de potentia Dei, loquendo de prædicatis identificatis cum ea, propter rationem supradictam, quia vel illud prædicatum est debitum alijs, vel non; si est debitum; ergò naturaliter habet res illud prædicatum, si est indebitum, implicat, quod illi superaddatur, potest tamen fieri quæstio in alio sensu, nempè, an detur aliud ens, quod æquiualenter habeat prædicata huius rei, & præterea aliud prædicatum; sicuti diximus de actu intellectus, qui æquialeret actui scientiæ, & opinionis, atque in hoc etiam sensu, neq Deus potest creare tertium ens, quod æquialeret prædicatis materiæ, & præterea habeat hoc prædicatum, nempè respicere determinatè formas, quia contra etiam tale ens militat argumentum præfactum, quod videlicet haberet prædicatum omnino superfluum, & indebitum alijs prædicatis.

Dices. Forma substatialis est bonum materiæ, ergo materia debet illam appetere appetentia perfectissima, rationabiliter enim appetimus nostra bona appetentia perfectissima, & ardentissima, sed perfectius appeteret materia formas substantiales, si appeteret determinatè, quàm indeterminatè; ergò rationabiliter ita debet appetere. Maior videtur certa; minor probatur, quia actus magis determinatus est perfectior; ergò appetentia magis determinata, est etiam perfectior. Sed contra est, quia non debemus concedere materiæ perfectionem suæ appetentiæ, quæ sit illi indebita etiam si illa perfectio secundum se spectata sit maior, e. g. appetentia independens ab omni ente est perfectior, quàm appetentia dependens; ergò illam debemus dare materiæ, certè hæc consequentia non est bona, quia licet illa appetentia sit perfectior per se præcisè considerata, quia illa esset Deus tamen illa eadem identificata cum reliquis materiæ prædicatis non faceret bonum complexum. Similiter in

casu

casu nostro potentia determinata, licèt secundum se sit perfectior; quia tamen est indebita materiæ, ideo conflaret complexum omninò malum. Considerandum est autem in huiusmodi argumentis desumptis à maiori perfectione alicuius prædicati, an talis maior perfectio congruat cum cæteris prædicatis, an illis sit inconueniens.

Obijcies primò. Si materia respiceret indeterminatè formas, certè respiceret rationem formæ in communi, sed ratio formæ in communi sunt omnes formæ determinatæ, quia non datur à parte rei ratio aliqua in communi distincta à particularibus indiuiduis, ergo respicit in particulari indiuidua.

Resp. quod materia respicit rationem formæ in communi, hoc autem non significat, quòd formæ, quæ respiciuntur non sint determinatæ, & tales; sed solùm significat, quod respectus indeterminatè tendat in formas determinatas, & tales, respicere autem indeterminatè non est respicere indeterminatas, implicat enim, quòd formæ sint indeterminatæ, sed tota indeterminatio se tenet ex parte respectus, eò quòd talis respectus non exigat essentialiter possibilitatem cuiuscunq; formæ particularis, sed quod sit possibilis disiunctiuè, vel hæc, vel illa forma, & sic de cæteris.

Dices. Quid ergo exprimit ille respectus, seu quid exigit essentialiter, certè enim aliquid exigit, assignetur ergo totum id, quod exigit contradistinctum ab ipsa exigentia, & respectu.

Resp. Id, quod exigit potentia materiæ essentialiter, esse omnes formas particulares, non tamen hinc infertur, quod impossibilitata vna forma ex his, quas exigit essentialiter, etiam materia reddatur impossibilis, ratio est, quia quotiescunque modus exigendi aliquas res est indeterminatus, toties potest existere tota exigentia, & respectus, etiam ablata vna re ex illis, quas exigit, hoc enim est exigere indeterminatè; posset etiam hoc explicari per actum voluntatis, quo quis dicit, volo hos quatuor libros, & per alium, quo quis dicit, volo aliquem ex his quatuor libris, certè obiectum vtriusque actus est idem, nempe illi quatuor libri, sed ad complementū primi actus debent existere omnes quatuor, ad complementum secundi sufficit, vt existat vnus. Similiter in casu nostro; licèt ex parte obiecti appetiti à materia veniant omnes formæ, tamè si appetitus est indeterminatus potest vna forma ex illis non venire.

Obijces secundò. Hæc forma, vt hæc est, habet essentialiter posse perficere materiam; ergò materia habet essentialiter posse perfici ab hac forma, vt hæc est, & ita implicante hac forma tolleretur à materia

materia hoc prædicatum essentiale, nempe posse perfici ab hac forma, vt hæc est.

Respondeo primò per instantiam, hæc visio, essentialiter habet posse denominare parietem visum: ergo paries essentialiter habet posse denominari ab hac visione, ergo si implicaret hęc visio etiam implicaret hic paries, quod nemo concedet.

Respondeo secundo directè concesso antecedente, negando cõsequentiam; ratio est, quia posita forma, & nulla alia re supposita, potẽtia formæ ad materiã est illi essentialis; at verò posita materia sola, nõ adhuc est potẽtia ad hãc formã, vt hæc est, quia potẽtia materię ad hãc formã, vt hæc est determinatè; est denominatio partim intrinseca materiæ, partim illi extrinseca, desũpta à possibilitate huius formæ, adeoque nõ habet intrinsecè totã hanc denominationẽ, nempè respicere formã, vt hęc est, quia hæc denominatio partialiter etiam desumitur à possibilitate huius formæ: quarè impossibilitata hac forma periret hæc denominatio simpliciter, nõ quia periret aliquid in materia, sed quia perijsset illa pars denominationis, quæ est identificata cum hac forma possibili: cæterum, neq. hæc forma respicit determinatè hanc materiam, sed etiam indeterminatè; sufficit enim formæ aliqua materia, siuè sit hæc numero, vel alia.

Obijcies tertiò. Vnum per se fit ex actu, & potentia, ergo hoc vnum per se fit ex hoc actu, & ex hac potentia, ergo sicut ex parte formæ habetur hæc potentia determinata, ita etiam habetur ex parte materiæ.

Respondeo concedendo totum argumentum, nam aliud est hæc potentia determinata materiæ, aliud est hæc potentia determinatè tendens. Primum verificatur, tàm de materia, quàm de forma, est enim indiuidnatio huius formæ, & huius materiæ. Secundùm non datur, nec in forma, nec in materia; nàm hæc potentia determinata formæ respicit detetminatè hanc numero materiam, neque hęc potentia determinata materiæ respicit determinatè hanc numero formam.

Dices. Materia respicit perfectiuum, vt est perfectiuum ipsius, sed hæc forma ignis, vt hęc est, est perfectiuum materiæ, ergo respicit hunc ignem, vt hic est.

Respondeo distinguo antecedens, respicit perfectiuum, vt perfectiuum, indeterminatè: & disiunctiuè, vel hoc, vel illud concedo, determinatè, & collectiuè nego, licèt ergo hæc forma, vt hæc est, sit perfectiuum materiæ, tamen æqnè bene est perfectiuum eiusdem, quæcunque alia forma, & ita etiam hac implicante, materiæ nihil deesset suæ perfectionis debitæ.

Obijcies quartò. Materia est causa formæ cuiuscunque particularis, ergo implicante, v.g. forma ignis, implicaret etiam materia, implicante enim effectu, etiam illius causa implicat, quia si non implicaret, esset causa realis chymeræ.

Respondeo negando consequentiam, ad probationem dico non semper valere; implicat hic effectus, qui esse potest ab hac causa, ergo implicat hæc causa, sed solùm valet quando causa est adæquata, & effectus, vt hic est, ita debetur isti causæ, vt non possit alius explere vicem istius; quando verò, vel causa non est adæquata, vel talis effectus non est, debitus modo dicto, implicante effectu, causa non implicat, e.g. si implicaret calor A. certè non implicaret ignis, quia ignis non indiget hoc determinato calore, sed sufficit illi quicunq; calor, at verò si implicaret omnis calor, implicaret etiã ignis, quia calor est debitus igni, ita diximus in logicis, quod implicante visione implicaret etiam species, & implicaret obiectum, quia species sunt debitæ obiecto, & visio est debita speciebus. Neque sequeretur, quòd materia esset causa chymeræ, quia materia non habet aliquòd prædicatum intrinsecum, per quod exigat posse fieri à se formã ignis, sed prædicatum intrinsecum, est posse à se fieri aliquam formam sufficientem ad constituendum vnum per se, vnde posse fieri formam ignis à materia non est prædicatum illi intrinsecum adæquatè, sed partim desumitur ab ipsa materia, partim à possibilitate talis formæ, adeoque illa implicante cessat denominatio, qua dicitur, hæc forma fieri posse à materia, sed materia integra perseuerat.

Dices ipsa indiuiduatio effectus continetur in virtute causæ, ergo si implicaret ea indiuiduatio, implicaret in causa illud prædicatum, per quod continebat eam indiuiduationem.

Respondeo in primis in causa solùm materiali non contineri præsens effectus, quia est causa in suo genere valde imperfecta, at loquendo de causa efficiente creata, dico perfectionẽ indiuiale m effectus contineri confusè, hoc est dari prædicatum in causa ita perfectum, quod possit æquiualere perfectionibus possibilibus singulorum effectuum, non est autem dari prorsus idem prædicatum, quod est in singulis, sic enim non distingueretur à singulis, quarè si implicaret vnus effectus, non implicaret causa creata; at causa increata continet eminenter ita singulorum indiuiduationes, vt distinctè exigat singulos, vt dicemus.

Obijcies quintò. Omnipotentia Dei respicit omnes creaturas determinatè, ergo etiam potentia materiæ respicit formas determinatè,

Respon-

Respondeo, transeat antecedens, quod negatur à P. Vasquez, & multis Theologis: Negatur consequentia, disparitas est multiplex; nam materia respicit formam, vt acceptura perfectionem sibi debitum ab ea; at Deus non respicit Creaturas, expectans aliquam perfectionem ab illis, quarè materia limitatur in modo recipiendi formas, quia solùm debet respicere eo modo, qui satis illi sit ad consequendam perfectionem suam à formis, quàm æquè bene potest consequi, etiâsi aliquę implicarent, quæ limitatio non valet in Deo.

Præterea Deus connectitur cum creaturis possibilibus propter suam infinitam perfectionem, habet enim eminentialiter ens perfectissimum, vt sit origo prima, & quasi scaturigo, vndè profluat necessariò omnis possibilitas creaturarum, quarè non potest esse creatura possibilis, quàm non contineat Deus in sua Omnipotentia tanquã in fęcunditate, à qua necessariò pullulat possibilitas cuiusq. entis, quarè si implicaret ignis, argueremus in Deo fuisse exiccatam illam, quasi Emanationem illius creaturæ possibilis; si enim non fuisset exiccata, pullularet possibilitas illius creaturæ; & ita iuxta hanc sententiam, quam existimo veram esse, Deus connectitur cum creaturis, quasi à priori, quia est origo possibilitatis ipsarũ, et adæquatè illas continet, quod nullo pacto conuenit materiæ.

At verò si sit vera sententia P. Vasquez, quod implicantibus omnibus creaturis non implicaret Deus, non bene sequitur, vt vult Arriaga, quòd implicantibus omnibus formis non implicaret materia, disparitas est, quia in ea sententia Deus non exigit possibilitatem creaturæ, cum ab ea nullo modo perficiatur, neque ratione Diuinæ perfectionis sit connexa cum earum possibilitate. At materia exigit ad suam naturalem perfectionem facere vnum per se, ergo exigit esse possibilem aliquam formam; quæcunque illa sit, si enim omnes implicarent, non posset facere vnum per se, ecce manifestam disparitatem.

Dices. Implicante forma A, implicaret etiam Deus, sed implicante Deo, implicaret materia, ergo implicante forma A, implicaret materia.

Rpspondeo distinguo maiorem; implicaret Deus, qui nunc est de facto, concedo; implicaret Deus secundum se nego: si enim ponimus implicare formam A; consequenter ponimus implicare in Deo fœcunditatem formæ, quæ est essentia huius Dei, non autem implicarent aliæ fęcũditates, et ita non implicaret fęcunditas in Deo, à qua pullulat materia; Deus autem potest concipi duplici conceptu, primariò, et secundariò; primariò conceptu concipitur, vt po-

tens facere, quidquid non implicat, et præscinditur in hoc conceptu, an hæc, vel illa creatura implicet. Conceptus secúdarus, est, quo concipitur Deus, prout connexus cum hac, vel illa creatura, qui cõceptus secundariùs nullam addit perfectionem supra primarium, sed easdem confusè explicatas, meliùs explicat; hoc posito si implicaret forma ignis v. g. argueremus non esse hoc prædicatum in Deo, nempè potentiam ad formam ignis, non autem argueremus non esse potentiam ad creandam materiam, remaneret enim conceptus primariùs, quod nempè possit facere quidquid nõ implicat, et cum in ea suppositione materia non implicaret, Deus posset illã creare. Cœterùm hoc argumentum nimis probaret, quia ex eo sequeretur, quòd quodlibet ens esset essentialiter connexum cum quolibet ente, et sic hæc albedo huius Scholæ esset connexa cum possibilitate Antichristi, quia ea implicante implicaret hæc albedo.

Dices secundò. Hæc materia essentialiter, et determinatè respicit, et exigit hanc entitatem Dei, sed si forma ignis implicaret non esset hæc entitas Dei, sed alia, quia hæc entitas Dei habet hoc prædicatum intrinsecum, nempè exigentiam essentialem, & determinatam formæ ignis, vt supponitur ex sententia à nobis laudata, ergo implicante forma ignis, hæc materia non respiceret, nec exigeret hanc entitatem, quæ nunc non esset, adeòque implicaret materia. Hoc argumentum non militat magis contra hanc sententiam de materia, quàm contra communissimam sententiam, quod quodlibet ens non exigat determinatè possibilitatem cuiuscunque alteriùs, quis enim dixerit, quod volatus vnius Muscæ essentialiter, et determinatè exigat possibilitatem Antichristi? Soluendum est tamen hìc ex occasione materiæ, vt in cæteris etiam rebus habeatur eius solutio, Quare Respondeo distinguendo maiorem, hæc materia essentialiter, & determinatè exigit hanc essentiam Dei absolutè, & facta qualibet suppositione possibili concedo, facta aliqua suppositione impossibili nego, & nego vltimam consequentiam, quod tunc materia implicaret; dupliciter enim possumus cõcipere tendentiam, seu exigentiam determinatã circa aliquid, primò, vt eo termino exigentiæ ablato ex quacunque suppositione, etiam impossibili, facta circa illum terminum, pereat illa exigentia, & talem multi ponunt probabiliter exigentiam in Deo circa singulas creaturas possibiles; adeoq. facta suppositione impossibili, quod formica implicaret, non esset ampliùs hæc entitas Dei, sed esset alia, quàmuis illis competeret totum conceptum primarium

marium Dei, talem etiam exigentiam ponunt Authores, quos impugnamus, in materia respectu formarum possibilium. Secundò potest esse exigentia determinatè etiam tendens in aliquem terminum, sed determinatione diuersa à prima, diuersitas autem determinationis consistit in hoc, quod facta quidem quacunque suppositione possibili circa terminum illius exigentiæ, adhuc exigat existentiam termini, adeoque exigit, vt nulla sit suppositio possibilis, quę sit destructiua sui termini, & hoc dicimus exigere absolutè terminum, etiam facta quacunque suppositione possibili. At verò si fiat suppositio impossibilis, quæ sit ablatiua termini, adhuc tamen ea exigentia existeret, etiam ablato eius termino ex suppositione impossibili, quia ea exigentia est talis naturæ, & determinationis, vt non exigat dari terminum facta suppositione aliqua impossibili, sicuti exigebat prima exigentia.

Huius secundæ classis est exigentia, quam habent creaturæ respectu huius entitatis Diuinę; exigunt enim esse, & absolutè dari hãc Dei entitatem, etiam facta quacunque suppositione possibili, at non exigunt dari hanc Dei entitatem, facta quacunque suppositione impossibili. In quacunque tamen suppositione, etiam impossibili, exigunt dari entitatem Diuinam, cui competant prædicata primaria Dei, quia cum prędicatis primarijs Dei habent exigentiam primo modo.

Atque hinc obiter soluitur alia obiectio spectans ad omnes ferè materias; quod nimirum si quis comprehendat vnam Creaturam, deberet etiam cognoscere in Deo omnes Creaturas distinctè, cum enim formica V. G. essentialiter exigat Dei entitatem, si comprehendatur Formica, debet cognosci clarè talis exigentia, quæ est essentia ipsius, adeoque debet cognosci Terminus talis exigentię, nempe hęc entitas Dei, sed non potest cognosci hæc entitas Dei, nisi cognoscantur prædicata, per quæ est hæc entitas; hæc autem prædicata, iuxta sententiam supra laudatam, sunt exigentiæ cuiusque creaturæ in particulari, si enim vna ex creaturis esset impossibilis, hæc entitas Dei non esset hæc, ergo si debet cognoscere hanc Dei entitatem, deberet cognoscere singulas creaturas essentialiter requisitas, vt sit hæc entitas Dei. Soluitur autem hoc argumentum negando, quod formica exigat hanc Dei entitatem determinatè, vt supra diximus, quia non exigit, vt Deus sit connexus cum Leone V. G, si Leo sit chymæra, quia facta hac suppositione esset imperfectio in Deo talis connexio, quæ de facto est perfectio; Nulla autem creatura exigit, vt alia creatura sit perfectio, vel non sit perfectio, nisi

per-

pertineat ad ipsam, præscindendo à Deo. Quare solùm exigit quælibet creatura, vt Deus habeat omnem excogitabilem perfectionẽ in quocunque casu possibili, non autem exigit, vt facta suppositione impossibili, & posito quod Leo sit chymæra, perfectio Dei se extendat ad Leonem, quia in eo casu non esset perfectio posse facere leonem, sed potius esset imperfectio. Immo ex hoc ipso, quod quælibet creatura exigat summam perfectionem in Deo, debet exigere, vt si leo implicet, Diuina perfectio non extendatur ad leonem, quia esset imperfectio, facta hac suppositione, quod Deus connectatur cum leone, qui esset chymæra, quare semper stat, quod ex vi comprehensionis formicæ debet quidem cognosci Deus vt summè perfectus, non autem est necesse, vt cognoscatur vt connexus cum leone, nisi aliundè sciatur, quod leo sit possibilis.

Denique obiectum fuit à quodam ingenioso recentiore, quod si forma ignis V.G. implicaret, implicaret etiam materia, & quodlibet ens, nam si forma ignis implicaret, existeret forma ignis, & eius negatio, quia hoc est rem esse implicantem, nempe verificari duo contradictoria, ergo etiã de materia verificarentur duo contradictoria, nempè quod coëxisteret formæ ignis, & non coexisteret. Coexisteret quidem, quia in tali suppositione esset forma ignis; non coexisteret, quia esset eiusdem formæ negatio. Solutio huius obiectionis dependet ab ijs, quæ diximus in Logica de ente rationis, & iuxta varias sententias habet varias solutiones. In sententia nostra facilè respondetur negando, quod verificarentur duo cõtradictoria de ipsa materia, quia per nos ens fictum, & implicans dicit tertiã quandam entitatem simplicem, per quam verificatur iudicium complexum, est, & non est forma ignis, quæ entitas non esset forma ignis, neque eius negatio, quare solùm verificaretur tunc, quod materia coëxisteret illi tertiæ entitati verificatiuę talis iudicij, quod non est absurdum posito casu impossibili.

Dices. Materia habet essentialiter non coëxistere enti ficto, sed tunc coëxisteret, ergo coëxisteret, & non coëxisterent enti ficto.

Resp. Negando antecedens facta quacunqpe suppositione impossibili, & ratio est, quia materia per sua intrinseca prædicata, nec habet coexistere formæ ignis, nec habet non coexistere: cum coexistẽtia sit denominatio partim intrinseca materiæ, partim extrinseca, vt suppono; Hinc sequitur: quod ipsa per suam entitatem non exigat essentialiter, ne forma ignis implicet, quia non habet prædicatum, per quod determinatè respiciat formam ignis, quare si nõ implicat, & existit, coexistet cum ea, si ponatur eã implicare, æquè bene coexistet

xistet cum ipsa implicante, quæ coexistentia etiam tunc erit denominatio partim intrinseca materiæ, & ea pars erit realis, partim intrinseca formæ chymericæ, & ea pars erit entitas ficta, quæ denominatio, facta ea suppositione, non erit absurda, sed omnino consequês, & vera.

At verò in sententia, quæ poneret pro ente fictò veram formam ignis V.G. & veram negationem eiusdem, & quam nos in logicis impugnauimus, non sequitur ex hac obiectione maius absurdum, nec absurdum nouum, sed solùm illud absurdum, quod præscindendo ab hac obiectione, sequeretur semper in ea sententia, quod scilicet esset verum simul, & falsum, quod existeret forma, & quod existeret negatio formæ, cæterum deuorato hoo absurdo, quod maximum est, respondèrent optimè ad hanc obiectionem, esse quidem absurdum, quod de materia verificentur duo contradictoria ex vi suæ entitatis, vel quod verificetur, quod ipsa materia existeret, & non existeret, at non esse absurdum, quod verificentur duo contradictoria ex vi implicantiæ positæ, quæ tota est extrinseca materiæ, quid enim transit implicantiæ intra ipsam materiam, si illam circùdant extrinsecè duo contradictoria, dummodo illa per suam entitatem non exigat determinatè, quod existat forma ignis? Quare ex vi præcisa huius argumenti non infertur nouum absurdum contra materiam, quod absurdum aliundè non deuoretur ab eadem sententia, ex eo quod admittat veram formam ignis, & veram negationem eiusdem pro essentia impossibili, & chymerica.

Ad perfectiorem huius quæstionis absolutionem restat examinare argumentum de infinitate, propter quod aliqui negant potentiam determinarè respicientem formas in materia, dicunt enim, quod sequeretur materiam esse infinitam, quia haberet infinitas perfectiones, & infinitos ordines formaliter inter se distinctos, si enim fingamus materias, quarum vnaquæque respiciat vnicam formam, certè hę materię essent infinitæ, sed materia determinatè respiciens omnes formas æquiualeret omnibus his materijs, ergo esset infinitæ perfectionis. Hoc argumentum non videtur efficax, quia nimis probat, nam ex eo sequeretur, Leonem esse infinitæ perfectionis; nam potest Deus facere infinita animalia imperfectiora Leone quibus omnibus æquinaleret Leo; ergo esset infinitæ perfectionis, quia æquinalet infinitis perfectionibus animalium possibilium. Præterea cognitiones distinctæ de singulis rebus futuris per totam æternitatem certè essent numero infinitæ, & tamen cognitio creata Christi Domini, quam habet de facto æquiualet omnibus illis cogni-

gnitionibus, quia videt iuxta probabiliorem sententiam, distincte omnia futura; denique neque argumentum bene concludit; nam esse infinitum in perfectione indiuisibili non potest haberi ex eo, quod sint assignabiles infinitę partes perfectionis æqualis, sicuti euenit in infinito quo ad molē, cuius infinitudo consistit in eo, quod habeat partes æquales vnicertę determinatè, V. G. habeat infinitos palmos, vel si sit numerus infinitas vnitates.

Ratio est, quia perfectio indiuisibilis non potest habere partes, neq; per intellectum, non enim dantur formalitates obiectiuę, quarum vna possit concipi alia non concepta, sed solùm habet, posse accipi totam entitatem perfectionis, nunc vt æquialentem huic rei, nunc vt æquialentem alteri, sed æquialere infinitis rebus distinctis, non arguit infinitam perfectionem in entitate illis æquialente, ergo non arguit infinitatem. Minor probatur, tum exemplo de Leone, & cognitione Christi Domini supra allato, tum etiam ratione a priori, quia quoties entitas est indiuisibilis, quo perfectior est, eò minus requirit, ad hoc vt intelligatur æquialens etiam alteri perfectioni. E. G. sit adamas æquialens per suam indiuisibilem perfectionem decem adamantibus imperfectioribus, & sit alius adamas, qui indiuisibiliter æquialeat centum adamantibus, vt intelligamus, primum adamantem æquialere vni adamanti vltra decē, debemus intelligere in eo superaddi aliquam perfectionem multò maiorem, quàm illa, quæ superadderetur secundo adamanti, vt intelligatur æquialens vni alij adamanti supra centum, quibus prius æquialebat, quia perfectio secundi adamantis, cum sit maior perfectione primi, facta illi parua accessione perfectionis, potest æquialere alij adamanti de nouo; adiuuatur enim ad hanc nouam æquialentiam a sua perfectione, qnæ est maior, quàm illa primi adamantis; & ita primus adamas, vt æquialeat vni alij supra decem, debet accipere maiorem accessionem perfectionis, quia non habet in se tãtam, a qua adiuuetur, quantã habet secundus adamas. Ex hac ratione cõficitur, quod possit vna res finitę perfectionis æquialere pluribus infinitis indiuisibiliter, quia, vt æquinaleat V. G. decē, requiritur perfectio finita, vt æquialeat vndecim requiritur aliquid plus perfectionis, vt æquialeat 12. requiritur aliquis accessus perfectionis sed minor, quã accessus antecedēs; vt æquialeat 13, requiritur quidem accessus perfectionis, sed adhuc minor, & ita per accessiones perfectionis semper minores, & minores habetur æquialentia ad plura, & plura; quoties autem perfectio ita crescit, nempe per incrementa minora, & minora, nunquam crescit in infinitum.

ad

Digitized by Google

ad hoc enim, vt creſceret infinitè, deberet creſcere per incrementa æqualia perfectionis, vt patet in quantitate continua; quæ ſi creſceret per medietates, nũquã euaderet infinita, ſi enim vni palmo addatur medius, & illi medio dimidiũ medij, & deinde dimidium dimidij, & ſic in infinitum, nunquàm ille palmus creſceret infinitè.

Secunda Ratio, propter quam aliqui negant, materiam reſpicere determinatè formas eſt, quia ſequeretur, quod materia eſſet incomprehenſibilis naturaliter ab Angelo, quod non videtur concedendum. Sequela probatur, nam, vt materia comprehenderetur, deberent cognoſci diſtinctè omnes formę ſubſtantiales, quæ ſunt infinitæ, cum enim materia poneretur reſpicere determinatè ſingulas, vt benè, & perfectè cognoſceretur eius eſſentia, deberent ſingulæ diſtinctè cognoſci; repugnat autem cognitio naturalis circa infinita diſtinctè. Hæc tamen ratio, neq. conuincit; poſſumus enim negare ſequelam, & ad probationem reſpondere, quod non repugnet cognitio diſtincta rerum infinitarum debita naturaliter Angelo, dummodò non ſit cognitio diſtincta omnium poſſibilium, quę in communi ſententia cum S. Thoma 3. parte quæſt. 26. art. 3. implicat: poſſet ergo materia hæc comprehendi ab Angelo, cuius cognitio poteſt diſtinctè cognoſcere aliquid infinitum, vt optimè probat Card. de Lugo in tertiam partem de Incarnatione diſp. 19. ſect. 2. num. 45. & alij, quare ſi materia ponatur eſſentialiter connexa cum ſingulis formis determinatè, nullum eſt abſurdum, quod comprehendatur ab Angelo naturaliter per cognitionem cognoſcentem diſtinctè infinita.

Ex dictis colligitur, cur nõ ſit bonum debitum materiæ, quod ſit poſſibilis hæc, vel illa forma particularis, quia videlicèt quacumquè impoſſibilitata, æquè bene poſſet facere vnum per ſe cum illis, quæ remanerent poſſibiles, imò etiamſi implicaret vna ſpecies formarum materiæ, nihil caperet detrimenti, quia adhuc æquè benè poſſet facere vnum per ſe cum ſpeciebus remanentibus, quod totũ prouenit ex indifferentia, quam habet ad quamlibet ſpeciem, & ita ſi agens poteſt producere aliquã formã, ipſa poteſt recipere, ſi agens non poſſit, neque illa poteſt recipere.

ARTICVLVS VI.

An potentia ad formas accidentales sit illis de essentia.

NOn desunt Authores, qui videntur asserere dari duas materias, alteram substantialem, quæ faciat vnum cum formis substantialibus: alteram accidētalem, quæ faciat vnum cum formis accidentalibus. Ita sentit Soncinas 12. Metaph quæst. 16. Iauellus quæst. 8. & ex parte etiam Caietanus prima parte quæst. 54. artic. 3. colligunt hoc ex Aristotele 8. Metaph. textu 9. vbi ait, in omni definitione aliquid debere esse vt materiam, aliquid, vt formam; ergo in definitione accidentis debet dari aliquid, vt materia accidentalis. Præterea lib. 12. Metaph. textu 22. ait, in omnibus generibus reperiri materiam, formam, & priuationem; citant etiam Auerroem primo de Anima comment. 6. vbi ait potentiam, & actum ad vnumquodq. prædicatum esse in illo genere prædicamenti. Contra hanc sententiam communiter sentiunt primò, quia hæc potentia accidentalis vel recipitur à materia per se ipsam, vel per aliam potentiam distinctam; si secundum datur processus in infinitum, nam hæc alia potētia debet etiam recipi per aliam, & hæc rursus per aliam, & sic in infinitum; si primum, ergo sicut materia se ipsa recipit hanc potentiam accidentalem, quæ est accidens physicum, sic etiam poterit ipsa recipere quodlibet accidens. Secundò, quia nullum est indicium talis materiæ accidentalis, quando enim corrumpitur lumen in aëre, nihil apparet luminosi in eodem aëre, ergo non restat aliqua materia accidentalis, quæ faciebat vnum accidentale cum lumine.

Paritas de vno substantiali nihil valet, quia si negetur materia substantialis, non daretur generatio de nouo, sed omnia crearētur, vt supra probauimus agentes de materia. Ad Arist. Respondetur, quod in omni definitione datur genus, & differentia, genus autem appellatur etiam materia, & differentia forma propter similitudinem quam habent. Ad alium locum dico in omnibus generibus, & prædicamentis reperiri materiam, formam, & priuationem, sed non dicit Arist. reperiri materiam accidentalem, quantùm enim dicit materiam & quantitatē, & sic de cæteris prædicamentis.

Reiecta hac sententia, restat quæstio an sit eadem potentia materiæ ad formas substantiales simul, & accidentales, an differant hę duæ potentiæ formaliter: pro qua re aduertendum est primò. Nos

hic

hic non quærerè, an potentia materiæ distinguatur in duas formalitates intrinsecè diuersas, & per vnam respiciat formas substantiales, per aliam accidentales, cum enim negemus præcisionem obiectiuam, non admittimus has formalitates virtualiter distinctas. Præterea neque quærimus an sint diuersa obliqua forma substantialis, & accidentalis: certum enim est esse diuersa, ac proinde materia, prout comparata ad formas substantiales, non est materia, prout comparata in ordine ad formas accidentales, quarè in hoc sensu distinguntur potentiæ. Solùm ergo quærimus, vtrum possit haberi conceptus primus materiæ, per quem contradistinguatur ab omni alia re, solùm per potentiam ad formas substantiales, præscindendo à formis accidentalibus, et necesse sit, vt in primo conceptu essentiali materiæ debeat concipi potentia ad formas accidentales.

Aduertendum est secundò, in nobis duplicem dari volitionem, alteram inefficacem, alteram efficacem. Per primam non dicimur rem simpliciter intendere, sed solùm habere aliquam complacentiam de illa re, quæ complacentia non sufficit, vt adhibeamus media ad rem consequendam, & explicatur per propositionem conditionatam, ego curarem consequi hanc rem, si non esset impossibilis, vel non esset valdè difficilis, &c.

Secunda volitio est, qua simpliciter volumus rem ipsam cõsequi, vndè ad hoc vt efficaciter ametur obiectum, debet nobis apparere possibile. Atque hæc volitio est intentio finis, qua volumus efficaciter ipsam consequi. Præter hanc efficacem volitionem datur alia volitio, nempè electio mediorum, quam præcedit consultatio ex parte intellectus, postquàm enim volumus efficaciter consequi V. G. sanitatem, ex vi talis volitionis consultamus de bonis, & vtilibus medijs ad sanitatem, & facta consultatione eligimus media maximè vtilia ad sanitatem, hæc electio aliquando est distincta realiter ab intentione efficaci finis, aliquando est idem actus realiter. Post electionem sequitur volitio executiua mediorum, quæ nimirũ imperat executionem ipsorum.

Tertiò, est aduertendum, quod licèt electio mediorũ, & intentio finis distinguantur, tamen ipsa intentio finis est semper essentialiter intentio mediorum, saltem indeterminatè, si enim intendere finem, est velle omninò cõsequi finem, implicat quin eodem actu velimus ponere ea omnia, quæ sunt necessaria ad positionem finis, vt benè probat P. Hurtadus disp. 14. de Anima sect. 3. num. 20. vbi plurimos citat. Confirmatur autem, quia nisi videamus finem esse possibilẽ,

non possumus velle finem efficaciter, ergo signum est, quod intentio finis fertur etiam in media. Ad quid enim debeo cognoscere esse mihi possibilia media, quibus consequar finem, si per eam volitionem necesse non est, vt velim ipsa media.

Neque dicas intentionem efficacem finis esse talem volitionem circa finem, ex qua necessariò sequatur volitio mediorum; Non autem esse formaliter volitionem mediorum inclusam in volitione finis; ham contra est, quia sequeretur, ex hoc, quod cognita bonitate alicuius rei, etiam si nescirem, an res illa sit possibilis, possem efficaciter amare, quia iã per illã volitionẽ non deberem amare media, ergo non est necesse illa cognoscere, vt possibilia, quòd certè nemo admittit: imprudenter enim se gereret voluntas, si vellet omninò consequi id, quod nescit, an possit consequi, ergo non potest velle finem efficaciter, quin eadem volitione velit etiam media: imò in hoc communiter ponunt discrimen inter volitionem efficacem, & inefficacem, quod hęc saltem implicitè velit media, secus verò illa inefficax: cęterùm totum hoc in præsenti quæstione supponendum est.

Distinctio inter intentionem finis, & electionem mediorum est, quòd intentio satis est, si velit media, quę erũt necessaria ad finem, & cognoscit vt possibilia, nihil in particulari eligendo, & determinando. Possunt enim esse plurima media, & cõsequenter potest hæc eligere, & alia relinquere, & quamuis sit vnum medium aliquando, potest tamen intendere finem, ignorando quidem an sit vnum, an plura media, quarè electio est volitio magis determinata, qua volumus hæc media in particulari, & non alia.

Dicendum, videtur conceptum adæquatum materiæ inuoluere potentiam ad formas accidentales indeterminatè vt media ad formas substantiales. Probatur primò conclusio à paritate voluntatis efficacis, nam sicuti se habet actus efficax voluntatis circa finem, & media ad illum finem, ita se habet potentia, & inclinatio materiæ, sed idem actus formaliter tendit in media, & finem, ergo idem appetitus materiæ tendit formaliter in formas substantiales, vt finem, & accidentales, vt media. Maior probatur, quia quemadmodum actus voluntatis fertur in bonum apprehensum, sic etiam materia fertur in bonum suum naturaliter, cum sit appetitus inuatus cuiuscumque rei perfectibilis naturaliter respectu sui perfectiui, ergo in hoc, quod tam actus voluntatis, quam materia ferantur in bonum suum pari modo se habent. Minor probatur, quia media præcisè, vt media, nullam habent aliam appetibilitatem, & bonitatem

tem, nisi quam habet finis, ergo non habent aliam potentiam, seù appetentiam circa se versantem, nisi illam, quæ versatur formaliter circa finem, cum sit eadem bonitas.

Confirmatur, quia vbi vna est formaliter bonitas, non potest esse duplex formalis appetentia ad illam, cum tota ratio terminandi appetentiam, & illam quasi alliciēdam sit prorsus eadem, ergo cum media habeant solùm bonitatē finis, non possunt appeti diuersa appetentia formaliter ab appetentia finis.

Probatur secondò, quia præscindendo à formis substantialibus, formæ accidentales non possunt concipi, vt appetibiles à materia: quia solum à natura fiunt, vt media ad substantiam, ergo appetentia materiæ respectu accidentium est formaliter appetentia respectu substantiæ, vt finis. Antecedens probatur, nam accidentia sunt essentialiter media ad substantiam, sed medium, vt medium non est appetibile præscindendo à fine, ergo etiam accidentia præscindendo à substantia; sicuti si præscindatur sanitas à medicina, non appeti potest amplius medicina, vt medium, quia non habet rationem bonitatis; medium enim vt medium est respectiuum essentialiter finis, & est bonum vtile, hoc est conducens ad finem, qui est bonum, vel honestum, vel delectabile, vel vtrumque, sed vtile non potest intelligi, nisi concipiatur id, ad quod conducit, quia si est vtile, certè ad aliquid est vtile, quare præscindendo ab illo, ad quod est vtile, non habetur, neque in conceptu, ratio medij etiam vtilis. Quod autem accidentia essentialiter sunt media, patet; quia ad substantiam essentialiter ordinantur à Natura, adeo vt multi dicant, quod Physica non possit per se illa considerare, ergò tota appetibilitas accidentium, est appetibilitas substantiæ, adeoq potentia terminata ad accidentia est eadem formaliter, quæ terminatur ad substantiam, vt ad finem.

Hæ rationes possunt multipliciter impugnari, primò negando esse eandem paritatem inter potentiam materiæ, & intentionem efficacem voluntatis: posset enim dici, solùm esse paritatem, quod sicuti non est frustraneus actus efficax voluntatis, sic neque est frustranea potentia materiæ, non autem, quod sit eadem formaliter potentia ad media; sicut intētio est simul volitio mediorum. Quod confirmatur, quia potentia actiua est simul volitio efficax in ordine ad effectum suum, & tamen non est potentia respiciens omnia media requisita ad illum effectum, V. G. intellectus est potentia actiua ad intellectionem, ad quam intellectionem requiritur etiam species, & tamen intellectus non est potentia actiua ad speciem, quæ

est

est in phantasia. Similiter color intendit ignem, ad quem requiritur vt medium siccitas, & tamen ipsemet color non habet potentiam actiuam ad siccitatem producendam, imò ipsa materia, vt recipiat formam substantialem, requirit necessariò voluntatem Dei, ad quam tamen non dicit ordinem, ergò argumentum à paritate volitionis efficacis ad potentiam materiæ non est conuincens, & ratio potest assignari, quia potentia dicit posse, quod posse multoties non datur in potentia productiua respectu omnium requisitorum ad effectum, vt patet ex his, & alijs exemplis. At volitio efficax non dicit posse, sed velle.

Sed contra est, quia certum esse debet apud omnes, quod omnis potentia, vel actiua sit, vel passiua, licèt non exigat producere, vel accipere omnia media necessaria, vt optimè probat obiecto facta, quia multoties debent aliqua interuenire ad productionem alicuius rei, quorum vnum non subordinatur alij, neque est in potentia alterius, tamen omnis potentia essentialiter exigit, vt effectus, seu finis, quem intendit, sit possibilis, & si est potentia naturalis exigit essentialiter, vt effectus sit possibilis naturaliter. Hinc infertur, quod omnis potentia naturalis essentialiter exigit, vt sint possibilia media necessariò requisita ad effectum, quem intendit; vndè valeret bene consequentia ex hoc capite præcisè, calor potest producere ignem, ergò sunt possibilia omnia media naturaliter requisita ad productionem ignis, non autem valeret inferre, ergo calor potest ponere omnia media naturaliter requisita ad ignem.

Ex hoc sequitur satis apertè, quod si accidens vnitum materiæ, vt medium naturaliter necessarium ad hoc, vt materia recipiat formam substantialem, etiam materia per potentiam receptiuam formæ substantialis exigat, vt sit possibile accidens sibi vnitum, hoc est in se receptū, sed talis exigentia est formalis conceptus potentiæ passiuæ respectu accidentis, ergò potentia, & appetitus materiæ, respectu formæ substantialis, potest intelligi sine appetentia, & potentia passiua ad formas accidentales indeterminatè: hæc consequentia probatur, quia non potest concipi potentia passiua ad formam substantialem sine exigentia, vt dari possit accidens sibi vnitum, sed talis exigentia est formaliter potentia passiua ad formas accidentales, ergò potentia materiæ ad formas substantiales inuoluit essentialiter, & formaliter potentiam ad formas accidentales. Minor probatur, quia potentia passiua, vt passiua respectu alicuius formæ nihil est aliud formaliter: nisi exigentia, vt illa forma possit esse sibi vnita tamquam subiecto, sine pendens ab ea, sine non pendeat.

Hinc

Hinc patet disparitas inter potentiam actiuam, & passiuam, cur scilicèt ex eo, quòd calor exigat esse possibilem siccitatem, & intellectus exigat esse possibilē speciem materialem, non sequitur, quod exigentia sit potentia actiua ad illos terminos, nempè ad siccitatem, & speciem materialem, at verò ex eo, quòd materia exigat accidens sibi vnitum, sequitur, quod hæc exigentia sit potentia passiua formaliter. Ratio autem disparitatis est, quia potentia actiua in ordine ad aliquem effectum non est mera exigentia, vt sit possibilis res aliqua ab alio producta, sed vt sit possibilis producta à se, tunc enim exigit, vt sit possibilis actio pendens à se, per quam res illa ponatur, vt effectus suus, at verò in ordine ad aliquid aliud est solùm exigentia, vt illud detur productum ab alio, & non a se, talem autem exigentiam habet calor respectu siccitatis, & intellectus respectu speciei. At verò materia, vt probaui, habet exigentiam, vt sit possibile accidens vnitum ipsi materiæ, quia accidens, vt vnitum materiæ, est medium naturaliter necessarium ad formā substantialem, vt suppono. Quod si materia haberet aliquam exigentiam, vt sit possibilis aliqua res, non tamen sibi vnita physicè, tunc certè talis exigentia nō esset potentia passiua materiæ, & hoc pacto verùm est, quod materia non habeat potentiam passiuam, vt sit voluntas Dei producendi formam, quia talis voluntas non exigitur à materia, vt sit recepta in se; cæterum quia talis volitio est medium essentialiter requisitum ad obtinendam formam, exigit illam materia, sed non vt potentia passiua illius.

Imò ex his exemplis confirmatur nostra cōclusio, ponamus enim quod calor V.G. sit potentia actiua ad ignem producendum, & fingamus, quod siccitas producta ab eodem calore, & non ab alio agente, sit medium naturaliter necessarium ad productionem ignis, certè in tali casu ficto calor per eandem potentiam actiuam formaliter, vt actiua est, respiceret ignem, & siccitatem, quia per suam entitatem exigeret non solùm posse producere ignem, sed etiam posse producere siccitatem, ergo in tali casu potentia actiua ad siccitatem non esset formaliter distincta à potentia actiua ad ignem. Sed id, quod fingimus in potentia actiua caloris respectu siccitatis, est realiter verùm in potentia passiua materiæ respectu formarum accidentalium, quia ea potentia exigit essentialiter, vt possit accidens esse receptum in ipsamet materia, & non in alia re, ergo habet potentiam passiuam formaliter in ordine ad accidentia inclusa in potentia passiua respectu formarum substantialium.

Dices secundò, ex hac doctrina sequeretur, quod eadem forma, liter

Digitized by Google

liter esset potentia volendi, & intelligendi in homine; quia intellectio est medium necessarium respectu volitionis, ex quo etiam sequeretur vlterius, quod quoties eadem res habet potentias formaliter distinctas, possemus dicere, quod sit vna formaliter potẽtia.

Resp. Primò, negando sequelã. Nam in primis multi volũt, quod voluntas, & intellectus realiter distinguantur, in quorum sententia obiectio non habet vim, sed ponamus non distingui realiter, sed esse eandem entitatem animæ comparatum cum diuersis operationibus, quod probabilius existimo; Est adhuc maxima disparitas primò, quia intellectio non ideò solùm expetitur ab anima, quia est medium ad volitionem, sed præscindendo ab omni volitione, est intellectio per se expetibilis, & consequenter potest considerari potentia per se optime terminata ad intellectionem, præscindendo ab omni volitione, quod non posset esse in accidente, quod supponit esse solùm expetibile vt medium ad substantiam, præsens enim quæstio est: posito quòd accidens non possit expeti, nisi vt medium à materia.

Secunda disparitas est, quia si loquamur de potentia actiua volitionis, ex suo conceptu essentiali non exigit, vt à se producatur intellectio, sed solùm exigit formaliter, vt detur intellectio de obiecto volito, vndè ex præciso conceptu potentiæ volitiuæ actiuæ non habetur, quod ipsamet possit producere intellectionem, sed ex alio capite colligitur, quod intellectus non distinguatur realiter à voluntate, V.G. quia frustra multiplicarentur entia sine necessitate, vel ex alio capite. At in casu nostro materia quatenus est potens recipere formas substantiales, exigit vt ipsamet, & non aliud possit recipere formas accidentales, & non præscindit ab hoc in ipso conceptu potentiæ ad formas substantiales, sicuti præscindit voluntas.

Quod si loquamur de voluntate: vt potentia passiua, dico quod formaliter, vt voluntas est, debet recipere intellectionem: non tamen sequitur, quod formaliter sit intellectus; ratio est, quia debet recipere intellectionem præcisè, vt medium ad volitionem, non autem, vt effectum per se intentum, at vero formalitas intellectus est, vt & producat, & recipiat in se intellectionem tanquam effectum vltimò intentũ, & non tanquam medium ad aliquid aliud; quam formalitatem, vt diximus, non habet voluntas, quæ respicit intellectionem præcisè quatenus medium ad volitionem, quo pacto etiam materia respicit accidentia.

Dices tertiò; in voluntate dantur duo actus, alter est efficax intentio

Digitized by Google

tentio finis, alter electio mediorum, ergo in materia dantur etiam duæ potentiæ formaliter distinctæ altera respiciens formas substantiales, altera accidentales, sic enim seruatur paritas, & proportio inter actus elicitos, & innatos.

Resp. distinguendo antecedens: in voluntate datur intentio efficax finis, quę formaliter non sit etiam intentio mediorum saltē in confuso nego, quę formaliter non sit intentio mediorum determinatè concedo. Quare in actu efficaci intentionis formaliter duo obiecta intelliguntur volita, primum explicitè, & determinatè, & est finis, secundum implicitè, & indeterminatè, & sunt media: deinde datur alius actus, nempè electio mediorum, qui actus determinatè eligit hæc potius media, quam alia, nec enim est absurdum, sed omninò necessarium, quod aliquando omninò intelligamur appetere media, primò indeterminatè per ipsam intentionem finis, deinde determinatè, per electionem formalem mediorum, aliquando etiam per vnicum actum indiuisibilem, & intendimus finem, & eligimus media, quādo præsertim media apparent determinatè necessaria, licèt autem aliquando amemus finem cōditionatè, & eligamus media absolutè, quod fieri posse doctissimè probauit Cardinalis de Lugo tom. 2. de pœnitentia, disp. 2. sect. 3 num. 39. tamen semper sequitur, quod actus intentionis aliquo pacto tendat in media, siue absolutè, siue conditionatè nihil tamen determinando. Pari modo possumus in materia reperire duas formalitates, prima est potentia ad formas substantiales tanquam ad finem, & implicitè ad formas accidentales tanquam ad media, secūda est potētia prœcisè ad formas accidētales magis determinatè vnde semper concluditur quod non possit accipi potentia materiæ ad formas substantiales totaliter præscindendo ab accidentalibus.

Obijcies primò. Hæc propositio causalis est vera. Materia ideò appetit accidentia, quia appetit formam substantialem, ergo prius est appetere substantiam, quàm accidentia, sed pro eo priori habetur conceptus appetentiæ materiæ circa formas substātiales, & non circa accidentales tales, ergo prima appetentia non inuoluit secundam formaliter.

Resp. negando antecedens in vero sensu causali, nam appetentia circa formam substantialem non est causa cur materia appetat accidentia: bona ergo causalis esset, ideò materia appeti; accidentia quia formæ substantiales sunt bonum per se appetibile à materia, & accidentia conducunt ad illud bonum: sic etiam ideò appeto media ad sanitatem, quia sanitas est per se expetibilis, & media con-

ducunt ad illam; quare non supponitur aliqua appetentia prior circa finem, quam circa media saltem in confuso. Et ratio est, quia finis non mouet me per amorem, quo illum amo, sed per bonitatem apprehensam, quare bonitas se habet, vt prior, non autem amor de illa bonitate, sed de hoc agemus in causa finali.

Dices. Est commune Axioma, quod prius in intentione est substantia, quam accidens, sicuti prior in intentione est finis quam media, ergo pro eo priori intelligitur materia absque eo, quod intelligatur intendens accidentia etiam in confuso.

Respondeo illud Axioma esse intelligendum, quod finis est prior in ratione mouentis obiectiuè, quod scilicèt bonitas finis sit causa, quæ nos mouet ad amanda media, & illa exequenda, quod totum verificatur in forma substantiali respectu materiæ, non autem sensus est, quod debeat prius dari appetentia circa finem, quàm circa media in confuso, sed simul, & semel fit appetentia finis, & mediorum per bonitatem finis.

Obijcies Secundò. Prius materia recipit accidentia, quàm formam substantialem, ergo prius potest recipere accidentia, quàm formam sustantialem, ergo non est eadem potentia.

Resp. distinguo consequēs, si illud prius cadat supra, recipere, cōcedo, si cadat supra, potest, nego, multa enim sunt, quæ prius in executione accipiuntur; non autem in intentione, & etiam è cōtrario.

Ex dictis colligitur disparitas inter assensum præmissarum respectu conclusionis, & potentiam materiæ ad formas substantiales, & accidentales, assensus enim præmissarum est causa assensus conclusionis, discursus enim hoc est tertia operatio pendet ab assensu præmissarum, at verò potentia materiæ ad formas accidentales non est causata à potentia materiæ ad formas substantiales.

ARTICVLVS VII.

Quomodo materia respiciat formas supernaturaliter producibiles?

SVppono formas supernaturaliter producibiles esse in duplici classe, aliæ sunt supernaturales secundum substantiam, aliæ secundum modum, dicuntur formæ supernaturales secundū modum quando ipsæ formæ sunt naturales, sed modus, quo producuntur est modus indebitus Naturæ, vt esset productio Rosæ in hyeme, qua-

uis

Digitized by Google

uis enim Rosa fit aliquod naturale, tamen illa productio esset indebita. Formæ supernaturales secundum substantiam sunt illæ, quæ nō possunt produci ab agente naturali, hæ autem formę non possunt esse substantiales, sed sēper debent esse accidentales Ratio est, quia ad hoc, vt aliquod sit supernaturale debet esse indebitum cuicunq. substantiæ naturaliter producibili: substantia autem cum sit prima radix, nulli debet esse debita, adeoq; non potest reperiri substantia naturalis, & supernaturalis, quia hoc ipso, quod est substantia nulli est debita, sed ipsi debentur illius proprietates, at verò, quia formæ accidentales naturales alicui substantiæ debitę sunt, potest dari forma supernaturalis, quæ nulli substantię debita sit.

Duplex est potentia in materia, altera naturalis, altera obedientialis, sed vtraque est eadem simplex entitas materię, & solùm vna distinguitur ab altera per diuersa obliqua, potentia enim naturalis est ipsa materia prout respicit formas, vt producibiles ab agēte naturali; potentia obedientialis est eadem materia prout respicit formas producibiles solùm ab agente supernaturali, siue illę sint supernaturales secundum substantiam, vel secundum modum.

Forma semel corrupta dupliciter accipi potest, primò specificatiuè, nempè illa forma, quæ est corrupta. Secundò reduplicatiuè quatenus corrupta est; primo modo accepta præscindit ab eo quod sit corrupta, vel non corrupta, & solùm sumitur entitas formę secundum se, quę semper est eadem; Secundo modo non accipitur sola forma, sed etiam accipitur ipsa corruptio, quamuis enim agens naturale possit producere formam A. non tamen potest illam producere, vt corruptam, hoc est postquam corrupta fuit.

His positis dico primò materia habet potentiam obedientialem ad formas supernaturaliter producibiles, adeoque etiam ad formas corruptas.

Probatur Concluſio, quia materia debet recipere quidquid à Deo in ea ponitur, ergo habet posse recipere formas quomodocumque supernaturaliter producibiles, sed talis potentia est obedientialis, quia connotat agens supernaturaliter operans. ergo habet potentiam obedientialem ad omnes formas supernaturaliter producibiles.

Dices. Grauitas miraculosè posita in vacuo non habet potentiā producendi motum deorsum quamuis habeat ad producendum in pleno, ergo etiam si materia habeat potentiam ad formam naturaliter producibilem non debet habere ad supernaturaliter producibilem. Consequentia probatur, quia sicuti entitas lapidis non inclinat

clinat ad motum in vacuo, quia est res miraculosa, ita etiam materia non debet inclinare ad accidens miraculosum. Sed contra est, quia posito, quod verum sit antecedens, de quo multi dubitant, quod nempè grauia non moueantur in vacuo, adhuc restat, quod tota ratio cur grauia non moueantur in vacuo, est, quia talis motus iuxta hanc sententiam, esset miraculosus, grauitas autem non potest facere miraculum, at verò materia, vt recipiat accidens supernaturale nullum debet facere ipsa miraculum, quod solùm debet fieri à Deo producente formam supernaturalem adeoq. non est eadem ratio quæ reperitur in grauitate respectu motus in vacuo, materia autem nihil producit supernaturale, quando recipit formam supernaturalem, sed solùm concurrit, vt potentia passiua connotans agens supernaturale.

Dices Secundò. Materia neque de potentia Dei absoluta potest facere vnum per se cum Angelo, ergo neque potest recipere accidens supernaturale miraculosè.

Sed contra est, quia ad hoc, vt materia faciat vnum per se cum aliquo alio debet dari proportio inter materiam & illud, non datur autem proportio inter materiam, & Angelum, neque Deus potest facere, vt ea quæ sunt improportionata, euadant de potentia sua infinita proportionata: proportio enim consistit in eo, quod hæc prædicata huius rei sint talia, & prædicata alterius sint talia: si ergo prædicata huius rei non sunt talia, Deus non potest facere, vt euadant talia: sic Deus non potest facere, vt quatuor V. G. respectu septem sint dimidium, quia est talis proportio dimidij requisiti, vt si in vno termino sint quatuor, in altero sint octo. At verò recipere accidens non sonat proportionem aliquam, quæ non reperiatur in materia respectu cuiuscunque accidentis, siuè naturalis, siuè supernaturalis; solum enim sonat, quod materia sit capax recipiendi quamlibet formam, & quod illud quod recipit, sit ali quo modo per sectiuum materiæ, quæ prædicata reperiuntur in materia respectu formæ supernaturalis: cœterùm potentia hæc obedientialis non est positiua inclinatio materiæ respectu formæ supernaturalis, sed est mera non repugnantia; ratio est, quia materia, & omnis res debet naturaliter inclinare solùm ad bonum sibi debitum naturaliter nulla autem forma supernaturalis est bonum naturaliter debitum materiç; si enim esset hoc pacto non esset amplius forma supernaturalis, sed naturalis, quia esset debitum alicui Naturç, nempè materiæ.

Dico Secundò, Materia habet potentiam naturalem simul ad

omnes

Digitized by Google

omnes formas naturales, siue substantiales, siue accidentales, ita tamen, vt particula simul cadat supra potentiam, non supra formas

Hæc conclusio potest alijs terminis explicari, dicendo quod materia habet simultatem potentiæ, non autem potentiam simultatis ad omnes formas. Simultas potentiæ, vt alibi explicauimus, est cum potentia ad vnum actum bene stat simul cum potentia ad alium, vel alios actus, vt potentia sedendi bene stat cum potentia ambulandi Potentia simultatis est cum plures actus possunt simul coniungi inter se, & simul cum potentia, & hoc pacto non habet potentiam simultatis ad sedendum, & ambulandum dico igitur, quod potentia materiæ est simultas potentiæ ad omnes formas, non autem Potentia simultatis.

Probatur conclusio, quia materia non exigit habere duas formas substantiales simul, & tamen, quando habet vnam formam substantialem, v.g. formam ignis, habet simul potentiam recipiendi formam aquæ, sed non recipiendi simul cum forma ignis, sed illa pereunte, sicuti Petrus sedens habet simul potentiam ad currendum corrupta sessione, ergo materia habet simultatem potentiæ, & non potentiam simultatis ad omnes formas. Quod si loquamur de formis accidentalibus habet etiã potentiam simultatis ad ea omnia accidentia, quæ naturaliter possunt produci simul in materia stante tali forma substantiali, vt per se patet.

Obijcies Primò. Corrupta, v.g. forma ignis materia non habet potentiam naturalem ad illam, quia forma illa non est amplius naturaliter producibilis, ergo potentia naturalis materiæ ad formas substantiales non est de illius essentia, quippe quæ aliquando amittatur.

Respondeo negando antecedens, quia illa forma est naturaliter producibilis simpliciter, non quidem quatenus corrupta est, sed ante corruptionem materiæ, ergo respicit formam eo modo, quo naturaliter possibilis est antequã fit corrupta, non autem postquam corrupta est.

Dices. Frustra est hæc potentia in materia ad formam postquam est corrupta, quia non potest vnquam reduci ad actum naturaliter.

Respondeo negando, quod non possit reduci ad actum, quem habet ea potẽtia pro suo termino; debemus enim in potentija considerare actus proprios ipsarum, & non actus illis indebitos, quos non respiciunt; naturalis ergo potentia materiæ non habet pro actu, quem respicit, formam reproducibilem: forma autem etiam postquam corrupta est, non amittit esse primò producibilem ab

agente

agente creato, quia hoc est prædicatum essentiale illius possibilitatis; at verò esset potentia otiosa illa quæ respiceret actum, quem nunquam posset habere, quia tunc frustrà producta fuisset talis potentia, ac si semel potest habere suum actum, semper illum respicit prout acquisibilem tali tempore, etiam postquam illum acquisiuit; sic v.g. Cœlum habet nunc potentiam, vt primò creetur à Deo; non quidem, vt primò creatur nunc, posito, quod iam fuerit, sed vt primò creetur simpliciter, quam potentiam habet etiã nunc, quia est essentia Cœli, quare sèper debet comparari potentia cum actu sibi correspondère, eo modo, quo sibi correspondet simpliciter autem facta qualibet suppositione.

Obijcies Secundò. Materia cum possidet nobilissimam formam, v.g. animam non appetit actum, quia appeteret destructionem illius quam habet, quod est malum materiæ. ergo falsum est, quod appetat omnes formas.

Respondeo, quod materia appetit formas secundum se, & non vt afferunt destructionem alterius; appetere autem secundum se, est quod appetat habere aliquam formam, & ex suppositione, quod illa, quam habet corrumpatur, appetit aliam, ex quo non sequitur, quod appetat aliquid sibi malum, cum non appetat destructionem illius formæ, quam habet; cæterũ licèt Anima sit forma nobilissima, non tamen appetitur magis à materia, quàm aliæ formæ, ratio est, quia materia habet pro fine facere vnum per se, hoc est vnam substantiam completam: substantiæ autem non habent magis, & minus, nec enim datur substantia magis substantia, quàm alia, & ita non appetitur à materia magis hæc quàm illa forma.

Ex dictis colligitur, quo modo materia, quando habet formam, illam appetat, appetit enim per appetitum quasi complacentiæ, & non per appetitum desiderij: dicitur appetitus complacentiæ illa appetentia, quæ possidet id, quod appetit: sic amamus finem per amorem complacentiæ, seù gaudij, quando illam habemus. Appetitus desiderij connotat obiectum, non iam possessum; in materia ergo datur vterque appetitus, qui est idem secundum id, quod dicit in recto, nempe ipsa entitas materiæ, differt autem per obliqua, quia appetitus complacentiæ connotat in obliquo formam positam in materia, appetitus desiderij formam absentem, cætera de materia dicentur in secundo libro de causis.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO III.

De forma ſubſtantiali, & priuatione.

ARTICVLVS I.

Quid ſint, & an dentur formæ ſubſtantiales?

FORMA ſubſtantialis conuenit in aliquibus cum materia: Primò conuenit in eo, quod ſit ens per ſe intentum à natura, quia eſt ſubſtantia. Secundò, quod ſit eſſentialiter incompletum, ſi enim eſſet ens completum deberet per ſe poni in predicamento, & non facere vnum per ſe cum materia. Tertiò debet eſſe determinatiuum ſpeciei, cum enim materia ſit indifferens, vt ſit ſub hac, vel ſub illa forma non poteſt eſſe primum principium operationum huius determinatæ ſpeciei, ſed debet aliquid aliud dari, quod ipſam determinet, & ſimul cum ea conſtituat vnum principium harum operationum. Hinc facta eſt definitio ab Ariſtotele ſecundo phyſicorum tractat. 28. forma eſt ratio ipſius, quod quid erat eſſe rei, ſeu clarius ex noſtra verſione, eſt ratio eius, quod explicat, quid ſit eſſentia. hoc eſt forma ſubſtantialis eſt ratio conſtitutiua eſſentiæ cuiuslibet rei, vt ſi petas, quid ſit eſſe rei, hoc eſt quid ſit eſſentia, reſpondetur per formam.

Verùm hæc definitio non caret difficultatibus, nàm etiam materia poteſt dici conſtitutiuum eſſentiæ cuiuslibet rei, cum enim ipſa ſit pars rei, & res eſſentialiter conſtituatur à partibus, cur potius dicitur conſtitui à forma, quàm à materia? ſi enim fieret equus ex materia alterius ſpeciei (poſito quod ſit poſſibilis) & forma equi, certè talis equus differret ſpecie ab equo, qui eſt de facto, & tamen ſolùm differret ratione materiæ, ergo forma non poteſt conſiſtere, in hoc, quod ſit conſtitutiua eſſentiæ cuiuslibet rei. Confirmatur quia, vt diximus in logicis rem differe ſpecie ab alia eſt differre notabiliter eo modo, quo ibi fusè explicauimus, ſed tam differt notabiliter per materiam diuerſam ſpecie, quam per formam, ergo tam eſt conſtitutiuum ſpeciei forma, quam materia. Conſequentia probatur, quia id, per quod res eſſentialiter differt ab aliis habet rationem conſtitutiui, ſed tam per materiam, quàm per formam

res

res differt ab alia, ergo vtraque habet rationem constitutiui: quo modo ergo forma definitur esse constitutiuum essentiæ, si eadem definitio conuenit materiæ?

Responderi posset primò, quod forma differt à materia, quia materia habet rationem subiecti respectu formæ, non autem è contrario, sed tamen restat adhuc explicandum, quid sit habere rationem subiecti; dicunt aliqui, quod habere rationem subiecti est causare vnionem, per quam forma recipiatur in subiecto. Sed contra est primò, quia in sententia ponente mutuam causalitatem hoc dici non potest, quia tam forma, quã materia concurrunt ad productionem vnionis, & aliqui cum Arriaga dicunt vnionem animæ rationalis pendere etiam ab ipsa anima: præterea in sententia ponẽte duplicem vnionem, alteram in forma, alteram in materia, responsio non valet, quia iam forma causat suam vnionem, ergo hæc explicatio non concordat cum multis sententijs. Secundò impugnatur, quia etiam in sententia negante mutuam causalitatem, & duplicem vnionem ipsa materia est subiectum aliquo modo suæ creationis, & tamẽ creatio, quæ seipsa essentialiter vnitur cum materia non dependet à materia, ergo non potest consistere in hoc ratio subiecti. Denique etiamsi vnio non penderet à materia, sed solùm penderet immediatè à Deo, adhuc per illam vnionem forma cum materia faceret vnum per se, & materia se haberet, vt subiectum, ergo ratio subiecti non consistit in hoc, quod materia causet vnionem.

Secundò dicunt aliqui cum Hurtado rationem subiecti consistere in eo, qnod denominetur à forma. Sed contra est, quia etiã forma denominatur à materia, dicitur enim forma materialis ata, seù habẽs materiã, sicut enim materia dicitur ignea, hoc est habens formã ignis, sic etiam forma dicitur habens materiam, ergo vtraq. denominatur ab vtraque. Ratio autem cur materia habeat multas denominationes, est, quia habet plures formas, at forma, quia non habet nisi vnam materiam non potest denominari, nisi habẽs materiam præterea semper restat dubitandum, cur materiæ potius, quam formæ conueniat denominari, cum vtraque ab altera perficiatur, & compleatur.

Tertiò dicunt alij cum Arriag. disput. 2. Physicæ, sect. 3. num. 23. quod forma se habet, per modum aduenientis, & supponentis materiam. Sed contra est instantia de creatione materiæ, quæ certè est forma materialis, & tamen in sententia negante mutuam causalitatem nullo modo creatio materiæ, nec tempore, nec natura præsuppo-

supponit materiam, nec illi concipitur aduenire, sed potius antecedere, vt suo loco dicetur.

Nec satisfacit responsio P. Arriagæ loco cit. num. 24. quod nempe materia non sit subiectum receptionis respectu suæ creationis, sed adhæsionis, adhærere autem, est, vt creatio moueatur ad motum materiæ, & vbicetur ad vbicationem materiæ, nec sit separabilis à materia, quamuis materia possit esse sinè ea.

Contra enim est, nam si nomine receptionis intelligas sustentari, quod etiam dicetur inhærere, falsum est, quod materia non sit verum subiectum etiam respectu formæ, quæ non inhæret, sed solùm adhæret, cum Anima rationalis verè sit in subiecto, tanquã forma quamuis solùm adhæreat, & non causetur materialiter à materia, in quo consistit ratio sustentationis, vt infra explicabitur; præterea iam tota ratio subiecti consisteret in eo, quod materia esset causa formę, vel vnionis, quod tamen ipsemet Arriaga superius num. 17. & 18. impugnarat; quod autem id, quod adhæret moueatur, & vbicetur ad motum materiæ, & non possit esse sine ea, non est aliquid illi peculiare, cum hoc ipsum conueniat formis etiam inhærentibus eodem pacto, nam etiam actio materialis, qua causatur vnio materialis, & forma materialis inhæret materiæ, & tunc mouetur ad motum illius, & vbicatur ad vbicationem illius nec sine ea potest esse. Præterea hæc prędicata sunt propria modorum intrinsecè afficientium aliquod subiectum; nec tollunt vllo modo rationem subiecti, ergo per hæc non tollitur, quod materia sit verum subiectum suæ creationis, quamuis eam non causet vllo modo.

P. Ouiedo hic contro. 2. puncto 3. num. 23. constituit conceptum materiæ differentem à conceptu formæ substantialis, per hoc quod materia sit pars essentialis compositi perfectibilis per vnionem ab alia comparte, forma verò sit etiam pars essentialis compositi perfectiua alterius compartis. Explicans deindè quid sit esse perfectibile, & esse perfectiuum dicit nu. 25. illud esse perfectibile, quod affert composito ratione sui ignobiliora prædicata, illud perfectiuum, quod affert nobiliora, & quia materia affert solum composito esse materiale, forma verò affert posse vincere, audire, progredi, intelligere, velle, &c. Concludit esse nobiliora, & plura prædicata, quæ conueniunt toti ratione formæ, quàm ratione materiæ, aliqua enim prædicata; vt esse quantum, præsens, durans, existens, relatum, conueniunt toti tàm ratione formæ, quàm ratione materiæ, & rationem formæ cõmunis accidentali, & substãtiali dicit contr. 3. p. 3. n. 5.

consistere in hoc, quod sit perfectio subiecti. Sed contra hanc explicationem est, nam incipiendo, ab hac vltima explicatione, etiam materia natura sua est perfectio totius, si nomine subiecti intelligat totum, vt videtur intelligere, cum supra supposuerit materiam non perfici à forma, nàm per suam entitatem est constitutiua totius & causando materialiter accidentia in toto perficit ipsum totum, non minus quàm forma substantialis, & accidentia. Secundò impugnatur tota explicatio, nàm non plus forma est causa prædicatorum nobiliorum, quam sit ipsa materia, nàm accipiamus compositum materiale, V. G. equum, omnes operationes illius pendent à materia, tanquam à vera causa materiali, & præterea tanquam à comparte totius, nec enim forma equi has operationes, & proprietates produceit de se, sed eas producit ipsum totum, quod est prima radix, & si esset alia materia diuersæ speciei, quia esset diuersa prima radix, essent omninò diuersæ proprietates, quare illa ipsa prædicata nobiliora non sunt à sola forma, sed etiam à materia si res attentè consideretur. Dicitur autem communiter esse à forma, quia, vt infra dicemus quando vna pars totius est eadem specie in omnibus, nihil curamus de illa, sed solùm curamus de altera parte, non quod illa otiosè se habeat, & non determinet etiam omnes effectus, sed quia, cum ea sit in omnibus, non curamus de determinatione ipsius, sicuti in confidendo iusculo, non curamus de aqua, sed de alijs ingredientibus, de tali carne, herbis, Aromatibus & cætera, & dicimus, quod hæc sint determinatiua talis iusculi & tã boni saporis, odoris, &c. non quod aqua non conferat de suo ad omnia illa, sed quia cum sit omnibus communis, nihil de illa curamus sic est in præsenti de materia, quæ licèt determinet simul cùm forma, & vnione has proprietates, dicimus tamen eas prouenire à forma, cum re vera prouenianr, ab vtraque.

Tertio cõtra est, nam cum per se materia det de suo aliquod prædicatum, habet etiam rationem perfectiui, esse enim materiale est prædicatum perfectum totius, sine quo remaneret ens imperfectum, forma enim equi de se nihil potest facere, ergo forma se haberet, vt perfectibilis à materia, à qua perficeretur, ita vt euaderet totum potens, & habile producere suas proprietates, ergo vtraque pars se habet, vt perfectiua, & vt perfectibilis, ergo præcisè, per hoc non benè distingnitur materia à forma.

Multò minus placet idem Author, vbi asserit num. 78. quod si forma equi vniretur materiæ nobiliori, quàm esset forma, tunc forma in eo composito haberet rationem materiæ. Nam contra est primò,

primo, quia etiam accidens reſpectu materiæ haberet rationem formæ, quia accidens eſt ignobilius materia, ergo nobilitas, ad ignobilitas alterius partis, non facit quod ſit materia, vel forma. Secundò contra eſt, quia illa materia nobilior, adhuc haberet prædicata materiæ, nempe, quod appeteret facere vnum cum formis poſſibilibus, ſi ab agentibus in ipſam introducantur, ergo iam haberet ſufficiens prædicatum, per quod eſſet materia, et non eſſet forma, forma autem equi numquam haberet hoc prædicatum, vt poſſit eſſe ex vi agentium naturalium in pluribus materijs, vt infrà melius explicabimus.

Quartò. Dicunt alij, quod forma non ſe habet vt ſubiectũ, quia eſt pars determinatiua, et materia eſt pars determinabilis, nam forma equi non eſt determinabilis, v. g. vt ſit Leo, vel Canis, at verò materia equi eſt determinabilis, vt ſit Leo, vel Canis, et ideò habet rationem ſubiecti. Sed ſi nihil aliud addatur contra eſt, quia, dicèt forma equi non ſit indifferens, vt ſit canis, vel Leo, tamen eſt indifferens, vt ſit equus talis ſpeciei, vel alterius, qui equus alterius ſpeciei, tantum differret ab hoc equo de facto, quantum hic equus differt à cane, hoc eſt differret notabiliter, ergo forma in hoc ſe habet, vt materia. Antecedens probatur, quia forma equi cum materia diuerſæ ſpeciei faceret quandam ſpeciem animalis differentem ſpecie ab equo de facto, et cum alia ſpecie materia faceret aliam ſpeciem, ergo ſicuti hæc materia cum formis ſpecie diuerſis, ſic etiam eadem forma cum diuerſis ſpecie materijs facit diuerſas ſpecies: ergo vtraque eſt æquè determinabilis. Præterea ſiouti materia ſi coniungatur cum altera materia, diuerſa ſpecie, non faceret vnum per ſe, ita forma equi cum forma Leonis non faceret vnum, ergo adhuc reſtat explicanda ratio formæ, in quo ſita ſit, et cur non ſit ſubiectum. Quod autem de facto materia ſit determinata ad diuerſas ſpecies eſt, quia de facto dantur plures formæ ſpecie diuerſæ; et verò vna forma ideo de facto non determinatur ad diuerſas ſpecies, quia non dantur diuerſæ ſpecie materiæ ſaltem in ſublunaribus: ceterum ſpectando determinabilitatẽ tam videtur reperiri in forma, quàm in materia.

Verùm inſiſtendo definitioni Ariſtotelicæ poſſumus dicere, quod forma loquendo de facto in hoc ordine rerum ſublunarium eſt cõſtitutiuum eſſentiæ, et determinatiuum materiæ, cum enim de facto non detur niſi vna ſpecies materiæ ſaltem in ſublunaribus, et tamen dentur multæ ſpecies rerum ſenſibilium, tota diuerſitas inter res naturaliter poſſibiles, quæ differant ſpecie, tota in quamcumque

ratione formarum, cum in materia prorsus conueniant. Aristoteles autem definiuit formam, quæ est in hoc ordine rerum, non autem quatenus est determinabilis per alias diuersas materias, quæ naturaliter non sunt possibiles, quemadmodum, si non esset possibilis materia statuæ, nisi aurum, possent dici figuræ statuarum esse determinatiuum et constitutiuum ipsarum, quia id, per quod vna res differt ab alia, est maximè constitutiuum. Cæterùm si Deus fecisset vnam solùm speciem formarum, et varias species materiæ, tùc in eo casu hæc definitio non benè competeret formæ, quia tam à forma, quàm à materia tunc sumeretur diuersitas specifica, et principaliùs à materia.

Restat tamen explicandum, quid sit essentia formæ, et quomodo differat comparata cum materia etiam possibili; et præscindendo ab omni ordine rerum, certum enim est, quod materia licèt determinet totum, tamen se habet diuersimodè, ac forma, vnde ex duplici materia specie diuersa non fieret vnum per se, sicuti fit ex materia, et forma. Videtur posse optimè resolui hæc difficultas, si consequenter ad supradicta dicamus formam ex vi agentium naturalium non posse transire ex vno composito in aliud, at verò materiam, quia est ingenerabilis, et incorruptibilis naturaliter ex vi agentium naturalium posse transire de vno in aliùd compositum, et ratio est, quia materia non fit ad exigentiam formæ dispositæ, sicuti fit naturaliter forma ad exigentiam materiæ dispositæ, quare esse tale determinatiuum, vt naturaliter non possit determinari ad aliam speciem videtur esse ipsamet essentia actus, et formæ, quâuis materia sit etiam in suo modo determinatiua speciei, at è contrario esse ita determinatiuum speciei, vt naturaliter possit etiam ingredi, et determinare aliam speciem, et hoc per vires agentium naturalium, videtur habere rationem potentiæ, et simpliciter determinabilis. Porrò hoc prædicatum, quod non possit ex vi agentium naturalium transire in aliam speciem compositi, imò, nec in aliud individuum, est prædicatum intrinsecum formæ, tam substantiali, quàm accidentali, quod remanet in quocunque rerum ordine, & in hoc consistit ratio actus, & formæ; quare hinc patet in quo sita sit ratio subiecti, & ratio formæ.

Hinc potest colligi cur materia ex se præscindendo à forma non sit principium proprietatum particularium, sed solùm cõmunium omni corpori, solùm enim est principium quantitatis, & vbicationis. Ratio est ex dictis, quia cum materia ex naturâ suâ vi agentium naturalium possit transire ex vno in aliud compositum, non

potest

potest ex suâ naturâ præcisè habere proprietates, quę alicui compositio repugnent, sed potius, quæ omnibus conueniant, vt est quantitas particulares autem proprietates producentur deindè à particularibus agentibus, & formis. Dixi materiam secundùm se non esse principium proprietatum particularium, quia si forma equi, v. g. coniungeretur cum materia diuersæ speciei, operationes illius equi non essent illæ, quæ sunt de facto, sed differrent etiam specie, quia concurreret ad illas materia diuersæ speciei.

Loquendo iam de secunda difficultate proposita in titulo antecedenti, scilicet an dentur formæ substantiales, fuit veterum Philosophorum sententia ante Aristotelem non dari formas substantiales, omnia enim saluabant per diuersa corpuscula, vt supra dictum est. Post Platonem, & Aristotelem, quamuis ferè omnes admiserint formas substantiales, tamen dixerunt aliqui naturali lumine, non probari, sic Portius lib. 2. de principijs cap. 1. à quo citantur Galenus, & Hippocrates, idem sentit Niphus primo Physic. tract. 12. dixit enim, quod nisi obstaret anima rationalis, cuius operationes non soluantur per sola accidentia problematicam sibi videri hanc quæstionem.

Dicendum tamen est cum communi sententia dari formas substantiales, & in homine iam est de fide dari animam rationalem, præter corpus, vt definitum est in Concilio Viennensi, & Lateranensi sub Leone 3. sess. 8. quo posito probatur à paritate rationis de cęteris rebus, nam si homo est vnum substantiale per se, sequitur quod materia sola sinè anima rationali indigeat aliqua substantia, quæ illam perficiat, & cum ea constituat vnum substantiale completum, ergo debet dari forma, quæ faciat vnum cum materia completum in ratione substantiæ.

Dices cum Arriaga hic disput. 3. sect. 1. num. 2. reputante hoc argumentum commune esse inefficax; nàm quo modo probatur, quod materia licèt sit substantialiter incompleta, tamen indigeat semper forma aliqua substantiali, vt existat, cum Anima sit etiam incompleta, & tamen possit existere sinè materia? Facilis est responsio ad hanc instantiam assignando disparitatem, nàm materia nunquam spoliatur forma substantiali ab agente naturali, nisi, vt introducatur alia forma, nihil enim de primaria intentione intendit corruptionem alterius, sed productionem alterius rei; non est ergo mirum, quod agens corrumpendo vnionem animæ rationalis cum materia producat in ea aliam formam substantialem, quæ ratio non militat in anima, quia corrupta vnione ipsius, cum anima, non datur

tur aliud agens naturale, quod aliquam aliam vnionem producat cum alia materia. sed de hoc fusiùs in libro sequenti.

Sed præcindendo à principijs fidei probatur etiam ratione naturali, primò quia operationes hominis, vtest intellectio, non pendent à materia, nec ab accidentibus materialibus, & probatur, quia intellectio est spiritualis, vt probabimus in lib. de Anima, ergo datur Anima, quæ est forma. Secundò probatur, quia materia est essentialiter perfectibilis in ratione substantiæ. ergo debet dari perfectiuum in eadem ratione, quod est forma substantialis. Consequentia patet. Antecedens probatur tùm quia nulla daretur generatio substantialis, si materia esset substantia completa, & non essentialiter perfectibilis, materia enim non generatur, quia fieret ex nihilo, tùm quia omnia essent æquè perfecta substantialiter, & secundùm aliqua haberent plus, aliqua minus materiæ. Tertiò probatur, quia debet dari primum principium intrinsecum in quolibet indiuiduo productiuum accidentium in se ipso, sed hoc non est materia sola, ergo debet dari etiam forma substantialis. Materia probatur, quia ferrum calefactum paulatim frigefit à se ipso, ergo debet dari principium in ipso ferro, à quo producitur illud frigus, nec enim potest assignari causa extrinseca illius, idem dico de aqua, & cæteris rebus, quę si patiãtur amissionem alicuius qualitatis sibi debitæ, remota causa violenta à qua patiebantur, producunt in se ipsis qualitates deperditas. Minor probatur, quia si materia produceret frigus, sẽper illud deberet producere, esset enim debitũ naturæ ipsius, quod est apertè falsum. Neque dici potest, quod producatur qualitas deperdita ab aliquo accidente remanente, v.g. in ferro, nàm sicut calor ignis corrumpit frigus, ita debuisset corrumpere illud accidens productiuum frigoris, & consequenter ferrum valdè calefactum nõ posset in se reproducere pristinum frigus. Præterea illud accidens productiuum frigoris alicui substantiæ debetur, non quidem materiæ per se acceptæ, quia sequeretur, quod quælibet materia haberet illud accidens productiuum frigoris, quod est falsum, ergo debetur alicui formæ substantiali, quæ faciat vnum cum materia, & consequenter nunquam euitatur, quod detur forma substantialis.

Obijcies, primò contra primam partem articuli, quod nempe materia sit subiectum, quia potest transire ex vno Composito in aliud, nàm etiam forma ignis transit in speciem mixti, & hoc modo transit ex vno composito in aliud, ergo nulla est assignata disparitas. Antecedens probatur, quia in sententia ponente formas elementares in mixto forma ignis transit in speciem mixti, v.g. in spe-

ciem

eiem planè, ergo tàm materia, quàm forma transeunt naturaliter ex vna in aliam speciem.

Respõdeo, posita hac sententia de mixtis, formam ignis nõ transire in aliam speciem disparatam, sed in speciem superiorem sibi, cui ipsa subordinatur; dicunt enim Autores illius sententiæ, quod ignis, & elementa sunt quidem species completæ simpliciter, sed sunt subordinatæ formis mixtorum, quare etiam forma potest transire in speciem sibi subordinatam: at materia transit in quaslibet species siue subordinatas, siue non subordinatas. Præterea est alia disparitas, quod forma nunquam relinquit materiam, quam semel habet, licèt adueniat forma mixti, sed sunt duæ formæ substantiales in eadem materia, vna alteri subordinata, quod iuxta hãc sententiam de mixto non est absurdum, at verò materia ita transit in aliquam speciem, vt possit relinquere omninò formam, quam habebat prius.

Obijcies secundò. Si tàm materia, quàm forma determinarent ad speciem, determinarent etiam ad individuum, consequens est falsum, ergo, & antecedens. Sequela videtur ex se patere, quia non est maior ratio de specie, quàm de individuo. Minor probatur quia forma materiæ est constitutiua Petri, Petrus senex est diuersus à se ipso puero, partes enim materiæ paulatim deperduntur in dies, & per nutritionem, & per augumentationem aliæ partes materiæ de nouo informantur anima Petri, ergo Petrus haberet aliam materiam, & consequenter non esset idem homo. Hæc obiectio tangit aliam quæstionem, quo pacto mixtorum habeatur vnitas compositi etiam partibus aliquo modo mutatis, & sane argumentum tãtam vim habet in materia, quantam in forma, nam loquendo de formis materialibus, quæ habent partes, vt est, v. g. anima equi, paulatim etiam deperditis partibus materiæ, deperdũtur partes animæ, quæ erant in ea materia, & producuntur nouæ partes animæ in nouis partibus materiæ, quæ per cibum assumuntur, & per virtutem nutritiuam informantur anima, vnde eadem ratio militat tàm de materia, quàm de forma materiali. Loquendo autem de solo homine fuit sententia Magistri sententiarum in 2. dist. 30. quod sola materia, quam homo accipit primo à parentibus esset constitutiua hominis, non autem cæteræ partes materiæ, quæ per nutritionem acquiruntur, sed hæc sententia communiter reijcitur cum S. Thoma, non enim est maior ratio, quod non deperdatur illa materia primigenia, quàm aliæ etiam partes materiæ deinde acquisitæ præ-

cæteris

terea videtur incredibile, quod solùm tàm parua materia sit sufficiens ad totum corpus, vt est pars naturalis in homine.

Communior sententia cum Aristotele primo de generatione, & Autoribus citatis à Conimbricensibus quæst. 5. art. 3. est quod dicatur idem homo identitate continuationis, vel idem æquiualenter, non autem in rigore metaphysico. Idem in rigore metaphysico est, quoties nihil prorsus entitatis illius compositi mutatum est, sed sunt prorsus eædem partes, quæ fuere priùs, in quo rigore non potest dici idem homo puer, & senex.

Idem continuatione est, quoties amittitur, & acquiritur aliqua pars de nouo successiuè, & paulatim, ita vt, id quod additur de nouo addatur, vt complementum partium remanentium, vnde Aristoteles in primo de generatione ait, quod per augmentationem idem, quod prius erat crescit, per generationem fit aliquid de nouo: augmentari enim non est totum deperdi, & aliud acquiri, sed aliquid acquiri tanquam complementum alterius. Bonum est exemplum de domo, quæ quotidie reficitur secundum aliquam partem, & tamen dicitur eadem domus, additio enim vnius lapidis est complementum domus, quia fit in defectum partis deperditæ, & quamuis longo temporis decursu mutati essent omnes lapides; quia tamen essent mutati quadam continuatione successiua, & non simul, diceretur eadem domus. In eodem sensu dicendus est idem homo, & idem canis, qui priùs fuere.

Dices primò. Si Deus poneret animam Petri in materia Francisci esset diuersus homo, ergo Petrus senex, et Petrus puer erunt etiam diuersi homines simpliciter. Consequentia probatur, quia tam est diuersa materia Petri senis respectu Petri pueri, quam materia Francisci respectu materiæ Petri, ergo, vel in vtroque casu erit diuersus homo, vel in neutro.

Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quia materia Petri senis, paulatim, et per continuationem facta est semper in dies materia eiusdem Petri, et non tota subitò, adeò vt semper Petrus potuerit dicere, hoc est meum corpus, mea caro, mea materia, quod non posset dicere, si subitò acquireret corpus Francisci suo deperdito. Ad probationem distinguo antecedens. tàm est diuersa materia Petri à materia Francisci, quàm materia Petri pueri à materia Petri senis, præscindendo à modo, quo acquiritur ea materia, transeat, includendo modum acquisitionis nego. Modus enim, quo acquiritur materia Petri senis, est valde diuersus à modo, quo acquireretur materia Præciſci ab anima eiusdem Petri;

materia

materia enim Petri senis ita acquiritur, vt fiat parua mutatio, & ferè insensibilis quotidie, adeoque quotidie verificatur est idem corpus, quod fuit Petri, cũ mutatio sit minimi momenti, at verò materia Franciſci acquireretur tota subito. Hoc autem sufficit, vt Petrus senex dicatur idem simpliciter, quia hoc intelligimus docti, & indocti nomine eiusdem viuentis, quod scilicèt non subito mutauit totam materiam, sed per mutationes insensibiles. Præterea semper in Petro, quantumuis senes, remanent multæ partes materiæ, quę fuit in Petro puero, & hoc in singulis eius membris, hoc enim est crescere, seu nutriri, addi aliquas partes, ita per mixtas cum cæteris remanentibus, vt non possint distingui per sensus, vt dicatur hæc est pars noua, hæc est vetus, adeoque semper remanent multæ partes, quæ erant in Petro puero.

Dices Secundo. In resurrectione mortuorum omnes beati resurgent in ætate perfecta, vt cum Augustino Theologi communiter asserunt, ergo pueri non resurgent ijdem, quia non habebunt eandem materiam succesiuam.

Respõdeo in primis tota illa materia, quæ erat in pueris, eadem erit in ijsdem post resurrectionem. Quare ex hoc capite habebunt plus materiæ puerilis, quam habuissent, si ijdem fuissent senes, vt enim bene asseruit Card. de Lugo in tract. de Incarnatione qu. 14. art. 8. num 62. debet resurgere eadem materia, quæ fuit in corpore pro tempore mortis, non autem, alia materia, quæ prius fuerit pars eiusdem corporis. Quod si illa materia satis non est, debuit augeri, & suppleri a Deo per aliam materiam, dicitur tamen resurgere idem, quia Deus ita supplet nouam materiam, ac si ille iuxta perfectam naturam sinè vllo impedimento, & violentia creuisset in perfectam ætatem, si enim ille puer perfectè creuisset optimè enutritus; diceretur quidem idem, etiam maior factus; quia ergo resurgit in ea ætate ita perfecta cum hac insuper prerogatiua, vt haberet totam materiam, quam haberet puer, quam certè non habuisset si maior factus fuisset per continuam augmẽtationem modo naturali, ergo apertissimè dicitur idem resurgere. Idem dico proportionaliter de ijs, qui abscissis membris, vel ex defectu materiæ deficientibus vixere.

Sed instabis, ponamus casum Capreoli in 4. dist. 44. quod scilicèt aliqua mulier semper humanis carnibus pasta fuerit, & filium genauerit: qui etiam humanis carnibus semper fuerit vsus. Hic certè in resurrectione iuxta sententiam Augustini lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 2. debet resurgere cum materia omninò diuersa, quia

id, quod habuit à natura, nempè à Matre, & id, quod accepit per cibum fuit alienum, & debet restitui illis hominibus, quorum fuerat proprium, ergo non erit idem homo.

Respondeo ex eodē Augustino, quod ille resurget cum sua carne, nempè cum eā materia, quæ licèt parua sit, tamen est sua; semper enim viuens conuertit in suam substantiam potum, & etiam aliquid aëris, adeoq. habet aliquid proprium materiæ; præterea materia, quam habuit à Matre, non fuit tota aliena, sed fuit aliqua pars illius propria, & acquisita ex cibo eiusdem matris, tota autem illa remaneret; materia autē aliena debet restitui illis hominibus, quorum fuerat illa caro tempore ipsorum mortis; habent enim ius ad illam antequam comesta fuerit ab hoc homine. Dicetur tamē idem homo resurgere, quamuis accipiat simul nouā materiam secundum maximam partem, quia Deus ita disponet illam materiam, ac si virtute caloris naturalis ille homo paulatim, & continuatione quadam nutritionis in suam substantiam conuertisset, quare habebit easdem dispositiones, & qualitates, quas habebat aliena materia, qua fuit enutritus; Moraliter ergo censetur idem homo, quia habet totam materiam, ad quam alius homo non habebat ius, & præterea habet nouā materiam eodem pacto dispositam, ac si illam sibi successiuè, per nutritionem, suam fecisset: legite Scotum in 4. dist. 44. art. 2.

Ex dictis colligimus, bene dici substantiam esse ens per se primò intentum à Natura, quia est vltimus finis naturæ in productione accidentium: in tantum enim producuntur accidentia, in quantum sunt bonum substantiæ: hoc autem patet ex dictis, nam si accidens produceretur tanquam vltimus finis; ferrum, & aqua postquam sunt calefacta, non deberēt sibi producere iterum frigus, quia frigus non esset quid pertinens ad ferrum, & aquam, sed æquè primò intentum, ergo ficuti corrupta forma aquæ, non amplius naturaliter in eadē materia immediatè reproducitur forma aquæ, sic corrupto frigore non amplius reproduci deberet naturaliter, ergo signum est, quod frigus fiat in ordine ad substantiam, & idem dico de cęteris accidentibus.

Sed contra secundam partem articuli. Obijcies Tertiò. Etiam si calefiat vinum consecratum, adhuc frigefit, & tamen nulla ibi est forma substantialis vini, ergo tertia ratio non probat. Respōdeo, quod Deus ibi supplet quidquid deberet facere forma substātialis vini, quia voluit tantum mysterium esse absconditum oculis carnis, si enim vinum non frigesceret, statim perciperemus, etiam

per

Digitized by Google

per sensus, ibi non adesse formam vini, quare ex hoc nihil colligitur contra nostram doctrinam.

Denique objicies Arist. dicentem secundò de generatione text. 28. formas elementorum esse inter se contrarias, sed substantiæ nō sunt contrariæ iuxta doctrinam eiusdem in prædicamentis cap. de substantia, ergo formæ elementares non sunt substantia.

Respondeo distinguendo maiorem, sunt contrariæ, immediatè, per suas substantiales entitates, nego, mediatè per suas qualitates concedo, quia enim forma aquæ habet frigus, & humiditatem, & forma ignis calorem, & siccitatem, ratione harum qualitatum, quæ sunt verè contrariæ, dicuntur etiam formę elementorum contrariæ, habent enim contrarietatem apparentem etiam sensibus, quæ sanè consistit in solis accidentibus.

ARTICVLVS II.

An forma educantur à materia, an vero creentur.

FVIT Platonis sententia dari Ideas productrices formarum, quem secutus Auicenna, posuit quandam intelligentiam formarum etiam productricem, quam appellauit calcodeam; sed hæ sententiæ meritò reijciuntur, quia nullum est indicium, neque necessitas ponēdi aliquam causam peculiarem formarum, bene enim fieri possunt ab agentibus naturalibus, & ab ipso Auctore naturæ, qui creat animas rationales. Reiecta hac sententia, duplex adhuc restat sententia. Prima dicit præexistere in materia aliquid formę. Hæc sententia tribuitur à Soto 1. Physic. quæst. 1. Alberto Magno, sed vt bene explicat P. Suarius disp. 15. sect. 2. metaphysicæ, potest optimè intelligi iuxta sensum communem. Impugnatur tamen hæc sententia, quia ideò ponit illam partem formę præexistentem in materia, ne dicatur forma fieri ex nihilo, sed hoc non euitatur in ea sententia, ergo frustra ponit illam partem formæ. Maior patet, minor probatur, quia secunda pars formæ, quæ fit de nouo, certe nō præexistebat aliter enim tota forma pręextitisset, ergo saltem illa pars fit ex nihilo. Cæterum, quod forma fiat ex nihilo formæ, non solùm absurdum non est, sed est omninò necessarium, nam si fit aliquid de nouo, debet dari negatio, seù prouatio illius entitatis quæ fit, aliter non fieret de nouo, ergo non potest explicari generatio substantialis de nouo, nisi forma fiat ex non forma. Non tamen fit ex nihilo simpliciter, quia fit ex materia, quæ remanet

eadem, vnde illud axioma, ex nihilo nihil fit, debet intelligi de nihilo simpliciter, hoc est de nihilo formæ, & nihilo subiecti, quod solùm euenit in creatione.

Secunda & communis sententia, quam nos etiam sequimur, asserit, formas nõ præexistere realiter in materia, neque secundum se totas, neque secundum partem, sed loquendo de formis materialibus contineri in potentia passiua materiæ. Prima pars probata est ex impugnatione primæ sententiæ, secunda pars explicatur, & probatur, nàm contineri rem in causa nõ est, quod res sit in causa, tanquam vestes in arca, sed quod in causa sit virtus ponendi à parte rei rem, sic etiam contineri formam in materia est, quod materia habeat virtutem simul cum agente ponendi in se formam, quare solùm agens naturale sine materia non posset producere formã, quia deesset aliqua virtus requisita ad productionem illius, productio ergo formæ cum tali dependentia à materia appellatur eductio à materia, desumpta similitudine à lambicatione, imaginamur enim per virtutem agẽtis educi quodammodo, & trahi à materia formam, ac si traheretur aliquis liquor per lambicationem. Omnibus autem formis materialibus conuenit eductio, quia conuenit fieri in materia cum dependẽtia ab illa, in quo sita est formaliter essentia eductionis. Contra verò formæ spirituales substantiales, vt est Anima rationalis, nonfiunt in materia depẽdenter in esse, & fieri ab illa, & sic non dicuntur educi, sed creari.

Verùm restat adhuc difficultas, quod forma materialis creetur, tunc enim est creatio, cum ex nihilo aliquid fit, sed forma, quamuis fiat dependenter à materia, tamen fit ex nihilo formæ, ergo creatur.

Respondendum est igitur ad hanc difficultatem, certum esse nihil reale formæ posse præexistere antequam fiat, cum sequatur eadem difficultas, vt probauimus supra; quare creatio non est fieri ex nihilo sui solummodo, sed ex nihilo sui, & nihilo subiecti; cum autem cõcurrit etiam ad productionem alicuius formæ subiectum per potentiam substentatiuam, illa forma non fit ex nihilo subiecti, sed ex potentia subiecti, inde dicitur forma contineri in potentia illius. Agens itaque naturale creatum non habet vim sinè hoc adminiculo materiæ concurrentis per suam potentiam receptiuam ad productionem rei, vt possit formam producere, & ideò non potest creare, quod autem non habeat talem vim, etiam de possibili, probabimus in libris de generatione. Ecce manifestum discrimen inter creationem, & eductionem, ibi nullum subiectum concurrit

ad

ad productionem formæ spiritualis. Hìc concurrit etiam subiectum ad productionem formæ materialis modo explicato. Quod dixi de materia in rebus materialibus, dico proportionaliter de subiecto, & materia spirituali in rebus spiritualibus; intellectus enim, v.g. est subiectum, & materia spiritualis cognitionum, quæ educũtur de potentia ipsius, non autem creantur.

Objicies primò. Materia est ignobilior forma, ergo non continet fermàm, quia causa debet esse, vel nobilior, vel saltem æquè nobilis ac effectus.

Respondeo concedendo antecedens, & negando cõsequentiam; ad probationem Respondeo cum distinctione. Causa efficiens debet esse nobilior, vel æque nobilis transeat, causa materialis nego; disparitas est, quia causa passiua, & materialis imperfectissimè continet formas; quatenus illas sustentat in fieri, & in esse, ad quod sufficit imperfecta continentia, at verò in causa efficiente multò maior requiritur, quia effectus debet esse illi similis, quod non valet in materia, & ratio vlterior est, quia determinatiuum principalius est efficiens, vnde materia est indifferens ad omnes productiones, & determinatur ab agente ad has potiùs, quam ad illas.

Objicies Secundò. Aristoteles 7. Metaphys. textu 29. videtur ponere in ipsa materia inchoationem formarum, ergo formæ insunt in ipsa secundum aliquid sui. Respondeo cum S. Thom. ibi, & alijs; quod Aristoteles solùm dat discrimen, cur in artefactis aliqua fiãt, & arte, & casu; aliqua verò solùm arte. Discrimen est, quia in aliquibus est virtus aliqua intrinseca producendi formam, vt in homine est virtus producendi sanitatem in se. In aliquibus verò non est virtus, vt in lapide ad faciendam domum, quæ doctrina, nihil facit contra nos, nihil enim ponit formæ in ipsa materia. Legite ibi S. Thom. hanc ipsam quæstionèm agitantem, & soluentem.

Objicies Tertiò. Genesis 1. habetur, quod Deus creauit terram, ergo forma terræ creatur, non educitur. Respondeo ad hoc, vt dicatur aliquod totum creari, satis est si creatur pars, quæ ad hoc, vt existat creari debet, & quia materia terræ tunc est creata, ideò terra dicitur creata; sic etiam die festa creatus est homo, quia anima creata est, materia enim iam fuerat creata. Similiter quando dicuntur dona supernaturalia creari à Deo iuxta illud psalmi, Cor mundum crea in me Deus, verbum, creare, non accipitur in rigore phylosophico, sed accipitur pro producere: gratia enim, & accidentia supernaturalia educuntur de potentia obedientiali animæ, quare concurrit ad illa etiam anima, vt causa materialis sustẽ-

stentãs, dicũtur tamen infundi à Deo, quia sola virtus Diuina potest illa educere de potentia obediẽtiali. Cæterum an plures formæ substãtiales possint esse in eadem materia dicemus in libris de Elementis, & de anima.

ARTICVLVS III.

Expediuntur aliqua de Priuatione.

SAtis egimus in logicis de priuatione, quærentes quid sit, & quomodo cognoscatur. Diximus autem esse fundamentum determinatiuum, & verificatiuum propositionis negatiuæ, cum ad illum non sufficiat quodcunque positiuum, neque extra, neque intra Deum, hìc solùm aliqua, quæ supersunt breuiter percurremus.

Primò ergo quærimus discrimen inter priuationem, & negationem, ad quam quæstionem dicimus, Priuationem non esse merum non esse formæ, sed non esse formæ vnitæ, hoc est negatio formæ simul & vnionis indiuisibiliter acceptæ, quod binarium sufficienter negatur, vel per negationem formæ, vel per negationem vnionis, vel per vtranq. negationem, omne enim totum constans partibus opponitur singulis negationibus partium, & omnibus collectiuè, quare, vt negetur existentia hominis sufficit, quod detur, vel negatio corporis, vel negatio animę, vel negatio vnionis, vel etiam omnes tres negationes, & ita opponitur disiunctiuè negationibus partium. Hinc sequitur, quod si existeret forma ignis intimè præsens in aliqua materia, & tamen non esset vnita illi materiæ, simpliciter ea materia esset priuata Forma ignis, & haberet priuationem ignis, quia licèt in illa esset localiter forma ignis, tamen non esset in illa tanquam in subiecto, hoc est vnita per talem vnionem, qualem requirit materia, vt actuetur, sed solum esset illi præsens; simpliciter autem materia dicitur habere formam, & esse informatam, non quando solùm habet illam sibi præsentem, sed quãdo etiam habet vnitam per vnionem actuatiuam, vt dicemus suo loco.

Secundum quod requiritur ad Priuationem est, vt subiectum sit capax habere illam formam sibi vnitam per vnionem actuatiuam, ex vi cuius vnionis consurgat denominatio propria illius formæ, quæ denominatio exigit quandam proportionem inter formam, & subie-

Digitized by Google

subiectum: hinc est, quod Angelus non potest dici priuatus frigore, quia non potest dari vnio, per quam Angelus denominetur frigidus. Forma enim frigoris non reperit in Angelo proportionem requisitam ad denominationem frigidi, quamuis ergo possit dari vnio, per quam frigus vniatur localiter Angelo, tamen talis vnio non est apta denominare Angelum frigidum, sed Angelum alligatum frigori, et quia Angelus est capax talis denominationis proueniens ex vnione alligatiua, potest dici Angelus priuatus alligatione frigoris, quia illius alligationis est capax, saltem supernaturaliter. Hinc patet, quod priuatio differat à negatione, quia negatio solùm dicit non esse rem, & Priuatio superaddit non esse formam alligatam vnione actuatiua, quæ connotat capacitatem, hoc est talem proportionem subiecti.

Proportionaliter dantur etiam prinationes morales, quæ debent connotare non solùm capacitatem physicam respectu formæ sibi vnitæ, sed præterea quod illa forma sit debita subiecto iuxta suum statum moralem, hoc est iuxta dignitatem, et prærogatiuas cõpetentes illi subiecto, siue competant ex beneficio Principis, siue ex rebus præclarè gestis, siue ex quocunque capite iuxta prudentum existimationem, & sic peccator est priuatus gratia sanctificante, quia nunc est aliquo modo ex fauore diuino debita statui naturæ humanæ propter eleuationem liberè à Deo factam ad bona supernaturalia, & visionem Dei, at vero in statu puræ naturæ, hoc est si Deus non eleuasset hominem ad vitam æternam, homo non diceretur priuatus gratia, quia illi statui non fuisset debita, neq. gratia, neque quodlibet donum supernaturale; sic etiam non dicitur priuatus delicijs regijs seruus, seu rusticus, quia scilicet illi non debẽtur iuxta suum statum, sicuti diceretur illis priuatus Rex, si per vim prohiberetur, vti delicijs. Hinc colligi potest, cur faciat nobis iniuriam, qui priuat nos aliqua re, & non ille qui non dat aliquam rem; priuare enim sonat, quod res illa, qua priuamur, sit debita; & quia agere contra nostrum debitum est inferre nobis iniuriam, hinc ille, qui nos priuat aliquo bono affert iniuriam. Similiter soluitur hinc alia difficultas, cur videlicet nobis sit maius malum aliquando negatio minoris boni, quam negatio maioris, v. g. est maius malum habere negationem potentiæ visiuæ, quam habere negationem vnionis hypostaticæ cum persona aliqua Diuina, & tamen prima negatio negat potẽtiam expeditam videndi. Secunda negat vnionem hypostaticam, quæ comparata cum potentia videndi, est bonũ multis partibus maius, et tamen nobis est maius malum negatio po-

potentiæ visiuæ expeditæ quam negatio vnionis hypostaticæ. Ratio autem est ex dictis, quia potentia visiua expedita est nobis debita naturaliter, & moraliter; at neutro pacto est debita vnio hypostatica.

Secunda quæstio est, an priuatio sit vna, an sint multæ. Dicũt aliqui recentiores. Priuationem esse vnam simpliciter, quæ respiciat plures terminos, hoc est quæ indiuisibiliter neget plures res, sicuti potentia materiæ est vna, & tamen respicit plures terminos, nempè formas. Hæc sententia omninò non placet, Primò, quia esse ignis non est esse aquæ, ergo neque non esse ignis est non esse aquæ, quia sicuti opponuntur formæ, ita debent opponi negationes. Consequentia probatur, quia producta forma ignis tollitur nõ esse ignis, & tamen remanet priuatio aquæ, quia remanet verificatiuum ad dicendum non est aqua, ergo non sunt idem.

Dices. Alia est priuatio, quæ simul neget ignem, & aquam, & alias formas; & alia est priuatio, quæ non negat ignem, sed negat aquam, & alias formas, quare producta forma ignis perit prior priuatio, quæ simul negabat formam ignis, vel alias formas, et resultat alia priuatio, quæ non negat formam ignis, sed negat alias formas, quare à parte rei priuatio semper est vna. Sed contra est primò, quia idem ego dicam de positiuis, quod videlicet omniacreata sint vnũ; quando autem perit vnum indiuiduum, v.g. Petrus, tunc perit totum ens, quod prius erat, et producitur aliud ens diuersum, quod æquialet omnibus illis indiuiduis, quæ remanent, quod certè est absurdum. Secundò contra est, quia sequeretur ex hoc, quod formæ ignis, v.g. darentur infinita contradictoria, quod certè est absurdum: Sequela probatur, quia forma ignis opponeretur infinitis negationibus, nam opponeretur priuationi neganti ignem, et omnes alias formas, præter aquam, et priuationi neganti ignem, et omnes alias formas præter terram, et idem dico de reliquis possibilibus negationibus, quæ sẽper essent diuersę modo vna forma mutetur. Prẽterea daretur priuatio ignis, quæ opponeretur alteri priuationi ignis, nam priuatio ignis, quæ simul negat formam aquæ non posset stare simul cum alia priuatione ignis, quę non negaret formam aquæ, et tunc existẽte hac secunda priuatione ignis non negãte formam aquæ, posset dici nũc existit illa priuatio ignis, quę simul negat aquam, ergo tunc deberet dari priuatio illius priuationis, quia daretur fundamentum ad negandum illam existere. Si hoc fundamentum est alia priuatio, sequitur quod vna priuatio opponatur cõtradictoriè alteri priuationi, quod certè est absurdũ.

Secun-

opponatur contradictoriè alteri priuationi, quod certè est absurdum.

Secundo probatur, quia res positiuæ essent bis a parte rei, quare forma aquę bis existeret, quod est absurdum, sequela probatur, quia existente forma aquæ, & non existente forma ignis per te daretur vna negatio, quæ ita negaret formam ignis, vt non negaret formam aquæ, sed id, quod a parte rei non negat formam aquæ, imo est determinatiuum ad dicendum, quod sit aqua & non sit ignis: formaliter dicit existentiam aquæ, ergo talis negatio per suum esse haberet existentiam formæ aquæ, haberet enim formaliter per suum esse, vt non sit ignis, & sit aqua, sed id quod habet per suum esse formaliter vt sit aqua, est ipsa existentia aquæ, ergo aqua bis existeret semel per essentiam, & semel per existentiam istius tuæ negationis, quare negatio non potest de suo conceptu reddere existentem rem illam positiuam sed solùm habet reddere non existentem, adeoq; negatio ignis solùm habet essentialiter tollere ignem, non autem habet essentialiter ponere per suum esse alias formas positiuas, quare existente negatione ignis, si tollatur forma aquæ, nihil fit contra essentiam ipsius negationis, adeoq; debet remanere. Exemplum autem de materia non est ad rem, quia aliunde habemus, quod materia sit vna, quia scilicet debet remanere eadem sub diuersis formis, & habemus è contrario esse multas priuationes propter argumenta suprafacta.

Obijcies. Si priuatio, etiam negatio sunt tot, quot sunt Termini, quos negant nempe formæ, sequeretur, quod essent actu infinitæ, quia formæ possibiles sunt infinitæ, sed infinitum actu repugnat, ergo repugnat etiam, quod sint plures.

Respondeo primo, idem argumentum esse soluendum ab Aduersarijs, quia cum vna negatio non possit opponi alij negationi, quia negatio dicit non esse, sequitur, quod omnes negationes erant actu ante mundi creationem, quia si non fuissent omnes, debuisset esse negatio negationis, vel aliquid positiuum, positiuum non erat, ergo fuisset negatio negationis, quæ formaliter tollit negationem, non potest esse negatio, cum formaliter contradictorium negationis sit positiuum, ergo tunc, vel debebant esse omnes negationes, vel positiuum.

Respondeo secundo, quod illi, qui admittunt possibile infinitum, saltem in numero, concedunt esse infinitas priuationes, quia nullum inde sequitur absurdum, qui verò negant esse possibile omne infinitum, dicunt, quod priuationes facerent quoddam indetermi-

natum, quod non esset acceptibile per modum vnius, sicuti neque omnes formæ possibiles sunt acceptibiles per modum vnius iuxta hanc sententiam. Vtra autem ex his sit vera videbimus libro 3. quæstione de infinito.

Restat hic alia difficultas examinanda, nempe quando dicitur, hunc non datur forma ignis vnita, an debeant dari duæ negationes, altera opposita vnioni secundum se, altera oppositæ durationi vnionis, an sufficiat vna, nempe negatio durationis, sed aptius hanc difficultatem reijcimus in tractatum de duratione, vbi eam examinabimus, & quomodo negationes pendeant à suis causis.

IN

Digitized by Google

IN LIBRVM II. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

QVAESTIO IV.

De Natura.

Postquam egit Aristoteles de principijs secundum se, agit de illis comparatis cum toto, hoc est quo pacto se habeant in toto: hinc est, quod primo agat de Natura, deinde de arte, tertio de causis, quarto de fortuna, & casu, quæ singula etiam a nobis hic tractabuntur.

ARTICVLVS. I.

Explicatur Naturæ definitio.

MVltæ sunt significationes huius vocis, Natura, apud Auctores, ex quibus nobiliores hic apponemus. Dicitur Natura hic ab Aristotele 5. metaph. cap. 4. ipsa generatio viuentium. Natura, inquit, dicitur vno quidem modo nascentium generatio, & hic text. 13. dicit amplius autem Natura dicta vt generatio, via est ad Naturam, in quo sensu Natura se habet, quasi nascitura, seu nativitas, & est potius actio, quam substantia. Secundo dicitur Natura ipsa rei essentia, hinc dixit Cicero 4. de finibus. Omnis natura vult esse conseruatrix sui; differt autem essentia a natura, vt notauit P. Suarius disp. 15. Metaph. sect. 11. n. 4. quod essentia accipitur in ordine ad esse, natura vero in ordine ad operationem, vnde dicitur natura non esse otiosa, nec quicquam facere frustra.

Tertio accipitur natura pro hac rerum vniuersitate, hinc dicitur Deus Auctor naturæ, & dixit Hetruscus Poeta.

Per multo variar Natura è bella.

Quarto accipitur Natura pro ipso Deo, sic Seneca lib. 4. de beneficijs, quid aliud, inquit, est natura quam Deus, & diuina ratio toti Mundo, & partibus eius inserta; melius appellauit Augustinus lib. 15. de Trin. naturam creatricem, non creatam.

Quintò Natura significat complexionem, inclinationem, & ingenium cuiuscunque rei, sic dicimus hominem natura ferocem, melancholicum, & in hoc sensu Poeta cecinit.

Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.

Sexto. Natura sumitur pro causis agentibus necessariò, & non ex libertate; hinc dixit Aristot. lib. de Inuent. & senect. Natura semper facit optimum, quod potest, quæ sanè non verificantur de causis liberis, quæ sepè malè operantur; hinc etiam dicitur ars imitari Naturam quia nempe quæ fiunt ex arte, fiunt ex electione voluntatis, quæ verò fiunt natura, fiunt ex necessitate causarum. Denique omissis alijs acceptionibus; natura sumitur pro primo principio intrinseco productionum quæ fiunt in singulis individuis, & de natura in hoc sensu instituimus hic quæstionem.

Multis etiam modis accipitur vox, naturale, primò sumitur, vt oppositum voluntario, & libero, secundò, vt oppositum artificioso, tertiò, vt oppositum fortuito, quartò, vt oppositum supernaturali, est autem supernaturale id quod excedit exigentiam cuiuscunque substantiæ, quintò vt oppositum violento, & sic dicimus ascensum non esse lapidi naturalem: denique naturale dici potest id, quod cum ipsa natura habet connexionem, sic Deus dicitur agens naturale quando operatur iuxta exigentiam rerum creatarum; Accidentia debita substantijs dicuntur naturalia, quia connectuntur cum ipsis naturis, & idem dico de cæteris denominationibus naturalis.

Definit Aristoteles naturam iuxta vltimum sensum hic textu, tertio quod sit principium quoddam, & causa, vt moueatur, & quiescat id in quo primo per se, & non secundum accidens inest. Hæc definitio, licet applicari possit omnibus naturis creatis, vt dicemus, tamen propriè tradita est ab Aristotele de natura rerum sensibilium, quæ venire potest sub physicam abstractionem. Dicitur ergo principium quoddam, & causa, quia non solùm natura debet esse principium motus, & quietis, vt volebant antiqui, sed etiam debet esse causa influens per verum influxum; adeoque excluditur a ratione naturæ priuatio, quæ licet possit esse principium motus, non tamen potest esse causa vt moueatur, & quiescat, quia natura debet esse causa

causa motus, vt res acquirat suum statum naturalem, vel certè, vt fungatur suo munere, ad quod est instituta, & quietis, nempe postquam acquisiuit statū sibi debitum; vnde hæc duo, motus, & quies non opponuntur, si motus accipiatur extra statum naturalem, quies in statu naturali: Præterea neque debent accipi simul pro eodem tempore.

Denique dicitur primo, per se, & non secundum accidens ineſt, quia natura debet esse principium motus intrinseci rei, in qua sit ipsa natura.

Tres illæ particulæ primo, per se, & non secundum accidens, licet videantur idem sonare, significant tamen diuersa, particula enim, primò, significat, quod natura debet esse de primo conceptu rei, & quia posset aliquo modo dici, quod aliquod accidens præcedens constitutionem substantiæ, v.g. quantitas, insit primò, additur particula per se, quod enim primo per se ineſt in compositō, est pars essentialis illius.

Neque est superflua vltima particula, non secundum accidens, nam potest aliquod ineſſe primo, & per se, & tamen per accidens se habeat, quod ibi sit causa alicuius motus, nam licet medicus, vt medicus, primo, & per se constituatur ab arte medicinæ, & ars medicinæ sit causa sanitatis, tamen quando aliquis medicus sanatur à seipso, per accidens est, quod recipiat sanitatē ab arte medicinæ, quā habet, nam sanaretur, etiam si non esset ipse medicus, sed alius eā mederetur eadem arte, quod exemplum est Aristotelis hic.

Ad maiorem explicationem huius definitionis quæres primo, cuius motus debet esse causa natura? localis ne, an sufficit, vt sit causa motus alterationis, vel alterius cuiuslibet.

Respondeo non solum venire motum localem, sed quālibet augmentationem, alterationem, & productionem cuiuscumque accidentis physici. Licet enim omnia physica, vt patet, habeant hoc, quod possint localiter moueri, tamen in mutationibus etiam accidentalibus relucet ipsarum natura, Colligitur hoc ex ipso Aristotelis textu tertio; agens enim de medico se ipsum sanante, proponit motum ad sanitatem, qui certè non est localis, sed alterationis, nutritionis &c. et superius textu primo dixerat, loquendo de rebus, quę natura mouentur, hæc quidem secundum locum, illa secundum augmentum, et decrementum, quędam autem secundum alterationem; ergo per Aristotelem habetur ratio naturæ etiam per mutationes qualcunque.

Probatur etiam ratione, nam non est minus debitum aquæ frigus

gus, quàm descensus si sit in aere, ergo non minus debet procedere à suis principijs intrinsecis productio frigoris & fuerit violenter corruptum, quam motus deorsum, ergo non est maior ratio, cur potius appelletur natura causa descensus in aqua, quam causa frigefactionis.

Quæres secundo; particula, &, in definitione, qua dicitur, vt moueatur, &, quiescat, quo pacto est accipienda? difficultatem parit Cælum, quod ita semper mouetur, vt nunquam quiescat, adeoque particula, &, non potest semper accipi copulatiuè.

Dicũt aliqui, vt Themistus hìc, Albertus magnus primo lib. Physicorum tract. 1. cap. 3. & alij, Cæli naturam hic non definiri, sed solum rerum corruptibilium. Sed contra est, quia Aristoteles nullibi definiuit peculiariter naturam Cæli. Præterea hìc textu 17. apertè dicit, Physici est, quid sit Sol, & Luna scire, & libro primo de Cælo textu 5. dicit, motum prouenientem à natura esse, vel rectum vel circularem; circularis autem soli Cælo conuenit, quare etiam corpora cælestia, per ipsum, habent naturam hic definitam.

Secundo dicunt alij in Cælo dari principium motus, & quietis, & quia poli quiescunt, & quia cælum secundum se totum non mouetur, & quia denique singulæ partes Cæli exigunt esse cum tali distantia à Polis mundi, v. g. constellatio vrsæ maioris semper seruat eamdem distantiam à polis, & ab alijs stellis fixis, adeoque habet quietem naturalem, ita censent aliqui Recentiores cum Simplicio, Philopono, & Iamduno hic; sed contra est primo, quia motus, quo Cælum mouetur, non potest naturaliter cessare, non enim est ad acquirendum terminum ad quem determinatum, quare non habet Cælum simultatem potentiæ ad motum circularem, & ad quietem motus circularis, & ita motus ille non proueniet à natura, contra id; quod asseruit Philosophus loco supra citato in primo de Cælo, licet igitur concederemus dari aliam quietem in Cælo, tamen respectu motus circularis non potest habere quietem. Secundò, quia nec ipsi poli Cælorum quiescunt, vt enim ostendunt comuniter mathematici in sphæra, poli mouentur cum toto Cælo motu quodam trepidationis, quod fusè, & erudite declarat, & probat P. Clauius in Sphæra cap. 1. tit. de quadruplici motu octauæ sphęræ, adeoq; nihil simpliciter quiescit de Cælo.

Dato tamen, quod Poli non moueãtur, impugnatur tertio, quia non idcirco dicerentur quiescere, quies enim non habetur ex negatione motus, sed ex priuatione, quæ connotat subiectum capax motus, vnde Aristoteles 4. Physicorum textu 118. dixit, non omne immo-

immobile quiescit, sed motu priuatum, aptum autem natura moueri, sed neque Poli, posito, quod non remoueantur, neq; Cælum secundum se totum sunt apta natura moueri, neq; constellatio Vrsæ maioris potest naturaliter accedere magis ad Polos, vel recedere ab illis, ergo talis negatio motus non facit ad quietem naturalem, de qua loquimur. Minor probatur, nam nulla datur potentia actiua naturalis, quæ possit facere hos motus, ergo neque dabitur potentia naturalis passiua. Consequentia valet ex supradictis in quæstione de materia. Antecedens probatur, talis potentia nō est Angelica, cui ab Auctore naturæ nō permittitur perturbare ordinem vniuersi; neque est Diuina; Deus enim, vt Auctor, & Gubernator naturæ non potest aliquid immutare, nisi ad exigentiam alicuius agentis naturalis, ergo non datur talis potentia.

Dices, si Deus miraculosè reuelleret à Cælo constellationem Vrsæ maioris, certe haberet inclinationem passiuam, vt reduceretur in pristinum situm, quia ibi melius fungi posset munere suo naturali in fluendi in omnes partes terræ sibi subiectas, ergo talis motus reductionis esset sibi naturalis, adeoque habet quietem veram in tali situ: sed contra est primo, quia hoc totum in sententia Aristotelis non est ad rem, cum ipse non agnouerit potentiam Dei miraculosè operantem, quare per ipsum non erat possibilis talis reductio, cū possibilis non fuerit talis ablatio. Secundo, quia etiamsi constellatio Vrsæ maioris esset in diuerso situ Cæli, adhuc tamen posset influere in terram iuxta suam naturam, non enim est magis alligata ad has, quam ad illas partes Terræ. Tertio, dato, quod habeat positiuam inclinationem ad talem situm, negatur tamen, quod reductio ad illum locum sit motus illi simpliciter naturalis, nam, vt aliquis motus sit alicui potentiæ naturalis, debet esse possibilis naturaliter casus, in quo illa potentia possit recipere talem motum, si enim nullus esset possibilis talis casus, illa potentia solum esset instituta ex natura sua ad casus miraculosos, ad quos solos natura nullam debuit instituere potentiam, ratio enim cur dentur potentiæ est, vt res consequatur bonum naturaliter possibile, ergo constellatio hæc inclinat solùm naturaliter, vt Deus illi conseruet illum situm, non autem, vt iterum restituat, si miraculosè illum destruxerit.

Instabis. Etiam posito miraculosè vacuo, tamen grauitas causaret naturaliter descensum lapidis in sententia probabili, & tamē talis descensus non potest esse in vllo casu naturaliter possibili: præterea si attollatur in altum Terra, naturaliter descenderet, & tamen huius-

huiusmodi descensus non potest fieri in casu naturaliter possibili, ergo idem dicendum de casu nostro.

Sed contra est, nam in ijs instantijs militat diuersa ratio, quæ nō militat in casu nostro; nam grauitas naturaliter descenderet iuxta eam sententiam, quia requireret talem situm in vniuerso, adeoq; quando reperitur extra talem situm, siue sit in vacuo, siue in pleno, descendit, non est autem inconueniens, quod aliqua virtus, & potentia sit instituta per se ad aliquem effectum naturaliter possibilem, & quod possit naturaliter se extendere consequenter, & secundario ad alium effectum, qui non sit possibilis nisi posito miraculo, quia iam non esset per se instituta solum ad effectum impossibilem in casibus naturalibus, sed haberet effectum suum primarium naturaliter possibilem.

Idem dico de descensu Terræ, cum enim singulæ partes possint naturaliter descendere, consequenter datur potentia ad descensum ipsius Terræ, qui esse non potest, nisi posito casu miraculoso, quare semper debet assignari potentiæ naturali aliquis effectus naturaliter possibilis sine vlla suppositione miraculi.

Melius respondetur ad quæstionem cum S. Thoma, Soto hìo, Conimbricensibus hìc art. 3. Ruuio, Pererio, & alijs particulam, et, accipiendam esse copulatiue respectu motus, et quietis; disiunctiue respectu naturæ in particulari, ita vt vbi datur motus, et quies natura sit principium vtriusq; vbi datur solus motus, vt est in cælo, sit principium solius motus, sic enim omnia benè saluantur. Neque mirum sit particulam, et, accipi in sensu prædicto, nam etiam iuxta summulas potest optimè ita accipi; propositio enim in eo sensu, in quo est indeterminata, sufficit, vt verificetur particulariter ratione formæ, ita hæc propositio Sol est causa auri, et argenti, est vera, non quia in qualibet regione sit causa vtriusque, sed quia solùm in aliqua, ergo hæc propositio, est etiam vera, natura est causa motus, et quietis, præcisè ex eo, quod verificetur in aliquo indiuiduo, licet non verificetur in omnibus.

Confirmatur ex alia definitione Aristotelis de Anima textu 18. vbi dicit, quod anima sit principium vegetationis, sensationis, intellectionis, et motus, et tamen non quælibet anima est principium harum omnium operationum, in plantis enim non datur nisi vegetatio, et in brutis non datur intellectio, quare sensus est, vt vbicunque reperiantur hæ omnes operationes, illarum principium sit Anima, quare similiter potest intelligi definitio naturæ.

Quæres tertio. An hæc definitio possit etiam conuenire corpo-

ri

Digitized by Google

si simplici, si possibile est, & etiam Angelo.

Respondeo affirmatiuè contra id, quod dicit P. Hurtadus disp. 7. Physic. sect. 1. n. 6. quem sequitur Arriaga hic sect. 1. n. 5. licèt enim Natura Angeli sit tota ipsius essentia, tamen dici potest Angelus habet essentiam, & in Angelo est ipsius essentia primò, & per se; accipitur enim Angelus tanquam totum constatum ex supposito in recto, & natura in obliquo, & de hoc toto dicitur, quod in eo sit principium motus, & quietis, nempe ipsa Angeli essentia. Idem dico de corpore simplici, verè enim verificaretur de eo, habet essentiam, & naturam, saltem metaphysicè distinctam, quare esset principium motus, & quietis, quod si loquamur de mente Aristotelis, certè ipse nō definiuit aliam Naturam, nisi sensibilem, ac materialem per se. Neque cognouit distinctionem inter naturam, & subsistentiam: hinc vniuersaliter dixit, Natura, aut subiectum est, aut subiecto inest, siue insit vt quid realiter, siue formaliter, & metaphysicè distinctum.

Quæres quarto. An omnis motus proueniens à natura sit propter quietem.

Respondeo, quod si sermo sit de motu circulari, vel simile circulari, qualis est in Cælo, certè non fit propter quietem localem mobilis, sed propter bonum corporum subiectorum, vt recipiant influxus sibi naturaliter debitos; quare ad summum potest dici fieri, vt corpora sublunaria quiescant sub accidentibus sibi debitis. Nouè vrgeas, quod omnis motus debet specificari à termino ad quē, nam motus circularis non habet terminum ad quem permanentē, sed transeuntem, neq; ex natura rei datur determinatus in eo terminus à quo, vel ad quem, sed per nostram designationem. Rursus motus cordis, pulmonis, arteriarum in rebus animatis non fit propter quietem localem, sed vt expellatur humidum, & attrahatur frigidum, vt docet Aristoteles cap. vltimo de respiratione, est ergo propter bonam nutritionem, & consequenter propter conseruationem in statu debito animali.

Sin autem loquamur de motu recto, videtur de facto institutus esse propter quietem, omnia enim leuia, & grauia (hæc enim solum mouentur motu recto) mouentur, vt acquirant sibi congruum, vt dicemus in libris de Generatione. Deposibilitate videtur ex vno capite posse dari motum rectum naturalem perpetuum. Primo, quod possit dari corpus exigens propter bonum suum ascendere sursum v.g. interdiu, quia illi nocet valida solis reflexio prope terram, at noctu descendat cessante solis reflexione. Secundo,

quod posset dari etiam corpus semper ascendens, sed motu semper minus, & minus veloci per partes proportionales, certè hoc corpus nunquam perueniret ad Cælum, & tamen semper moueretur, quod etiam demonstratur mathematicè.

Verùm videtur simpliciter negandum esse possibilem motum perpetuum naturalem rectum, quia motus rectus est à Natura institutus, vt mobile acquirat aliquod bonum, vel sibi, vel rerum vniuersitati, sed hoc non posset consequi mobile per motum rectum perpetuum, ergo non potest dari talis motus. Maior patet, minor probatur; nam in primo casu, vel resilla, quæ fugeret reflexionem solis, ascenderet propter aliquam causam attractiuam, sicuti ferrum trahitur à magnete, vel ascenderet à se ipsa; si dicas secundum, non deberet deindè descendere, nulla enim daretur causa descensus, nisi fortasse ponas in ea grauitatem, sed neque hoc dici potest, nam natura malè prouidisset illi dando grauitatem, vt pateretur reflexionem sibi noxiam, nempe prope terram, adeoque nullum est caput, cur illi dederit grauitatem, vel trahitur sursum ab alio, & tunc non deberet amplius descendere, quia nulla daretur causa descensus, quia non haberet inclinationem intrinsecam per te ad descensum, neque daretur alia causa extrinseca, regulariter loquendo. Potest quidem per accidens dari causa ascensus, sic ferrum potest attrahi sursum à magnete, & aqua leuior facta à calore etiam ascendit; at quod eadem res semper ascendat, & descendat per se sine vlla quiete, videtur quidam lusum contra naturæ seriestatem, quæ quid quid facit, ex necessitate operatur. Similiter in secundo casu, neque videtur congruum naturæ, quod det rei virtutem taliter se mouendi, vt nunquam tamen acquirat bonum, quod per motum intendit, nec perueniat ad terminum ad quem distantem finito spatio à termino à quo; cur enim mouetur semper tardius? Nam vel vltra progredi est bonum mobili, eo quod ibi, vbi est, non consequitur illud bonum, quod haberet vlterius procedendo, & hoc pacto non deberet tardius moueri ad illud, sed potius celerius, vel etiam ibi, vbi est, consequitur illud idem bonum, quod consequeretur etiam vlterius ascendendo, & hoc pacto non deberet ascendere, quare talis motus perpetuus rectus non videtur iuxta inclinationem naturæ, sed de hoc plura in lib. de cælo.

AR-

ARTICVLVS II.

Quomodo Natura sit principium motus, an reperiatur in omni corpore, & an dari possit corpus essentialiter immobile.

VT æquiuocationes euitentur, aduertendum est quæstionem hic non esse, an motus, quo mobile mouetur ab agente naturali sibi extrinseco, sit motus naturalis in aliquo sensu: certũ enim est esse naturalem in hoc sensu, quod non excedat vires agentium naturaliter, quare productio caloris, quam causat ignis in aqua, est productio in hoc sensu naturalis, est enim iuxta vires, & inclinationem ignis agentis. Quæstio ergo est in alio sensu, nimirum an ratio naturæ habeatur præcisè per hoc, quod sit principium actiuum motus, an per hoc, quod sit principium passiuum, an per vtrumque.

Dico primo. Principium actiuum motus sensibilis in alio non est natura hic definita. Probatur ratione: nam Deus, vt Auctor Naturæ est causa motus sensibilis in omnibus corporibus, quę mouentur, & Angeli mouent Cælos, & tamen per hoc non sunt natura hic definita, vt patet, ergo esse præcisè principium actiuum motus in alio non constituit rationem naturæ. Secundo probatur ex Aristotele 9. metaph. textu 13. asserente de Natura, principium motiuum est, non tamen in alio, sed in ipso, prout ipsum est, & hic textu 13. duplicia autem, inquit, sunt principia mouentia physicè, quorum alterum non physicum est, non enim habet motus principium in ipso. Legite textum nihil clarius apud Aristotelem.

Dico secundo. Principium merè passiuum sufficit ad rationem naturæ, etiam si non detur in mobili principium actiuum illius motus. hanc conclusionem probat Scotus in 2. distinct. 18. quæst. vnica. Probatur primo, quia vbicunque reperitur tale principium merè passiuum substantiale, certe verificatur, quod ibi detur principium, & causa, vt moueatur id, in quo primò, & per se ineſt, & nõ secundum accidens, ergo reperitur Natura hic definita, adeoque per hoc præcisè habetur sufficienter ratio naturæ. Confirmatur quia in Cælo, vt supra vidimus, est natura, & tamen non datur in eo principium actiuum motus, vt suo loco probauimus. Secundo probatur

batur ex Aristotele dicente hic textu 4. Natura, aut subiectum est, aut subiectum inest, ergo sufficienter habetur per solam potentiam passiuam, quæ venit nomine subiecti: præterea definit naturã, quod sit principium moueri, Græci enim loco gerundij vtuntur infinito, verbum autem moueri, in græco est passiuum, quare per Aristotelem Natura est principium motus passiui.

Dico tertio. Principium actiuum motus sensibilis, quod tamen principium existat in ipso mobili, est etiam natura: probatur eadẽ ratione, qua secunda conclusio, nam de ea verificatur definitio naturæ, & textus Aristotelis supra allati; hinc sequitur, quod non habeat conceptus naturæ prescindendo à principio passiuo motus, nam si principium actiuum, vt sit natura, oportet, vt insit in mobili, certè necesse est, vt mobile habeat principium passiuum respectu illius motus, cum loquamur de principio substantiali, non enim potest in aliquo substantiali dari pars substantialis, quæ sit causa actiua motus, quin idem mobile inclinet ad patiendum illum motum, vel enim mobile est corpus simplex, & sic non potest eadem entitas naturaliter producere in se motum, nisi sit sibi bonus, & cõsequenter nisi appetat habere in se illum: vel constat materia, & forma, & sic si forma est principium actiuum alicuius motus, non potest materia sub tali forma non inclinare ad illum, quare semper datur potentia passiua in mobili, in quo datur potentia actiua substantialis.

Obijcies. Aristotelem hic textu 13. probantem formam esse naturam, quia homo generat hominem, ergo ex eo præcisè, quod aliquid sit causa motus etiam in alio habet esse naturam.

Respondeo, ibi Aristotelem probare ad hominem ex argumento Antiphonis formam esse naturam; probabat enim Antipho, vt refert paulò superiùs Aristoteles, solam materiam esse naturam, eo quod si defodiatur lectus, & ex putrefactione illius aliquid nasceretur, non nasceretur lectus, sed lignum, quod est materia lecti, adeoque materia solùm habet rationem naturæ. Aristoteles retorquet hoc argumentum, probando ex ipso, quod forma sit omninò natura, nam homo generat hominem, ergo iuxta argumentum Antiphonis forma hominis debet esse Natura: cæterum satis diserte se explicauerat, in quo consisteret ratio Naturæ.

Restat iam examinare aliam partem quæstionis propositam, an de facto omne corpus sit naturaliter mobile, saltem per solam inclinationem passiuam ad motum, quod sufficit, vt dicatur naturã habere.

Ad

Ad hanc quæstionem dico primo, de facto dari corpus immobile naturaliter, quocunque motu locali, nullam habens inclinationem naturalem ad illum. Probatur, quia datur cælum Empireum, quod nec circulariter, nec vllo motu locali moueri debet, vt probabimus in libris de Cælo, ergo datur corpus immobile naturaliter motu locali. De motu alterationis non ita censeo; existimo enim esse essentiale corpori, quod possit moueri motu alterationis, cum enim corpus per me constare debeat ex materia, & forma, licet non possit proximè alterari ex carentia agentis sibi proximè applicati, tamen ex natura sua posset alterari, & consequenter se reducere naturaliter ad pristinum statum: ratio huius rei est, quia vbicunque reperitur impenetrabilitas, reperitur potentia passiua alterationis, tota enim ratio, cur detur impenetrabilitas, est, vt corpus reddatur quasi obuallatum ab actione agentis extrinsecè, quod agens si posset penetrare cum corpore, & intimè applicare illi suã virtutem actiuam nimis in ipsum ageret. Quare si esset corpus inalterabile, nulla esset ratio cur haberet quãtitatem, quæ est formalissime impenetrabilitas, quam rationem longius prosequemur suo loco: sed ex alio capite omne corpus habet exigere quantitatem, cum hoc intelligamus nomine corporis, ergo omne corpus est alterabile, atque ob hanc rationem existimo esse, non posse corpus omninò simplex non constans materia, & forma, quale posuit Auerroes. primo de Cælo commento; secundo, & alibi, esse cælum adeoque simpliciter censeo in omni corpore ineſſe Naturam.

Quod si possibile sit corpus simplex, & tale corpus ponatur Empireũ, posset optime dici, quod sit immobile naturaliter omni motu, etiam alterationis. habet enim omnia accidentia sibi debita, cum ratio nulla sit, vt aliquid desit, nec datur agens, quod possit ab eo tollere illa accidentia, in tantum enim agẽs corrumpit accidentia in alio in quantum intendit producere sua, vt denique introducat formam substantialem; cum ergo corpus simplex non habeat materiam, nec formam, non possunt in eo produci accidentia aliena, quę corrumpunt qualitates ipsi debitas, vt introducatur noua forma substantialis, quare haberet possessionem illorum accidentium sine potentia ad motum ad ea sibi iterum producenda.

Dices, cælo Empireo tam connaturale est hoc vbi, nempe occupare hoc spatium, quàm occupare aliud spatium, ergo habet potentiam saltem passiuam naturalem, vt mouetur à Deo ab hoc spatio in aliud.

Respon.

Digitized by Google

Respondeo, distinguo antecedens. tam est connaturale occupare hoc spatium, quam aliud in sua prima productione, concedo, postquam occupauit hoc spatium, nego. Postquam enim occupauit tale spatium per tale vbi, non debet amplius mutare: ratio est, quia potentia passiua essentialiter respicit actiuam, & illud naturaliter potest recipere, quod naturaliter potest agens naturale producere; nullum autem agens naturale potest corrumpere hoc vbi Empirei, & aliud producere loco illius, & licet Deus, vt Auctor Naturæ potuerit producere connaturaliter aliud vbi in Empireo, quando primo produxit, hoc tamen non potest naturaliter hoc destruere, quia omne ens permanens de sua Natura petit naturaliter conseruari ab Auctore Naturæ, dum nulla datur causa secunda potentior exigens destructionem ipsius, sed ita se habet vbicatio cæli empirei, ergo Deus, vt Auctor Naturæ nō potest illam destruere; quare non datur in Empireo potentia passiua naturalis ad acquirendum aliud vbi, postquàm accepit primum, & ita habet potentiam naturalem ad vbicationes disiunctiuè primo habendas, non autem ad habendas successiuè.

Obijces primo. Hoc corpus immobile esse adhuc materiale, & sensibile, ergo considerationis Physicæ, sed obiectum physicæ est ens naturale, ergo tale corpus esset substantia naturalis, & consequenter haberet principium motus.

Respondeo, posito, quod hoc corpus aliquo modo sentiatur, vt dicemus per diuersos influxus est naturale, hoc est pertinens ad naturam, non autem haberet in se naturam hìc definitam. Vtrum autem sit obiectum attributionis in Physica, an solùm obiectum communitatis, pendet ab alia quæstione, qui enim putant solam substantiam sensibilem habentem in se naturam esse obiectum attributionis physicæ, dicent hoc corpus esse obiectum solum communitatis, qui verò nobiscum putant omnia naturalia per se sensibilia esse obiecta attributionis physicæ, concedent hoc etiam esse obiectum attributionis, quod nihil facit ad præsentem difficultatem.

Obijcies secundo. Cur denegatur Diuinæ Omnipotentiæ posse producere qualitatem perfectiuam illius corporis, per quam magis etiam iuuaret inferiora? si autem possit ea produci, certè esset cum inclinatione illius corporis, quia magis faceret ad bonum suum.

Respondeo, transeat, quod Deus possit producere talem qualitatem, nego tamen illam fore cum inclinatione naturali illius substantiæ, nam vnumquodq; ens creatum habet suam perfectionem natu-

Digitized by Google

naturalem limitatam vſque ad talem, & tantam menſuram, vltra quam non petit naturaliter perfici, & ſic agentia naturalia, quę debent producere, vel inſe, vel in alijs accidentia debita naturaliter, ſunt limitatæ virtutis: quare cælum empireum debet eſſe expletum tota perfectione naturaliter illi debita, & conſequenter non eſt capax vlterioris.

Dico ſecundo. Non videtur eſſe poſsibile corpus, quod eſſentialiter exigat non moueri, adeo vt neo à Diuina Omnipotentia dimoueri poſsit à ſuo loco. Hæc concluſio eſt contra aliquos recentiores.

Probatur primo, quia illud prædicatum non eſt poſsibile, quod ſi ponatur, impediret, ne Deus poſsit aliquid operari, & nulla datur poſitiua neceſsitas conuincens, vt dari poſsit, ſed tale prædicatum haberet corpus immobile etiam à Deo, ergo non eſt poſsibile. Minor videtur certa, quia tale corpus impediret, & quaſi ligaret manus Dei, ne poſsit in eo efficere id, quod operatur in alijs corporibus, nempe ne poſsit illud loco mouere. Maior probatur, quia tale prædicatum argueret imperfectionem in Diuinâ Omnipotentiã, ergo eſt impoſsibile. Antecedens probatur, nam debemus ponere perfectionem Diuinæ Omnipotentiæ perfectiſſimam, quãtum poſſumus excogitare, adeo vt non ſit excogitabilis alia perfectior, ſed ſi aliquod ens impediret Diuinam Omnipotentiam, ne poſsit operari aliquod, quod poteſt operari in alijs entibus, & hoc oriretur ex mera ſuppoſitione, quod ipſum exiſteret, & non haberetur aliunde poſitiua neceſsitas aſſerendi, hoc ens debere dari, certè Diuina Omnipotentia non eſſet perfectiſsima, ergo ſi eſſet poſsibile tale corpus eſſet contra perfectionem Diuinæ potentiæ. Maior eſt certa. Minor probatur. imperfectior eſſet ea potentia, quæ poſſet facere ens, quod ex eo præcisè, quod eſſet, impediret ipſam, ne poſſet operari circa illud, ſicuti operatur iuxta prædicata eiuſdem rationis cum illo, & nulla daretur poſitiua neceſsitas probans tale ens debere dari, imperfectior inquam eſſet, quàm ea potentia, quæ non poſſet facere tale ens, ergo Diuina potentia non eſſet perfectiſsima. Antecedens probatur, nam potentia, quæ poſſet impediri in aliquo caſu ab aliquo ſibi extrinſeco, eſt imperfectior, quàm potentia, quæ in vllo caſu poſſet ab extrinſeco impediri, ſed talis eſſet illa potentia, quę non poſſet mouere illud corpus ex poſitione illius, ergo eſſet imperfectior.

Secundo probatur, quia quoties aliquis effectus ſolùm eſt implicans, quia ponitur exigentia eſſentialis, ne detur ille effectus,

debet

debet positiuè probari, quod possit dari talis exigentia, & non sufficit solùm probare negatiuè, quia scilicet non implicat, nã hæc duo prædicata v.g. corpus, & motus in alijs corporibus cõiungũtur sine implicantia, ergo ad hoc, vt iure dicas esse tale corpus, quod moueri implicat, non satis est afferre pro ratione, implicare hæc duo prædicata, nempè hoc corpus, & motum; ego enim respondebo, quod implicat illa implicare, quia nullam habet oppositionem esse corpus, & moueri, cum de facto coniungatur in alijs corporibus: assigna mihi rationem positiuam, cur esse tale corpus implicat esse cum motu, & non dicas solùm, quia non implicat quod implicent. Imo retorqueo argumentum, si valeret hic modus argumentandi negatiuus in rebus, in quibus duo prædicata aliquando sunt simul dicendo, non implicat implicare, aliquod esse corpus, & moueri, poterit eadem vi probari oppositum; ego enim dicam, non implicat non implicare esse quodcunque corpus, & moueri; quod si Aduersarius respondeat, implicat quidem non implicare, quia non implicat implicare, ego similiter respondebo implicat implicare, quia non implicat non implicare: vnde patet talem modum argumentandi non habere vim.

Dices primo, hic modus argumentandi est communis, nam probatur v.g. communiter ab aliquibus Auctoribus posse dari infinitum, quia non implicat ergo etiam valet hic. Sed contra est, nam dupliciter potest fieri quæstio, an aliqua coniunctio duorum Prædicatorum implicet, Primò, an implicet coniunctio prædicatorum, quæ tamen coniunctio non exigat essentialiter, ne detur aliquid, quod communiter datur in alijs rebus, & in tali quæstione bene argumentantur, non apparet repugnantia in hac coniunctione, ergo potest dari saltem à Deo. Ita dicimus posse dari infinitum, quia in quantitate non reperitur aliquod prædicatum positiuum, quod repugnet cum infinitate, vel probandum est positiuè dari hoc prædicatum repugnans, vt probetur infinitum esse impossibile; vnde nemo negat infinitum propter hanc rationem, quia non implicat, quod vnus palmus quantitatis exigat non dari alios infinitos, nam si de facto non exigit, implicat, quod non exigat, sicuti si Petrus nõ habet aliquod prædicatum sibi identificatum, implicat, quod illud habeat, vel si habet, implicat, quod non habeat. Secundo, potest fieri quæstio, an implicet aliqua coniunctio prædicatorum, quæ exigat essentialiter non dari aliud, quod communiter datur in alijs rebus, & tunc non sufficit probare, non repugnat talis coniunctio, ergo potest dari, sed oportet probare positiuè, quod non repugnet, sem-

semper enim præsumptio stat, quod non repugnet dari illud tertiũ, nisi positiuè probetur, & ita quando nescimus vtrum res aliqua exigat essentialiter non dari aliam rem, quæ datur in alijs similibus, oportet videre, an coniunctio istius rei cum illa faciat implicantiã, & quando in tali coniunctione nulla apparet implicantia ex natura rei, bene argumentamur, nulla apparet implicantia, ergo hæc res non exigit, ne detur illa secum, non autem bene arguimus, nulla apparet implicantia, quod detur talis exigentia, ergo potest dari. Porrò in casu nostro reperitur in quolibet corpore indifferentia, vt sit in hoc, vel in illo spatio, quam indifferentiam non reperimus in ipso spatio; ergo non possumus dicere prædicata corporis possunt idemtificari cum prædicatis spatij, ex quibus conflaretur corpus immobile, quia hoc non repugnat.

Respondebis, negando, quod prædicata omnis corporis sint Indifferentia ad hoc, vel illud spatium, sed datur aliquod corpus indifferens ad spatium, aliquod verò non indifferens, quare ratio corporis dicit solùm esse principium radicale quantitatis, & operationum exigentium quantitatem, quæ ratio est indifferens, vt sit, vel non sit essentialiter determinata ad tale spatium, sicuti ratio animalis est indifferens ad rationalitatem, & rugibilitatem. Sed contra est, quia redit impugnatio suprafacta, nam si reliqua corpora nõ dicunt essentialiter esse determinata ad spatium immobiliter, ad hoc vt probes posse coniungi cum corpore hoc prædicatum immobilitatis, debes dare positiuam rationem, & non satis est dicere non implicat, cum enim hoc prædicatum essentialiter prohibeat motum in tali corpore, qui motus in alijs corporibus esse potest, vt probes hanc coniunctionem inter corpus, & tale prædicatum non, sufficit dicere non implicat, sed debes positiuè probare iuxta doctrinam supra traditam. Exemplum de animali nihil facit, nam ratio animalis est esse principium sensationum, cum ergo inter operationes leonis, & inter operationes hominis sint sensationes, identificatio inter principium operationum leonis, & principium sensationis, non solùm est conueniens, sed prorsus necessaria, & idem dico de homine. At è contrario esse principium quantitatis, & operationum exigentium quantitatem, nullam habet connexionem cum immobilitate spatij, ergo non probatur positiuè, quod possint coalescere in eandem entitatem prædicata corporis, & prædicata spatij, cum ex natura sua nullam possint habere pertinentiam inter se, quare nulla suppetit positiua ratio, cur non implicet coniungi prædicata corporis cum tali exigentia.

Ratio autem vlterior, cur quando aliqua prædicata reperiuntur vnita cum alia re ad probandum, quod eadem prædicata, seu illi similia possint identificari cum essentiali exigentia, ne coniungantur cum illa re, requiratur ratio positiua, & non sufficiat dicere, non repugnat; ratio inquam est, quia, si semel prædicata aliqua possunt ex natura sua coniungi cum alia re, illa alia res non est illis mala, vel noxia, & ita contraria, vt essentialiter exigant non dari, nisi aliundè positiuè probetur, quod detur talis contrarietas: v.g. prædicata creaturæ reperiuntur cum motu, aliqua enim mouentur, ergo vt probemus esse possibilem creaturam, quæ non possit coniungi cum motu locali, non sufficit dicere, quia non implicat; nam si semel coniungitur, ratio, & ius est pro creatura, vt non repugnet coniungi in quolibet casu, nisi ostendatur peculiaris oppositio. Vt probem ergo vbicationem quę est creatura, esse immobilem, debeo assignare positiuam rationem, dicendo, debet posse dari modus, qui constituat Petrum in tali spatio, quod omnino probatur positiuè, sed essentia talis modi posito, quod sit essentialis determinatiu formaliter constituens Petrum hic, essentialiter opponi debet motui, ergo debet posse dari talis oppositio; ecce probo positiuè dari repugnantiam, & essentialem inimicitiam inter vbicationem, & motum, non autem probo, quia non implicat; at verò in prædicatis corporis, nulla affertur ratio positiua, cur debeat posse cõiungi aliquando cum exigentia essentiali, ne detur motus in ipsis, neque alibunde probatur positiuè dari oppositio inter prædicata talis corporis, & motum, ergo semper restat ius, vt corpus possit à Deo moueri, & illi non repugnet mobilitas.

Obijcies primo contra primam rationem, Diuinam potentiam non impediri ab eo corpore immobili, nam illo posito esset impossibilis talis motus, potentia autem non dicitur impediri respectu effectus impossibilis, ergo si Deus non posset facere huiusmodi motum, non tamen esset impeditus.

Respondeo, quod potentia perfectissima non potest eximere de sua subiectione, & imperio in ordine ad aliquam dispositionem, & effectum prædicata, quæ natura sua sunt subiecta in ordine ad illi effectum, & dispositionem, sed prædicata corporis natura sua sunt essentialiter subiecta Deo in ordine ad motum, ergo Deus non potest facere, vt subiecta non sint in ordine ad talem formalem effectum, ergo Deus non potest facere, vt ille effectus implicet ratione alicuius corporis, Deus enim non potest facere, vt res implicet, sed solùm potest facere, & non facere id quod non implicat, sed ista prædicata

finem esse corpus, & moueri spectata vtriusque natura non implicant simul, quomodo prgo Deus potest facere, vt implicent?

20 Dices. Illa differentia corporis implicat cum motu. Sed contra est, quia vnde habes, quod illa differentia implicet cum motu? Si probas positiuè, bene est, affer rationem, nulla profecto afferetur. Dicens, ratio est, quia non est denegandu hæc profectio Diuinæ Omnipotentiæ, quod ex ea possit produci talis differentia corporis, quæ implicet cum motu. Iam iamus in cardine difficultatis, tu dicis, quod est perfectio posse facere corpus, quod Deus non possit monere, & ego dico, quod est imperfectio, tu non probas mihi, quod sit perfectio posse, quasi effluere à Diuina Omnipotentia corpus, cui repugnet essentialiter moueri etiam ab ipsa, nisi dicendo, quod corpus essentialiter repugnans moueri etiam à Deo non implicat; ego verò probabo, quod sit imperfectio, nam corpus repugnans moueri etiam ab ipso Deo est creatura indigna, quæ effluat ab omnipotentia Diuina, ergo si Diuina potentia posset facere talem creaturam, esset imperfecta, quia faceret aliquod indignum se exigens aliquid contra ipsam omnipotentiam: ponamus enim duas Omnipotentias, vnam cui comparatum quodlibet corpus possit moueri ab ea, quia eius immensa perfectio prohiberet in quolibet corpore possibilitatem repugnantiæ, ne moueretur, & aliam cui comparatum aliquod corpus, non posset ab ea moueri, quia non prohiberet eius perfectio possibilitatem repugnantiæ ad motum, certè perfectior esset prima, quàm secunda potentia, quia esset talis, vt hoc ipso, quod compararemus prædicata corporis cum ea, non possent admittere secum prædicatum immobilitatis respectu illius potentiæ, quia eius perfectio exigeret, vt hæc prædicata corporis non possint subtrahi ab illius potestate, hoc est non possint repugnare, ne ab ea moueantur.

Quæritio, vt magis appareat. Aduertendum est, quod, vt videamus, an possit dari corpus cum exigentia, ne moueatur extrà à Deo, non debemus supponere illud posse dari, seu quod idem est, non debemus supponere, quod non inuoluat duo contradictoria, & consequenter neque debemus supponere, quod ex positione illius intellectus non determinaretur ad duas propositiones contradictorias, sicuti neque debemus supponere, quod ex positione illius intellectus determinaretur ad duas propositiones contradictorias simul; sed enim alterum ex his supponatur, nulla restat quæstio facta ea suppositione. Solùm ergo debemus supponere dari prædicata corporis nempè principium quantitatis, & operationum exigentium

quantitatem, & facta hac suppositione videre, an si cum his prædicatis coniungatur immobilitas, sequitur implicantia, seu quod idē est, an si cum illis prædicatis coniungatur immobilitas, ex toto hoc sequatur, quod intellectus determinetur ad duas contradictorias simul. Ego positiuè probo, quod ista coniunctio implicet, & determinet ad duas contradictorias simul; nam facta prima suppositione, quod scilicet dentur prædicata corporis, & considerando quid essentialiter exigat Diuina Omnipotentia in hac suppositione ex eo, quod sit perfectissima, video, quod exigat, ne coalescat cum illis prædicatis aliquid indignum se, & contra suum ius, hoc autem esset repugnantia, ne moueretur ab ea, dicere enim, quod facta hac prima suppositione præcisè hæc repugnantia sit indigna Diuina Omnipotentia, est illam magnificare, tota enim hæc indignitas nasceretur ex perfectione Dei, cogente prædicata corporis, vt essent incapacia talis repugnantiæ.

Confirmatur à pari, nam dominium Dei est ita perfectum, vt Deus nō possit se abdicare illo, quia hoc ipso, quod aliquid est creatura ex hac mera suppositione, non potest cum eo coniungi hoc prædicatum, quod non sit naturaliter sub iure, & dominio Dei, ita Deus non potest ita dare aliquod alicui, vt ex ea donatione illud ipsum non sit sub dominio Dei, quia perfectio dominij ipsius est nō posse, ita disponere de re, vt ea existens non sit sub ipsius dominio, quod non euenit in dominio creato, sic etiā perfectio Diuinæ potentiæ debet esse talis, vt si comparetur corpus cum ea ratione perfectionis ipsius immensæ potentiæ, non possit cum prædicatis corporis coniungi repugnantia, ne Deus illud mouere possit, quia si posset coniungi talis repugnantia, non argueretur tanta perfectio in Diuina potentia.

Similiter Deus non potest facere Angelum, vel creaturam rationalem, cui repugnet posse beatificari supernaturaliter à Deo, ita vt non possit in ea Deus producere visionem beatam, quia hoc essentialiter illa creatura exigeret. Supposito enim, quod sit creatura intellectualis, & Omnipotentia Dei sit perfectissima, talis perfectio Dei prohibet formaliter hanc repugnantiam visionis beatæ. Prohibere autem formaliter est, vt comparando prædicata creaturæ intellectualis cum potentia Diuina ex vi talis perfectissimæ potentiæ, intelligatur depulsa, & impossibilitata talis repugnantia, ergo & in casu nostro intellecto corpore, & potentia Dei perfectissima, intelligitur formaliter ex vi talis potentiæ impossibilitata omnis repugnantia, ne possit moueri ab eadem potentia.

Obij-

Obijcies secundo. Magis magnificat Diuinam potentiam ponere, quod possit facere corpus immobile, nam hoc posito præter omnes creaturas possibiles, quas ponimus, adhuc Deus posset facere alias infinitas, nempe corpora immobilia. Sed contra est, nam perfectio Diuinæ potentiæ consistit in hoc, quod possit facere omnia possibilia, nempe quibus positis nulla sequatur contradictio, siue sint plura, siue pauciora; non est autem perfectio posse facere chymæram, sed corpus immobile esset chymæra, quia perfectio diuina essentialiter prohibet à prædicatis corporis repugnantiam, ne moueatur à Deo, ergo est perfectio non posse facere istam, aliam infinitatem rerum chymæricarum. Addo præterea, quod posset retorqueri argumentum: nam in tua sententia Deus non potest facere infinitas creaturas vltra eas, quas admittis, & in mea sententia posset facere; per te enim non potest facere infinitos motus in illis corporibus, quæ tu ponis immobilia, per me autem in illis ipsis posset facere motus, nec dicas illa corpora à me non admitti, nam ego illa eadem admitto, quæ tu, & dico contra te esse possibiles etiam respectu illorum motus infinitos, quos tu negas, quare ex hoc nihil probatur pro tua sententia.

Obijcies tertio. Vbicatio, seu spatium reale (idem enim sunt) sunt creatura, & tamen habent repugnantiam, ne etiam à Deo moueantur, ergo simul cum prædicatis creaturæ potest coniungi immobilitas etiam respectu Dei sine vlla læsione diuinæ potentiæ, cur non poterit coniungi cum prædicatis corporis?

Respondeo quod in vbicatione posito, quod sit immobilis etiam à Deo, quod multi negant, datur ratio positiua necessitans, vt in ea ponatur hoc prædicatum immobilitatis, nec solùm dicitur quod vbicatio sit immobilis essentialiter, quia non repugnat esse immobilem, sed, quia prædicata vbicationis sunt, facere formaliter, vt res vbicata sit hic, sed idem est facere formaliter vt res vbicata sit hic, ac essentialiter esse immobilem, ergo necessario debet esse immobilis. Maior huius syllogismi est certa, quia hoc intelligimus nomine vbicationis, & quod ipsa debeat dari, certum etiam est, quia experimur tale corpus esse hic. Minor, vel probatur, vel non, si nō probatur, negatur consequentia, & sic eam negant, qui putant hanc minorem esse falsam, adeoque ponunt vbicationem mobilem supernaturaliter. Si minor probatur vt vera, non probatur per negationem repugnantiæ, sed ratione positiua, adeoque consequentia est omninò necessaria per rationem positiuam, & conuincentem: at in casu nostro neque ex eo, quod sit corpus, neque ex eo, quod sit ta-

le

le corpus probatur positiuè, quòd sit immobile: sed solùm, quia non repugnat, ergo est dispar ratio.

Obijcies quarto. Ponamus nullum dari animal præter hominem, in isto casu bene quis argueret, quamuis omni animali conueniat discursus, possibile est animal, cui repugnet discurrere, quia in hoc non apparet implicantia, ergo licet videamus omnibus corporibus motum conuenire, possumus adhuc asserere, possibile est corpus immobile, quia nulla apparet implicantia in eo.

Respondeo negando paritatem, nam discurrere valde differt à moueri, moueri enim solùm dicit habere motum, siue ille motus sit iuxta inclinationem mobilis, siue contra ipsius inclinationem, & violentus, vt est motus sursum lapidis, qui est verè motus, & tamen est lapidi violentus. At discurrere, (idem dico de operationibus vitalibus) nõ solùm dicit quod discursus sit vnitus cum subiecto, sed quod subiectũ inclinet, & habeat exigentiam positiuam illius, vnde si poneretur discursus Petri à Deo in equo, non diceretur equus discurrere, quia non habet proportionem cum discursu; hoc posito quia videremus in casu suprapositio, quod inclinatio ad discursum non proueniret à corpore, nec à rebus materialibus, sed ab anima, & corpus solùm inclinare ad operationes materiales: possumus bene arguere: Non implicat dari formam materialem viuentis sensitiui, quæ nõ habeat proportionem cum discursu, adeoque non sit causa efficiens illius, neque si miraculosè ipsum recipiat per eam dicatur discurrere, cum hoc requirat proportionem inter subiectum, & discursum. Non habere autem proportionem dictam, est repugnantia ad discursum, sicuti repugnantia, quam habet Angelus, vt sit calidus, est eius impro portio cum calore, quare idem sonat in actionibus vitalibus implicare, vt eas vitaliter operetur, ac non habere proportionem cum illis. quam negationem proportionis respectu discursus colligimus esse possibilem, quia in homine discursus non prouenit à materialitate, vt hic suppono.

At repugnantia ad motum non dicit improportionem cum motu, admittimus enim aliquod corpus non inclinans ad motum, vt est empyreum, quod si à Deo moueretur, pateretur violentiam, sed, dicit, quod neque miraculosè, & supernaturaliter Deus possit vnire motum cum eo corpore, quod sonat aliquid indecens Diuinæ Omnipotentiæ; vndè retorquemus argumentum: nam posito tali casu malè quis argueret: non implicat dari animal, in quo repugnet etiam miraculosè, & de potentia Dei absoluta vniri discursum, qui sit supra exigentiam, & proportionem illius animalis, quia posset

Deus

Digitized by Google

Deus vnire physicè cum equo discursum factum à Petro, per quem tamen equus non discurreret, ergo malè arguitur, non implicat dari corpus, in quo non possit vniri motus violenter, & cum maximo miraculo Diuinæ Omnipotentiæ supra, imo contra naturalem exigentiam ipsius corporis. Quare aliud est negare proportionem in vno ente respectu alterius, aliud ponere talem implicantiam in ipso, vt Deus violenter, & contra exigentiam ipsius vniat cum eo motum localem, qui non est actio vitalis, nec ad hoc, vt moueat requirit proportionem, & inclinationem mobilis ad ipsum motum.

Ex his deducitur non esse contra Diuinam Omnipotentiam ponere modos, posito, quod positiuè probetur necessitas ipsorum v.g. videmus, quod detur homo constans ex anima, & corpore, & videmus, quod, non sufficit dari animam, & dari corpus, vt sit homo, sed debet dari vnio inter animam, & corpus, quæ non sit indifferens ad vniendum, & non vniendum, ecce necessitatem possibilitatis vnionis, quæ est positiua, & non solùm quia non repugnat, atque idem dico de alijs modis. Colligitur secundo bonum esse argumentum ad nostram conclusionem comprobandam comparationem potentiarum inter se, & cum Diuina Omnipotentia e.g. pondus centum librarum non potest moueri à puero propter imperfectionem potentiæ illius, nam comparatum respectu potentiæ puerilis exigit essentialiter, ne ab illo moueatur, quamuis enim puer adiutus Diuina potentia possit supernaturaliter illud mouere, tamen considerando potentiam pueri præcisè cum concursu Dei debito illi potentiæ implicat contradictionem, quod moueat illud pondus: rursum idem pondus respectu alterius potentiæ perfectioris non potest exigere, ne moueatur, quia comparatum cum hac potentia nobiliori non habet illam superare, sicuti superabat potentiam pueri; quare hæc potentia perfectior prohibet ob suam perfectionem, ne illa entitas repugnet moueri à se, licet repugnet moueri ab alio. Hinc sequitur, quod quo perfectior est potentia, eo sit aptior prohibere repugnantiam in obiecto, ne ab ipsa moueatur, cum ergo in Deo sit potentia perfectissima, certè debet esse talis, vt prohibeat formaliter ob suam perfectionem omnem repugnantiam in obiecto in ordine ad motum ab eadem potentia faciendum.

AR.

ARTICVLVS III.

Quomodo Materia, & forma sint Natura.

MAteriam esse naturam patet ex Aristotele hic tex. 10. & 12. & 5. Metaph. textu 3. & probatur, quia materia est principium, & causa passiua motus, ergo est natura hic definita. Difficultas est, quomodo sit natura, cum enim materia inclinet ad omnes motus, nec magis ad hunc, quàm ad alium, non est principium determinatum alicuius, adeoque omnis motus videtur esse illi naturalis, etiamsi sit violentus formæ, & ita si materia esset natura, nullus daretur motus violentus in corporibus; motus enim violentus definitur, quod sit motus nullam vim conferente passo; si ergo materia inclinat ad illum, tanquam natura, confert aliquid, & ideo dici non potest, quod passum nullam vim conferat, & per consequens nō erit motus violentus. Nec satisfacit solutio PP. Conimbricensium, dum dicunt esse violentum toti passo, nam ideo est violentum toti, quia passum nullam vim cōfert, sed parte materia confert aliquam vim, ergo etiam passum confert, sicuti, quia anima sola intelligit, dicitur etiam simpliciter homo intelligere.

Ad soluendam quæstionem dico primo, certum esse, neque materiam, neque formas esse naturas, nisi connotent in obliquo compartem sibi vnitam, patet, quia Natura est principium motus in eo in quo est, natura ergo debet esse totum, in quo sit natura, ergo tam materia, quam forma est natura in toto, & per consequens debet connotare compartem: est tamen differentia inter materiam, & formam, quia forma debet connotare compartem, tanquam subiectum in toto, quod ipsa determinat ad hunc motum, at verò materia debet connotare compartem, vt determinatiuam suæ inclinationis per modum actus, potiùs ad hunc motum, quàm alium.

Dico secundo. Materia secundum se accepta est quælibet natura solùm potentia, forma autem per se considerata est natura determinata quantum est de se. Est expressa conclusio Aristotelis hic textu 11. & 12. Primo, quia materia secundum se est potentia ad quodlibet indiuiduum, potest enim euadere æquè bene, quantum est de se hoc, vel illud indiuiduum, ergo est potentia quælibet natura: fit autem actu hæc, vel illa natura per formam. At verò forma per suam entitatem determinatè habet solum esse principium talis motus

tas, non enim potest naturaliter relinquere hanc materiam, & cõstituere aliam speciem, imo neq; aliud indiuiduum, ergo secundum se habet, quod sit determinatè natura.

Dices, quãdo materia est cum forma ignis, actu est natura ignis, ergo non est solum potentia natura, sed etiam actu.

Respondeo distinguo antecedens, si solùm accipiatur materia, quæ est cum forma ignis, nego antecedens, si sumatur materia cum forma, concedo. Sed tunc denominatio accipitur partim à materia in recto, partim à forma in obliquo, nec enim potest intelligi actu materia ignis, nisi ex parte obiecti veniat materia cum forma, at verò forma ignis intelligitur per suam entitatẽ esse determinata natura ad proprietates ignis, etiam si non intelligatur materia.

Dices secundo. Materia, quando est sub forma ignis, est eadem entitas, ac quando est sub forma aquæ, sed illa entitas sub forma aquæ habet inclinationem ad motum deorsum, ergo eandem habebit sub forma ignis, cum inclinatio sit ipsa entitas, & essentia materiæ, quare cum ignis violenter descendit, non est motus violentus.

Respondeo distinguendo minorem, habet inclinationem ad motum descensus, vt actualis natura ignis, nego, vt habens in se accidens, quod est proprium formę substantialis appetentis descensum, concedo, tunc enim potius se habet, vt natura aquæ, quàm vt natura ignis. Spectata autem entitate materiæ secundum se, & præscindendo ab hoc, vel illo agente, est indifferens, & æquè inclinans ad omnes formas, & ad quemlibet motum; quare materia secundùm se, siuè sit sub forma aquæ, siue sub forma ignis, semper habet eamdem inclinationem ad omnes motus, vt autem inclinet determinatè ad istum, & non ad alium, habet ab ista forma, & ita habet ex se materia, vt sub forma aquæ inclinet determinatè ad motum deorsum, sub forma ignis ad motum sursum.

Obijcies tertio. Aristoteles hìc textu 12. ait loquendo de forma, magis natura hæc est, quàm materia, vnumquodque enim tunc dicitur, cum actu sit magis, quàm potentia, ergo forma secundum se præscindendo à materia in obliquo est actu natura.

Respondeo, quod forma præscindendo à materia non potest dici principium motus in eo, in quo est, quia non concipitur totum in quo est, ergo non habet conceptum naturæ actualis. Dicitur tamen forma secundum se magis natura ex eo, quod sit actu, quia forma per se spectata secũdum suam propriam actualitatem est de-

terminata ad talem motum, & exigit materiam, & licèt non possit se sola producere motum determinatum, habet totam actualem determinationem ex parte sua, & requirit solùm materiam, non vt partem determinatiuam, sed vt determinabilem à se, at verò materia, ex eo quod sit actu, non habet de se determinationem ad vllum motum, neque exigit aliquam formam substantialem potius, quàm aliam, ergo tota actualitas materiæ per se accepta est mera potentia, vt sit hæc, vel illa natura.

Ex his possumus soluere difficultatem initio propositam, quo modo si materia inclinat ad omnes motus, etiam repugnantes formæ substantiali, quam habet, eosque causat in genere causæ materialis, dicantur motus illi violenti, & ex alio capite motus violentus sit, cui nullam vim conferat passum, debet enim accipi verbum conferre, non pro causare quomodocũque motum, sed cum inclinatione naturali illius, quod se habet principaliter in eo mobili, sic explicat S. Thomas secunda sæcundæ quæst. 175. art 1. in corpore, confert enim, inquit, vnumquodque id, quod intendit secundum propriam inclinationem, vel voluntariam, vel naturalem; sic moraliter dicitur violenter moueri, qui necessitate cogente progrediatur ad furcam, non quod verè non sit causa illius motus progressiui, sed quia illum quamuis causet, tamen non confert vim, non enim causat secundum inclinationem voluntariam: sic etiam licet materia causet motum, v. g. descensum in igne, tamen, quia non concurrit ad illum inclinatio formæ, quæ se habet principaliùs in composito, dicitur simpliciter compositum nihil conferre.

Sed hoc ipsum melius alio modo potest explicari, si dicamus, quod passum verè non causet motum illum, nomine autem passi intelligamus totum compositum, ita tamen, vt secũdum nullam partem sui, quatenus est vna pars actualis ipsius, causet illum motum, quando enim aqua calefit, non confert quidquam ad illam calefactionem, neque secundum se totam, neque secundum duas naturas actuales, quas habet, licet enim materia, quæ semper machinatur proditionem, & interitum composito, vt docet Aristoteles, causet illum motum violentum, tamen non causat, vt materia actualis illius compositi. Patet, quia non causat calorem in aqua, vt actualis natura aquę, quę dicit essentialiter in obliquo formam aquę determinantem ipsam ad aquæ proprietates, ergo materia non causat illam calefactionem, vt determinata ad formam aquæ, quo solùm pacto est partialis materia aquæ, sed causat illum calorem, vt determinata ab extrinseco igne, quo pacto non est materia aquæ,

sed

sed potius materia potentialis ignis. Quare si aqua, neque secundum formam suam, neque secundum materiam, prout est actualis sua natura partialis, neque vt totum inclinat ad calorem, vt illum causet in se, profecto nullam vim confert ad illum motum, & per consequens est violentus.

Petes, posita sententia, quod accidentia non subiectentur in toto composito, sed in sola materia, quo modo forma v.g. aquæ est natura.

Respondeo non esse necesse, vt quælibet natura ipsamet in recto sit principium passiuum motus, est tamen necesse, vt semper totum compositum habeat potentiam passiuam ad motum recipiendum, quare semper debet connotari potentia passiua saltem in obliquo à natura, adeoque si solùm consideremus formam aquæ potentem producere frigus, & præscindamus, an ipsa aqua habeat inclinationem positiuam ad frigus nec ne, adhuc non habemus conceptum naturæ hic definitæ, ergo non possumus præscindere in conceptu naturæ à potentia passiua.

Ex dictis oritur alia difficultas, an videlicet anima præsertim rationalis secundum vltimum gradum rationalitatis, hoc est quatenus est causa intellectionum, sit natura. Negant Simplicius hic textu primo, & secundo, & Albertus Magnus de origine animæ cap. 4. Communiter tamen affirmant cum S. Thoma hic comm. 26. Alexandro Auerroe, Themistio cap. 3. Pereriolib. 3. cap. 12. & alijs.

Dico tertio, Omnes animas, includendo etiam rationalem, secundum vltimum gradum esse naturas. Probatur primo ex Aristotele hic textu primo numerãte animalia, & plantas inter res naturâ constantes, & textu 12. dicente hominem esse natura, hoc est constans naturis. Probatur secundo, quia omnes animæ sunt principium primum substantiale motus animalis, ergo sunt natura. Antecedẽs probatur, quia anima vegetatiua est principium nutritionis, & augmentationis in viuente, vt patet in plantis, quæ crescunt, & nutriũtur. Sensitiua est principium motus localis, & sensationum in animali. Rationalis secundum vltimum gradum est principium talis augmentationis in tali determinata figura soli homini debita, quod non conuenit animæ rationali, vt vegetatiua est, sed vt talis exigens talia organa ad discursum prærequisita. Præterea motus intellectionis est ab anima, vt rationalis est, sed talis motus, prout est ab anima, est sensibilis, quia est per se connexus cum motu sensibili phantasmatum, & imaginationis, ergo quatenus talis, est natura hic definita.

Dices. Ergo Physicus debet considerare animam, vt discursiuam.

Respondeo cum distinctione, debet considerare animam, vt discursiuam dependenter à sensibus, concedo, vt discursiuam independenter à sensibus, nego, quamuis enim anima non dependeat in essendo à materia, quia est spiritualis, vt suo loco dicemus, tamen in modo operandi, quem connaturaliter habet in corpore, dependet à sensibus; non quidem, quod sensationes materiales sint vllo modo causa intellectionis, quę solùm pendet ab anima, & speciebus spiritualibus, tanquam ab adæquata causa, sed quia anima debet determinari, tanquam à conditione naturaliter requisita ab ipsis sensationibus, & hoc pacto dicitur, quod anima in operando pendeat à sensibus, & cognitio spiritualis in se, dicitur tamè sensibilis, quia naturaliter exigit coniungi cum sensationibus.

Dices secundo. Aristot. apertè dixit naturam, vel esse subiectum vel in subiecto, sed anima neque est subiectum, quia non est materia, nec est in materia, quia per se subsistit, ergo non est natura loquendo de anima rationali.

Respondeo, dupliciter posse aliquid esse in subiecto, primo tanquam in substentante, quo pacto sunt in materia formæ materiales, secundo tanquam in recipiente sine substentatione, & ita est anima rationalis in materia, quid autem sit formam recipi in subiecto sine substentatione, dicemus inferius.

Obijcies iterum Aristotelem dicentem hic tex. 12. quòd ea solùm forma est natura, quæ non est separabilis nisi per rationem, sed anima rationalis est etiam separabilis realiter, ergo non est natura.

Respondeo, ab Aristotele excludi à materia formas assistentes, vt sunt Angeli respectu Cælorum, formæ autem assistentes possunt separari realiter sine destructione compositi, cui assistunt, at verò anima rationalis separari non potest ab homine, quin homo pereat. Omnes tamen formæ possunt separari ratione, hoc est per intellectum, quia possunt considerari, & definiri definitione diuersa, ac definitur totum compositum.

Dices tertio. Animæ non sunt determinatæ ad vnum motum, ergo non sunt natura.

Respondeo, distinguo consequens non sunt natura determinata ad vnum, concedo; non sunt natura simpliciter, nego; natura enim præscindit, an sit determinata ad vnum, an non, debet tamen omnis natura determinari, vel à propria forma necessario, vel ex libera voluntate. Hinc est, quod motus progressiuus liber sit rigorosè na-

Digitized by Google

naturalis, quamuis non sit naturalis in alia acceptione, pro vt motus naturalis opponitur motui libero.

Petes primo. An totum compositum substantiale possit, & debeat dici natura, an verò habens naturam? Aristoteles videtur apertè negare compositum dici posse naturam, sic docet textu 12. hic, quod autem, inquit, ex his, hoc est ex materia, & forma composito, natura quidem non est, sed à natura, vt homo, & textu 1. ait: natura quidem sunt, et animalia, et partes ipsorum, et plantæ, et simplicia corpora etc. hæc enim et huiusmodi natura esse dicimus, in quo textu ne fiat æquiuocatio, in quam multi inciderunt, vox, natura, est in ab latiuo, vt patet ex textu Græco, et notauimus in nostra versione, in qua hanc æquiuocationem fugimus, et idem valet ac naturaliter, vel à natura, ergo Aristoteles negat simpliciter substantias completas esse naturas, sed asserit esse ex natura. Videtur tamen oppositum dicere 5. Metaphisices textu 5. natura igitur inquit, quod ex ambobus his est, nempe ex materia, & forma, vt animalia, & partes eorum, & infra dicit, ex dictis, itaque prima, & quæ propriè dicitur, natura est substantia eorum, quæ in se ipsis, vt ipsa sunt, motus principium habent. Verum Aristoteles nullo modo sibi contradicit, nam in hoc vltimo loco nomine substantiæ intelligit formam, ipse enim sæpius formam appellauit substantiam simpliciter, vnde superius in eodem textu dixerat, quasi duo synonima, forma autem, & substantia, sensus ergo est, quod forma sit prima, & magis propriè natura comparata respectu materiæ propter determinationem, quam habet, vt diximus. Ad locum antecedentem dicimus vocem, natura, non esse in nominatiuo, nec significare naturam in recto, sed esse in ablatiuo, ita vt sensus sit, id, quod ex ambobus est constans ex natura, nam in textu græco non ponitur φύσις in nominatiuo, sed φύσει in datiuo aduerbialiter, quæ æquiuocatio sæpe est euitanda in textu latino.

Petes secundo. Motus corruptiuus est ne naturalis?

Respondeo non esse naturalem composito, quod corrumpitur, sed violentum, loquendo de præuia alteratione, per quam paulatim corrumpitur dispositio compositi, est autem naturalis prout opponitur miraculoso, quia scilicet prouenit à viribus agentis naturalis, quod si loquamur de ipsa formali corruptione formæ substantialis, est naturalis compositio nouo, quod exigit corruptionem antecedentis.

Petes tertio. An motus naturalis possit esse damnificus ipsi toti,

Re-

Respondeo per accidens posse esse, & ex necessitate materiæ, sic motus progressiuus defatigat membra, non quia per se intendatur illa membrorum defatigatio, sed quia non potest haberi illud bonũ ambulationis sine hoc adiuncto malo. Natura autem per se bonum illud intendit, non autem malum, quod etiam aliunde potest facilè reparari, quare motus ille est simpliciter naturalis, & simpliciter appetitur.

ARTICVLVS IV.

An possit demonstrari Natura.

ARistoteles hic textu 6. ait ridiculum esse conari demonstrare quod natura existat, quia demonstraretur notum per ignotius, sicuti si cæcus à natiuitate vellet de coloribus disputare, solũ nomina colorum percipiet, non res per nomina significatas.

Sunt tamen aliqui, qui cum Auicenna, & Alberto hic dicunt posse naturam à posteriori demonstrari, solùm autem Aristotelem velle, quod ridiculum sit conari, naturam demonstrare, cum clarissimè constet eam existere. Communiter tamen asserunt non posse demonstrari per præmissas realiter notiores, demonstratur quidem dari aliquid in particulari, quod sit natura, sic demonstratur dari forma, quæ est natura, sed non demonstratur dari natura subrudi conceptu naturæ.

Ad maiorem claritatem aduertendum est præsentem quæstionẽ multis modis posse institui. Primo, an possit probari a priori, quod detur natura, in quo sensu videtur probari nõ posse, cum enim causa naturæ sit solus Deus liberè operans, non videtur sequi, existit Deus, ergo existit natura physica, de qua quærimus. Secundo, an possit probari per causam finalem, in quo sensu, neque probari potest, nullus enim potest assignari finis, ex quo demonstretur de facto naturam existere. Tertio, an possit demonstrari per causam formalem, nempe per ipsam definitionem naturæ, in quo sensu potest quidem demonstrari, sed talis demonstratio nihil facit ad præsentẽ quæstionem, nam quæritur hic, an sit natura à parte rei, sub quocunque rudi conceptu concipiatur, non autem quæritur, qualia prædicata naturæ conueniant, an hic, an alius sit conceptus distinctus illius; quare definitio non probat rem dari, sed potius probat dari coniunctionem alicuius passionis cum essentia, v.g. in hoc syllogismo

mo. Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, explicatur potius, cur conueniat homini risibilitas, quàm quod detur in homine risibilitas, quod si velis probare per definitionem quod detur definitum, nihil facis, nam vel in maiori, vel in minori debes formaliter cognoscere, quod detur definitio, ergo formaliter cognoscis dari definitũ sub aliquo conceptu, nempe sub conceptu claro definitionis, v.g. in hoc syllogismo. Animal rationale datur, homo est animal rationale, ergo homo datur, iam in maiori affirmas dari hominem sub conceptu animalis rationalis, & sic in conclusione solùm habes de nouo dari hominem sub conceptu magis implicito hominis, nos autem hic quærimus, an possit demõstrari, quod detur natura, sub quocunque conceptu veniat, non supponendo in aliqua præmissa, quod affirmetur dari natura sub aliquo conceptu.

Solum ergo restat videre, an natura possit demonstrari à posteriori, nempe ab effectu, & in hoc sensu instituimus quæstionem, in qua est etiam aduertendum, quod nomine naturæ intelligimus quandam inclinationem ad motum, & quietem intrinsecam, in quo sensu præscindimus, an debeat esse etiam principium actiuum, an sufficiat passiuum solum, an debeat habere talem proprietatem, sed solùm quærimus, an possit demonstrari ab effectu, quod detur à patibile, vt habet talem inclinationem ad motũ, quidquid sit, an illud motiæ, & debeat habere has, vel illas proprietates; hoc enim esset quærere diligenter quid, & quale sit hoc principium, quod appellamus naturam.

His positis. Dicendum videtur non posse à posteriori per effectum demonstrari naturam dari.

Probatur primo auctoritate Aristotelis, qui non solùm dicit esse ridiculum conari demonstrare naturam, quasi quia esset omninò superfluum ex eo, quod manifestum est dari naturam, ex hoc enim capite non sequeretur non posse demonstrari, cum sint multa ex se manifesta, quæ tamen possunt demonstrari aliunde per præmissas non includentes existentiam conclusionis, sed dicit etiam demonstrari non posse, quia demonstraretur per aliquod sibi ignotius.

Neque dicas posse probari notius per ignotius, dummodo in conclusione id, quod infertur, non se habeat tanquam notius, sed aliunde, quamuis enim hoc verum sit, imò ipse etiam Aristoteles in Logicis doceat dari regressum demonstrationum, per quem id quod aliunde notius est, probatur tamen per præmissas, quæ vt præmissæ

sunt

sunt, non præsupponunt notius id, quod probatur, tamen ex hoc ipso non debuisset Aristoteles dicere, hoc esse non posse, sed solùm non esse necesse. Bene enim intelligebat, si possent fieri præmissæ, quæ non continerent hanc conclusionem, ergo datur natura, posse fieri demonstrationem de existentia naturæ, licet esset superflua. Præterea affert exemplum, quod non possit cæcus disputare de coloribus impossibile autem est, quod cæcus naturaliter ex suis sensationibus cõcipiat colores, & per quid differant, nisi doceatur ab aliquo videnti, ergo etiam in casu nostro per Aristotelem implicat demonstrari, naturam existere. Secundo probatur, quia nullus est medius terminus, qui non constitueret præmissas continentes sub aliquo rudi conceptu ipsam conclusionem, qua concluditur naturam existere, sed ad demonstrationem, de qua disputamus requiritur medius terminus, qui non constituat tales præmissas, ergo nullus potest reperiri medius terminus ad demonstrandum naturam existere. Minor patet ex dictis, & ex præcepto Logicæ, quo dicitur in demonstratione debere nos procedere ex præmissis notioribus ad conclusionem ignotiorem, si ergo conclusio est naturam existere sub aliquo rudi conceptu, & hæc cognitio affirmativa iam habetur in præmissis, certè intellectus non progreditur ad hanc veritatem cognoscendam, sed potius ad illam cognoscendam sub his terminis, quàm sub illis. Maior, in qua est difficultas, probatur, quia medius terminus ad demonstrandam naturæ existentiam esset motus, sed per illum semper præmissæ includerent hanc affirmatiuam, existit natura sub aliquo conceptu, ergo non potest dari medius terminus aptus. Maior est certa, quia effectus naturæ est motus principaliter. Minor probatur, quia si sumatur motus præscindẽs à violento, & naturali, nihil infertur euidenter, nam talis motus posset esse sine principio inclinante ad illum, sin autem sumatur motus cum inclinatione mobilis ad ipsum, iam inuoluitur in vna præmissa, quod datur talis motus in mobili cum inclinatione mobilis, ergo in hac præmissa affirmatur existentia naturæ sub aliquo rudi conceptu, nam præmissæ essent motus cum inclinatione mobilis, arguit existentiam naturæ, datur talis motus, ergo datur signum certum quod existat natura, ecce in minori cognoscis, & affirmas, sub aliquo conceptu natura existerem, idem enim est realiter dicere, datur motus cum inclinatione mobilis, ac dicere datur motus & principium ipsius intrinsecum, ergo nullo medio termino potest à nobis demonstrari existentia naturæ.

Dices

Dices, fiat hic syllogismus, cum datur motus, & non ab extrinseco, datur natura, sed datur motus, & non ab extrinseco, ergo datur natura. In tali syllogismo sunt præmissæ notiores, & non inuoluunt conclusionem, ergo potest fieri bona demonstratio.

Respondeo, in minori affirmari sub aliquo conceptu naturam existere, idem est enim dicere, datur motus à principio non extrinseco, ac dicere datur motus à principio intrinseco, extrinsecū enim est, quod dicit negationem intrinseci, ergo non extrinsecum existēs, idem est formaliter, ac intrinsecum, sicuti aër non tenebrosus est aër illuminatus, & aër existens non illuminatus, est formaliter tenebrosus. Solum ergo fit mutatio in vocibus magis, & minus explicitis, quod non sufficit ad præsens negotium. In alijs demonstrationibus per effectum benè infertur existentia causæ, quia ipsa existentia effectus per se infert existentiam causæ, vt existit risibile, ergo existit rationale; at verò existentia motus non infert existentiam naturæ, nisi sumatur motus, vt naturalis, seu cum inclinatione mobilis, quod certè inuoluit existentiam naturę, quare syllogismus positus, non est demonstratio, de qua quærimus.

Dices secundo. Motus est notior sensibus, quàm natura, ergo potest esse medius terminus.

Respondeo, distinguo antecedens motus, vt naturalis, nego, motus simpliciter præscindens à naturali, & supernaturali, concedo, sed medius terminus deberet esse motus, vt naturalis, & nō motus præscindens.

Respondeo secundo, etiam dato antecedente, nego consequentiam, non enim sufficit, quod aliquid sit notius sensibus ad hoc, vt aliud demonstret, si illud aliud reddatur cognitum formaliter per ipsum, & sic natura redditur cognita per sensus cognoscentes motum, non autem per discursum; cognoscere autem aliud per sensus mediante alio, est cognoscere ex terminis, & vt loquitur S. Thom. est cognoscere per processum naturalem sine discursu, intellectus enim cognito accidente sine discursu cognoscit subsantiam, quare motus ad summum posset indicare naturam per processum naturalem non per discursum, & consequenter non vt medius terminus.

Dices tertio. Datur syllogismus demonstratiuus, qui non inuoluit conclusionem, ergo potest demonstrari natura. Antecedens probatur hoc syllogismo, si dantur plures, & plures mutationes, & quietes, datur saltem aliquod principium intrinsecum respectu alicuius illarum, sed de facto dantur plures, & plures mutationes, & quietes; ergo datur aliquod principium intrinsecum alicuius ex ipsis,

sis. Minor patet ex terminis, & non inuoluit existentiam naturæ, nec inclinationem mobilis, sed præscindit. Maior est conditionalis, & nihil affirmat de facto dari, ergo syllogismus hic benè probat dari naturam.

Respondeo, hunc syllogismum, vt bene demonstret eõclusionem debere inuoluere, dari naturam sub aliquo conceptu in minori, ratio est, quia in minori affirmas dari eas mutationes, & quietes, ex quibus in maiori positis sub conditione sequeretur dari principiũ intrinsecum alicuius illarum, sed illæ mutationes, & quietes in maiori sub conditione positæ debẽt concipi, vt mutationes, & quietes, cum inclinatione mobilis, & si præscindant ab hac inclinatione, maior non est certa, & euidens, ergo in minori affirmatur existentia naturæ. Quod in minori affirmes eas mutationes, & quietes, quas conditionatè posuisti in maiori, patet ex regulis bonæ argumentationis, aliter enim non poneretur idem medius terminus in eodem sensu, sicuti si dicas, si datur fumus, datur ignis, hìc datur fumus, ergo hìc datur ignis, in maiori loqueris de fumo tali, qui causatur ab igne, si ergo in minori intelligeres fumum causatum à niue, vel à fimo, certè mutas medium terminum, & argumentum nihil concludit. Quod autem in maiori nomine mutationum non possint venire mutationes præscindentes ab inclinatione mobilis, patet, quia maior esset dubia, & consequenter inutilis ad demonstrationem. Quod esset dubia clarum est, possunt enim dari plures, & plures mutationes ab extrinseco sine vlla inclinatione mobilis ad illas, ergo falsum est, vel certè dubium, quod si ponantur plures mutationes, & quietes, sequitur, quod debeat dari principium intrinsecum alicuius ex illis.

Respondebis esse congruum bonæ guburnationi, vt si dentur plures, & plures mutationes, & quietes, omnes non sint violentæ, sed aliqua ex illis sit cum inclinatione mobilis, hoc autem patet per se, sed contra est, quia iam ergo non præscindis in maiori ab eo, quod illæ mutationes sint iuxta bonam gubernationem vniuersi, si enim ab hoc præscindas, falsa est maior, nam si dicas, dantur plures mutationes, quæ præscindunt ab eo, quod sint iuxta bonam gubernationem vniuersi, vel non sint tales, dico, quod si ita præscindas, maior non est certa, possunt enim dari plures, & plures mutationes, quæ sint omnes violentæ, & non iuxta bonam gubernationem vniuersi, & consequenter, quæ non habeant vllum principium intrinsecum, sin autẽ ad hoc, vt sit certa maior, non præscindas ab eo, quod illæ mutationes sint iuxta inclinationem vniuersi, iam non præscin-

dis,

dis, quod illæ sint naturales, & cum inclinatione mobilis, ergo involuitur in illis conceptus saltem rudis naturæ; peto enim, quid sit esse mutationes, vt requirit bona gubernatio vniuersi, nisi esse tales, vt sint cum inclinatione mobilis?

Quod si omninò contendas esse mutationes iuxta bonam gubernationem vniuersi præscindere ab eo, quod sint iuxta inclinationem mobilis, Maior in hoc sensu est dubia, quia iam per te bona gubernatio vniuersi habetur præscindendo ab inclinatione mobilis, ergo non valet per te, si dantur plures mutationes iuxta bonam gubernationem vniuersi, quę bona gubernatio non importat per te inclinationē mobilis, sequitur, quod debeat dari aliquod principium inclinans ad aliquam mutationem ex illis. Ratio est, quam supra attulimus, quia propositio conditionalis debet habere conditionem, quæ sit connexa cum eo, quod sequitur ex ea, sed ex pluralitate mutationum præscindentium ab inclinatione mobilis, non sequitur debere dari naturam, ergo vt habeat vim propositio hæc conditionalis, debet inuolui in conditione motus cum inclinatione mobilis, quibuscunque tandem vocibus, ac terminis illa inclinatio explicetur. Semper itaque stat, quod in qualibet demonstratione de existentia naturæ, semper affirmatur in aliqua præmissa eiusdem existentia.

ARTICVLVS V.

Quid sit ars, & artificiale.

ARs est habitus intellectualis numeratus ab Aristotele 6. Ethicorum cap. 3. inter quinque habitus intellectus, quo intellectus, redditur promptior ad eliciendos actus directiuos operis, ipsi autem actus intellectus, qui dirigunt opus, sunt ars actualis, vnde valde impropriè loquuntur aliqui Recentiores, qui præcepta ipsa artis appellant in aliquo sensu instrumenta, instrumentum enim debet fieri ab aliqua arte, ergo ab aliquibus præceptis, sed præcepta, vt suppono, non fiunt ab alijs, ne detur processus in infinitum, sed immediatè procedunt ab habitu, ergo non possunt habere rationem instrumenti, & certè omnis habitus speculatiuus, facit cognitiones, quæ possunt deducere alias, nec tamen illæ cognitiones sunt instrumenta talis habitus speculatiui, nisi fortasse nomine instrumenti intelligas, quidquid causat aliud, quæ acceptio est im-

propria loquendo rigorosè de arte, & de facultatibus practicis.

Dari habitum intellectualem, qui sit ars, patet experientia, experimur enim facilitatem maiorem ad directionem alicuius operis faciendi ex frequenti operatione, vt cum aliquis dirigit manum ad scribendum, habet maiorem facilitatem post multos actus, quàm prius, quæ facilitas est ars.

Multa sunt, in quibus ars conuenit cum ipsa natura, quæ hic resentiuntur ab Aristotele. Primum, quod sicut agens naturale supponit materiam, sic etiam artifex eam supponit, & in varias reducit figuras. Secundo agens naturale facit effectus sibi similes, ignis enim producit ignem, sic etiam artifex producit effectus sibi similes, hoc est, quatenus habet ideam operis mente conceptam, per illam enim eamdem assimilatur operi, Tertio conueniunt in modo operandi, prius faciendo imperfectiora, deinde verò perfectiora, & in multis etiam alijs rationibus.

Differunt etiã in multis, primò formæ artificiales non sunt principium motus, sicuti formæ naturales, sed sunt veluti mortuæ. Secundo in ipsa arte non est principium primum, & per se motus, sicuti est in rebus naturalibus. Tertio ars sæpè agit, vt ars in externam materiam, natura verò semper in propriam. Quarto non concurrit ad substantiam productionis, sed solùm ad modum, natura enim causat motum in manu, sed ita modificatum, & attemperatum efficit ars, & aliæ etiam assignantur differentiæ.

Ars itaque non concurrit ad effectus suos immediatè, sed imperatiuè applicando actiua passiuis, & vtitur rerum naturis, sic applicando ignem rosis, extrahit aquam rosaceam, & componendo sulphur cum nitro, & carbone conficit puluerem tormentarium, cui, si applicetur ignis, facilè est incẽdium excitare, idem dico de quodlibet ente artificioso, licèt oppositum doceat P. Arriaga hic sectione 2. n. 9. Nam statua dicit talem dispositionem partium vbicatarum, hoc autem fit ab impulsu tali, qui naturaliter depellit à ligno tales partes, ita vt remaneat statua, non est autem minus naturaliter procedens à tali impulsu manus, & scalpelli talis figura in ligno, quàm procedat naturaliter ab igne sic attemperato aqua rosacea in campana lambicatoria, quare in hoc non differunt artefacta, licet aliqua requirant maiorem directionem ab vna, aliqua minorem. Quæstio est, an omnes effectus naturæ possint fieri ab arte, ad quam.

Respondeo, si ars posset applicare omnes causas requisitas ad effectus naturales procul dubio, posset omnes producere, sed multæ causæ

causæ non subiacent applicationi artis humanæ, multæ etiam ignorantur, quare plurimi sunt effectus naturales, qui per artis præcepta haberi non possint; talis effectus est auri confectio, de qua loquendo S. Thomas, Auerroes, Auicenna, Ægidius, & alij contendunt nō posse ab arte aurum confici. Alij vt Albertus Magnus Mirandulanus, Conimbricenses, Delrius asserunt posse confici, sed cum summa difficultate, adeo vt moraliter sit impossibile. Hæc secunda sententia magis placet, quia non apparet physica repugnantia, cur non possit ars ita applicare causas alicui materiæ, vt aurum producat, quod si hucusque ignoratur talis applicatio, certè Angelus, qui noluit productionem auri naturalem, & omnia, quæ requiruntur ad illam, posset dare præcepta de modo auri conficiendi, saltem non apparet in hoc repugnantia: cum etiam magi in Ægypto produxerint ope Dæmonis veros serpentes in conspectu Pharaonis, vt docet S. Augustinus, & alij.

Dices. Ad auri productionem requiritur calor solis, qui differt specie à calore ignis.

Respondeo primo, negando differre specie calorem Solis, & ignis, quod suo loco experimento probabimus.

Respondeo secūdo, licet differrent specie, tamen posset vnus præstare id, quod efficit alius, sicuti idem calor ignis differt specie iuxta hanc sententiam à calore vitali gallinæ, & tamen constat experientia, quod calore ignis in furno ex ouis pullulant pulli gallinacei, cur ergo non poterit præstare calor ignis id, quod efficit Sol, præsertim si attemperetur ab alijs concausis?

Verùm vt dicebam moraliter id euenire non potest, quia requiruntur tales causæ, & ita attemperatæ, vt eas pernoscere non possit moraliter loquendo humana sagacitas, hoc autem constat experientia, magnis enim, & diuturnis impensis nūquam scitur fuisse aurum confectum ab Alchimistis, vnde merito Ioannes 22. in extrauagante damnat hanc artem tanquam vanam, & quæ falsa spondeat, et certè tanto temporis decursu apud genus humanum auri auidissimum, mirum est non fuisse aurum confectum verè et realiter, sed solum per fraudes ingeniosas, et tandem detectas, si moraliter esset possibilis artificiosa auri confectio.

Quæres secundo. An ars possit facere aliquod quod natura non possit.

Respondeo negatiuè, quia ars nullo modo operatur nisi applicādo causas naturaliter factiuas operis, et ita nisi detur vis naturalis in causis applicatis, certè nihil faciet applicatio: verùm est tamen

quod

quod applicatio talis moraliter euenire non potest, et idcirco communiter dicimus, quod ars facit aliquid supra naturam, quia scilicet applicat causas, quæ naturaliter non applicarentur. Hinc sequitur Magiam simpliciter esse malam, quia facit aliquam applicationem causarum, quas, vel humana vis non potest applicare, vel certè nescit, adeoque ope dæmonum vtitur ad effectus suos præstandos, similiter præstigiatores damnandi sunt, si faciant effectus per concursum causarum, quæ non possint humanis viribus applicari, tunc enim talis applicatio prouenit a malo dæmone propter pactum initum cum præstigiatore, quod est maximè detestabile.

Quæres tertio. Ars instrumentaria quidnam debet habere pro obiecto attributionis, instrumentum ne, quod ipsa operatur, an opus, quod fit per instrumentū? Pro solutione quæstionis, aduertendum est instrumentum posse fieri dupliciter, primo præscindendo ab eo, quod sit instrumentum, et si hoc pacto fiat, ars sistit in illo, neque respicit vllo pacto tanquam finem id, quod fieri potest ab illo instrumento, sic v.g. mater educat filium, qui est instrumentum belli, seu victoriæ obtinendæ, quia tamen ipsa non intendit filium, vt instrumentum, sistit in illo; atque in tali casu ars non est instrumentaria formaliter, sed solum materialialiter: secundo fit instrumentum ab arte formaliter instrumentaria semper in ordine ad opus, quia instrumentum, vt instrumentum est ad aliquod ergo implicat facere instrumentum, quin ordinetur ad aliud tanquam ad opus.

Hinc patet, quod si implicaret opus, ars instrumentaria non faceret instrumentum, et ita implicante directione equi, implicaret ars instrumentaria de fræno faciendo tanquam de instrumento, quia cessaret tota ratio, cur faceret hoc, vt instrumentum.

Hoc posito. Respondeo ad quæstionem, quod illæ artes instrumentariæ, quæ dant præcepta de instrumento, non autem de opere per instrumentum faciendo, si ad illud requirantur alia præcepta, obiectum attributionis talis artis erit solùm instrumentum, quoties autem posito instrumento sinè alijs præceptis sequitur opus, tunc instrumentum non potest esse obiectum attributionis: prima pars responsionis probatur, quia illud opus est finis intrinsecus respectu artis, de qua habet præcepta sufficientia, tunc enim censetur esse opus illius artis; quando autem non dat præcepta sufficientia ad ipsum, tunc se habet, vt finis extrinsecus, respicitur enim tale opus ab arte instrumentaria, non vt factibile à se, sed ab alia arte, ita se habet directio equi respectu artis frænifactoriæ, et ideo assignatur

gnatur pro fine intrinseco talis artis solùm frænum, licet intendat eadem ars directionem equi, non quidem, vt factibilem a se, sed tamquam id, cuius gratia facit instrumentum. Probatur similiter secunda pars, quia nullum aliud potest assignari discrimen inter finem intrinsecum, & extrinsecum alicuius artis, nisi hoc, quod ille sit finis extrinsecus, qui licet intendatur ab arte, vt possibilis, non tamen intenditur, vt factibilis à se, sed vt factibilis ab alia arte per alia præcepta, quæ vtantur instrumento, quod est finis intrinsecus alterius artis, ille verò est finis intrinsecus, qui respicitur ab arte, vt factibilis à se per sua præcepta sine indigentia aliorum præceptorum. Ratio autem vltima huius discriminis est, quia appetere finem intrinsecum, est ita appetere, vt cõtineatur talis finis virtualiter intra præcepta artis, sed illud continetur virtualiter intra præcepta artis, respectu cuius præcepta habent adæquatam virtutem ad illum ponendum sine aliis præceptis, hoc enim videtur sonare finis intrinsecus, at finis extrinsecus est, qui non continetur in virtute alicuius artis. Nec sanè videtur assignari posse alius conceptus finis intrinseci, & extrinseci respectu artium.

QVAESTIO V.

De Causis in Communi.

ARTICVLVS I.

Assignantur variæ definitiones causæ.

CAusa aliquando accipitur in eadē significatione qua principium, patet hoc ex loquutione Græcorum, qui Patrem Æternum appellant causam filij, & Patrem, & Filium causam Spiritus Sancti. Ita loquitur Nazianzenus tract. 35. & alibi Athanasius in Actis Niceno Synodi, & alij PP. Græci, quos explicauit Concilium Florentinum sessione vltima accipiendo nomen causæ pro mero principio; ipse etiam Aristoteles, confundit aliquando causam cum principio, ait enim 4. metaphys. Causam, & principium esse inter se ficuti ens, & vnum. At verò communiter apud latinos tam Philosophos, quam Theologos, quamuis omnis causa sit principium, non tamen omne principium est causa, vnde S. Thomas cum

com-

communi sententia Theologorum prima parte, dicit in Diuinis Patrem non esse causam filij, sed solum principium, à quo filius generatur, principium autem definitur id, à quo aliquod quomodocunque procedit.

Loquendo ergo de ratione causæ vt contra distinctæ à ratione principij, difficillimum sanè est illam exactè assignare, adeo vt ipse Aristoteles, & hic, & in Metaphysicis, vbi agit ex professò de causis nullam apertè afferat definitionem causæ. Hìc enim capite 1. dicit causas esse illas, per quas satisfacimus interroganti propter quid res est, vbi particula, propter quid, idem sonat, ac quare, vel cur. Si enim petas, cur est ignis, respondetur, quia alius ignis, vel sol illum produxit, quia materia illius formam substentat, quia est aliquod bonum in natura, quia forma ignis est in materia: ecce respondemus per quatuor causas efficientem materialem, finalem, & formalem. Verum hæc definitio nihil vel parum explicat de natura, & essentia causæ, nam quærimus, quid sit esse tale, vt per illud possit responderi ad interrogationem, propter quid res est, in hoc enim est constituta ratio, & essentia causæ, quę certè difficillimam habet explicationem, ita vt non explicetur idem per idem.

Multæ sunt inuentæ causarum definitiones ab Auctoribus, quæ ferè in idem recidunt, nam Conimbricenses hìc cap. 3. quæst. 1. art. 1. Fonseca primo Metaphysices cap. 2. quæst. 2. & alij definiunt causam in communi esse id, à quo aliud per se pendet, quam definitionem approbat Suarez disp. 12. Metaphys. sect. 2. n. 6. sed ipse num 3. aliam dederat hoc pacto. Causa est principium per se influens esse in aliud, quam sequitur Hurtadus, & alij. Multi etiam recentiores definiunt causam esse principium, ex cuius virtute aliud accipit suum esse, quæ omnes, & similes definitiones idem ferè significant, nam illud, quod ab alio dependet per verum influxum debet accipere esse ab illo, quod esse continebatur in virtute illius, à quo accipit esse.

Verum licet hæ definitiones veræ sint, restat tamen adhuc maxima difficultas in explicando, quid est esse tale, vt aliud ab eo dependeat, seu esse tale, vt influat in aliud: in omni enim causa, vt actu causet, tria requiruntur, primum est id, à quo aliud pendet, vel profluit, et hoc primum dicitur causa in actu primo secundum est id, quod pendet, seu profluit, et dicitur effectus, tertium est ipsa dependentia, seu influxus, per quem vnum ab alio dependet, et profluit, quæ dependentia, seu influxus, debet distingui saltem formaliter ab eo, quod dependet, eadem etiam dependentia denominat id, à quo

eff-

Digitized by Google

effectus dependet, causam, & ipsum, quod dependet effectum. Difficultas ergo est videre, per quæ prædicata constituitur aliquid, ad hoc vt possit denominari causa, & id à quo profluit dependentia, & effectus dependens.

Dicunt aliqui esse causa, à qua aliud pendet, est se habere tanquam prius respectu alterius. Sed contrà est, quia restat adhuc integra difficultas, nam se habere tanquam prius, non potest accipi vniuersaliter vt prius tempore, quia Sol v.g. pro eo instanti pro quo primò fuit, simul produxit, vt vera causa lumen, ergo non semper debet esse prius tempore causa respectu effectus. Esse autem prius natura est æquè, & fortasse magis ignotum, quàm esse causam, quare indiget saltem æquali explicatione.

Pro solutione difficultatis aduertendum est. Maximum distinctiuum inter Deum, & Creaturas est, quod entitas Diuina essentialiter exigit existere, adeo vt eius negatio implicet cõtradictionem. Contra verò nulla entitas creata exigit essentialiter existere, imò de fide est iam definitum, quod nulla creatura de facto fuerit ab æterno, quare omnis creatura aliquando non fuit, ergo non exigit essentialiter existere, adeoque siue existat creatura, siue ipsius negatio, nihil sequitur absurdi. Talem autem essentialem imperfectionem entitatis creaturæ appellamus defectibilitatem intrinsecã essentialem cuicunque creaturæ, hæc autem defectibilitas non solùm est in ordine ad aliquod tempus, vel instans, sed in quolibet, & quocunque instanti, ac tempore, ita vt nulla creatura per suam entitatem exigat essentialiter existere pro aliquo instanti, adeout si pro eodem non existeret, sequeretur aliquod absurdum. Dixi per suam entitatem, quia posset necessariò existere pro aliquo tempore ex libera voluntate Dei, v.g. si Deus efficaciter vult solem existere hodie, sequeretur absurdum, si hodie non existeret, sed hoc nõ proueniret ex mera entitate solis, sed ex voluntate, & determinatione libera Diuinæ voluntatis, nos autem hìc loquimur præscindendo à libera Dei voluntate, sed solum spectata natura, & essentia creaturæ, quare quantum est ex natura creaturarum, omnes sunt essentialiter defectibiles pro quolibet instanti.

Ex hac defectibilitate entitatis creaturæ, sequitur quod quælibet creatura, quantum est ex sua entitate est indifferens, vt existat de facto, vel non existat pro quolibet instanti, pro quo potest existere, non enim habet aliquod prædicatum, quod essentialiter petat existere nunc, ita vt si nunc non existat, sequatur absurdum, quamuis enim aliquod ens creatum, nempe duratio, essentialiter exigat exi-

stere nunc, posito, quod debeat existere, tamen nō est illi essentiale existere nunc simpliciter, potest enim sine vllo absurdo, neq; nunc, neque vnquam existere. Præterea ex hac indifferentia, quam habet essentialiter quælibet creatura ad existendum modo explicato, oritur, quod nulla creatura possit hic, & nunc existere, nisi ab aliquo alio existente determinetur ad existendum, siue hoc determinans sit solus Deus, siue sit alia creatura simul existens cum Deo, quia necesse est semper, vt detur aliquid determinans creaturam ad existendum, & eam quasi extrahat ex nihilo, quare cum sol v.g. non habeat à se ipso, vt existat in instanti A, quia à se ipso potest nō existere, habet à Deo determinationem ad existendum.

Aduertendum est secundò. Aliquando multa esse ea, quæ determinant aliquid ad existendum, quæ multa diuerso modo se habent inter se, alia enim dicuntur causæ, aliæ conditiones necessariæ, v.g. vt existat naturaliter ignis in materia ligni præter Deum, vt auctorem naturæ requiritur aliquis ignis, vel aliquod agens productiuū ignis. Neque tamen hoc sufficit, nam posito igne in India, non determinatur alter ignis, vt existat in ligno existente Romæ, sed requiritur præterea approximatio ignis ad lignum, quæ approximatio dicitur conditio, quare esse determinatiuum ad existentiam alicuius rei, est quoddam prædicatum commune tam causæ, quàm conditioni, quia vtraque determinat effectum, licet diuerso modo, vt infra videbimus.

Ex his possumus explicare, quid sit conceptus causæ, simul, & cōditionis tanquam ratio vtrique communis, est enim ita se habere, vt determinet aliud, quod est indifferens ad existendum ad hoc, vt existat hic, & nunc: & in hac determinatione actiua, seu in hoc esse determinatiuo consistit essentia causæ, vel conditionis Præterea in hoc etiam esse determinatiuo consistit prioritas naturæ, seu causalitatis, ex eo enim, quod aliquid determinet aliud ad existendum hic & nunc, licet ambo simul tempore existant, tamen determinatiuum dicitur prius natura, quàm determinatum, quia omne determinatum videtur procedere à suo determinatiuo, & ita spectato naturæ ordine, incipiendum est prius à determinatiuo, quàm à determinato.

Explicatur secundò quo modo Verbum Diuinum procedat à Patre, & tamen non sit effectus Patris, neque Pater causa filij in sensu rigoroso latinorum, quia vt dixi modo, ad hoc, vt aliquod ens sit effectus, debet essentialiter esse indifferens, vt existat hic, & nunc, vel non existat. At Verbum Diuinum per suam met entitatem essentialiter

tialiter habet existere indiuisibiliter pro quolibet tempore imaginabili, est enim entitas essentialiter necessaria quoad existentiam, & æternam durationem diuinam. Quare licet Verbum Dei accipiat esse à Patre generante, tamen quia hoc esse accipit sine indifferentia ad existendum, sed cum omnimoda necessitate, dici non potest Pater Æternus causa, & effector filij.

Dicunt aliqui, Verbum non causari à Patre, quia in rigore non est aliud à Patre, sed idem cum eo. At licet hoc verissimum sit, posset tamen aliquis præcisè considerare Paternitatem Filij; Persona enim Patris est principium filiationis diuinæ, filiatio autem, quia realiter distinguitur à Paternitate, est alia respectu illius, quare præcisè per hoc posset dici causata à Paternitate, quod est absurdũ melius ergo, & magis à priori res explicatur modo supradicto.

Tertiò explicatur ratio à priori, cur effectus debeat realiter distingui à sua causa, itaut sit impossibile, quod idem causet se ipsum, ratio autem est, quia si quid esset causa sui ipsius, determinaret per suam existẽtiam ipsammet suam existentiam, ergo non esset indifferens ad existendum hìc, & nunc, quia iam esset determinatiuum, & per consequens esset etiam determinatum, implicat enim esse determinatiuum, & non esse determinatum, ergo si eadem entitas esset determinatiuum sui ipsius, non esset illa eadem indifferens ad existendum hìc, & nunc, & non existendum, quod est contra essentiam creaturæ.

Explicatur quartò. Quomodo se habeat influxus causæ in effectum, qui influxus est idem, ac dependentia, per quam effectus à causa pendet, cum enim res debeat determinari, vt nunc existat debet dari, & determinans, quod est causa, et determinatum ad existendum, quod est effectus, et ipsa formalis determinatio, quæ est influxus in effectum, seu sub alia voce, est dependentia, per quam effectus determinatur à causa, ipsa autem determinatio non indiget alia determinatione, ne detur processus in infinitum, vt suo loco dicemus agentes de actione.

Quintò explicatur, cur effectus dicatur contineri in virtute causæ, et omnis causa adæquata debeat saltem esse æquè perfecta ac effectus; non autem minus. Ratio autem est, quia esse determinatiuum alicuius ad existendum est prædicatum intrinsecum in causa adæquata. debet ergo hoc prædicatum limitari iuxta perfectionem entitatis causæ, non ergo potest esse determinatiuum, nisi iuxta mensuram perfectionis, quam habet ipsum determinatiuum, quare si perfectio determinatiui non est tanta, quanta est perfectio

alicuius rei certè respectu illius rei non se potest habere, vt determinatiuum, quia mensura illius perfectionis determinatiui non adæquat perfectionem rei determinandæ, ex quo sequitur, quod omnis causa adæquata debeat habere perfectionem, vel maiorem, vel certè æqualem effectui. Dixi de causa adæquata, nam causa inadæquata, vel instrumentalis, quia non est adæquatum determinatiuum non debet habere adæquatam mensuram perfectionis, à qua limitetur, sed potest habere perfectionem etiam minorem, quàm effectus, qui tamen defectus perfectionis recompensetur ab altera concausa, quæ facit vnam adæquatam causam simul cum alia inadæquata concausa.

Sextò. Explicatur, quomodo ex effectibus veniatur tandem in cognitionem primæ causæ, nempe Dei, nam in sententia Aristotelis, et Antiquorum, qui principia fidei ignorãtes ponebant productiones rerum ab æterno, itaut vna res causaretur ab alia, et hæc ab alia, et sic in infinitum, itaut prima non possit inueniri, quia in infinito non datur primum; In hac, inquam, sententia videtur difficile, quo modo ex processu effectuum veniatur in cognitionem Dei, nam posset semper responderi, quod A dependet a B, et a C, et sic in infinitum sine vllo principio, tamen posita nostra explicatione apparet satis bona ratio cognoscendi Deum, quia iste processus rerum, etiam posito, quod fuerit ab æterno, debuit in hac falsa suppositione ita profluere ab æterno, vt quoniam singulæ res poterant non esse, potuerit totus ille processus etiam non profluere ab æterno, ergo debuit dari prima causa, quę determinauerit hanc successionem æternam productionum, bene ergo probatur ab indifferentia creaturæ ad existendum, et non existendum causa determinans totam seriem, etiam si æterna ponatur, quæ causa debet esse ex se, et non potest determinari ab alia causa, ergo debuit dari prima causa.

Verùm licet hæc explicatio causæ, et conditionis sit vera, adhuc tamen nos latet, in quo sita sit essentia determinatiui; si quis enim à nobis petat, quid est esse determinatiuum alterius, seu habere vim determinandi aliud ad existendum, non habemus, quid respondeamus, nisi excogitemus aliquam aliam declarationem determinatiui, quare de hoc distinctius agendum est.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Quid sit esse prius natura iuxta varias sententias.

ARistoteles tam in Prædicamentis capite de priori, quam in 5. Methaphys. cap. 11. varios assignat modos, quibus aliquid prius alio dici possit. Primò dici potest prius tempore, secundò prius loco, quando quid est vicinius alicui determinato loco, tertiò prius ordine, vt numeratione, quod prius designamus, dicitur prius, quartò in honoris prærogatiua, ita honorabiliores, & qui aliorum curam gerunt, ab aliquibus appellãtur Priores, quintò in cognitione, ea nempe, quæ facilius cognoscuntur, dicuntur priora, & magis vniuersalia dicuntur etiam priora, sextò in quibus valet subsistendi consequentia, hoc est, quæ inferuntur ab alijs, sed alia non inferuntur ab ipsis, sic vnitas est prior numero, quia valet inferre: dantur duo, vel tria &c. ergo datur vnum, non autem è contrario, datur vnum, ergo dantur plura, septimò prius natura, seu substantia, nempe quod potest esse sine alio, sed hoc aliud non potest esse sine illo. Hunc septimum modum prioritatis naturæ non satis explicat Aristoteles nõ enim declarat, an prius natura sit illud, quod realiter potest existere sine alio, quod est posterius, an solum præcisiuè, quod nimirum ad concipiendum, quod illud, quod est prius existat, non debeat concipi id, quod est posterius. Primum autem videtur apertè falsum, nam substantia non potest existere sine aliquo accidente, & tamen eam ponit Aristoteles priorem natura accidente. Secundum patitur graues difficultates, vt infra videbimus.

Loquendo autem de prioritate naturæ in eo sensu, in quo accipitur communiter pro sola prioritate causalitatis, hoc est pro essentia determinatiui ad existentiam alterius, variæ afferuntur ab auctoribus explicationes. Prima explicatio est aliquorum recentiorum, qui dicunt, esse determinatiuum existentiæ alterius, & prius natura, seu causalitate consistit in hoc, quod res aliqua sit talis, vt si ipsa non existeret, neque existeret alia, quare explicant rationem causalitatis, per hanc propositionem conditionalem. Verum hæc sententia, vt iacet, multas habet, & graues difficultates: nam in primis est argumentum deductum ex mysterio Sanctissimæ Trinitatis, in quo valet dicere. Si non esset Pater non esset filius, & tamen Pater non est prius natura, & causalitate respectu filij: Similiter si

non

non esset filius, non esset Pater, & tamen nullam habet prioritatem filius respectu Patris. Neque recurras ad indefectibilitatem Diuinæ entitatis: nam contra est, quia si semel verificatur conditionalis propositio in entitate indefectibili, non potest habere vim inferendi causalitatem, si enim haberet hanc vim formaliter, vbicunque reperitur, verificaretur formaliter prioritas causalitatis.

Præterea loquendo de creatis, non possumus negare multa esse ita connexa inter se, vt vnum sine alio esse non possit, quæ tamen non sunt sibi causæ ad inuicem, quamuis valeat dicere, si hoc non esset, neque esset illud, ergo ratio prioritatis causæ non consistit in hoc. Antecedens probatur multis exemplis. Primò in homine, flebilitas, & risibilitas sunt ita connexæ, vt vna sine alia esse non possit, & tamen neutra est causa alterius, sic rationalitas non potest esse sine risibilitate, & tamen risibilitas non est prior, sed posterior rationalitate. Secundò quælibet res sine aliqua vbicatione saltem naturaliter esse non potest, & tamen vbicatio non est prior re vbicata in omnium ferè sententia, neque determinat rem ad existendum, sed potius determinatur ab existentia rei. Tertiò duæ relationes v.g. duæ similitudines per Aristotelem, & omnes communiter sunt simul natura, & tamen vna sine altera esse non potest, neque de potentia Dei absoluta. Quartò sit lapis vnius libræ in vna lance, & lapis eiusdem ponderis in altera lance, addatur deinde alius lapis, vnius etiam libræ in altera lance, certè illi duo lapides simul descendent, in hoc casu sunt duo motus descensus, alter in vno lapide alter in altero, qui motus causantur à grauitate vtriusque lapidis indiuisibiliter acceptæ, & non causantur ab inuicem inter se, nec vnus motus est prior alio, & tamen valet propositio conditionalis in his circumstantijs, si non esset motus huius lapidis non esset motus alterius, ergo prioritas non consistit in hoc. Quintò causa libera vltimò completa, debet semper facere aliquem actum positiuum, vel volitionis, vel nolitionis, vel certium actum, quo neque velit, neque nolit, & tamen hi tres actus etiam disiunctiuè accepti non sunt priores respectu potentiæ liberæ vltimò completæ, neque vllo pacto illam determinant, quamuis verificetur, si non esset hic, & nunc, vel volitio, vel nolitio, vel tertius actus prædictus, mea voluntas non esset vltimò completa, ergo ex propositione conditionali non certè infertur, quod res sine qua alia esse non possit, sit prior natura. Sextò quando liberè moueo manum v. g. nisi esset actus efficax, quo volo mouere manum, non esset motus magnus, & nisi esset motus manus hic, & nunc, vbi nullum est impedimentum, non

esset

esset actus efficax, & tamen manus mota non est prior natura actu efficaci, sed potius posterior. Ex his, & alijs multis instantijs, quæ possunt excogitari, satis videtur probatum, quod ratio determinatiui, & causæ, seu conditionis non consistit in eo, quod si hoc non esset, non esset illud.

Secundò. Impugnatur eadem sententia, quia in sententia probabili potest idem effectus procedere à duplici causa adæquata, itaut etiam si vna causa non esset, tamen esset ille effectus ex vi alterius; in tali ergo sententia non posset explicari ratio causæ, quia iam non esset id, sine quo res esse non potest, ergo male, & sine fundamento assumitur hæc explicatio, quæ repugnat cum probabili sententia, in qua saltem de potentia Dei absoluta nulla apparet manifesta contradictio, vt suo loco examinabimus.

Tertiò. Impugnatur, quia hæc explicatio confundit duo prædicata, nempe aliqua duo esse connexa, & vnum ex illis esse causam alterius, quæ prædicata valde differunt, vel enim ex eo quod duo sint connexa, sequitur præcisè propter rationem connexionis, quod sint sibi ad inuicem causæ, vel non. Si dicas secundum, ergo ratio causæ, et prioritatis non consistit in hoc, quod vnum sit cum altero connexum, quæ solùm connexio explicatur per propositionem cõditionalem. Si primum contra est, quia datur summa connexio inter personam Patris, et filij in Diuinis, et tamen nulla datur prioritas filij respectu Patris, ergo ex mera cõnexione malè infertur prioritas naturæ, quia potest dari connexio sine prioritate, quæ connexio etiam explicatur per propositionem cõditionalem, ergo propositio conditionalis solum explicat meram connexionem, et præscindit, an talis connexio proueniat ex causalitate, an ex aliqua alia perfectione, et exigentia.

Quartò. Impugnatur ex doctrina Concilij Tridentini sess. 6. cap. 11. vbi sic habet: Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur, ex quibus verbis clarè infertur ablationem gratiæ non esse priorem peccato, aliter contra Concilium verificaretur, quod homo peccaret, quia Deus illum gratia priuaret, et tamen vt habetur in eadem sessione cap. 15. peccatum est necessariò connexum cum priuatione gratiæ, itaut valeat dicere, nisi esset priuatio gratiæ, non esset peccatum, ergo ex eo, quod possit fieri talis propositio conditionalis, non potest inferri, quod sit prius natura illud, sine quo aliud esse non potest, cum sine priuatione gratiæ peccatum esse non possit, et tamen priuatio gratiæ sit posterior peccato ex doctrina Concilij.

De-

Denique in omnium sententia debet dari agens vltimò determinatum ad quod necessariò sequitur effectus, et influxus, seu causalitas, per quam causet effectum, loquendo ergo de hoc agente, debet verificari, quod si est determinatum, sequitur effectus, et si sequitur effectus est vltimò determinatum, si non sequitur effectus non est vltimò determinatum; vnde est optima consequentia, in hoc instanti non est talis effectus, ergo in hoc instanti non est agens vltimò determinatum, et tamen agens vltimo determinatum in omnium sententia est prius effectu, quo pacto ergo potest consistere prioritas causalitatis in eo, quod si hoc non esset, non esset illud quando ex connexione necessaria effectus cum causa vltimo determinata valeat bene cõsequentia tam ex suppositione causæ vltimo determinatæ, quod detur effectus, quàm ex positione effectus, quod detur causa vltimo determinata? quare nisi alia superaddatur explicatio, nihil hìc habemus bonæ explicationis.

Secunda sententia est Arriagæ disp. 7. in physicam sect. 7. videtur etiam esse sententia P. Hurtadi disp. 8. et aliorum, dicit autem hæc sententia rationem prioris, seu determinatiui consistere in eo, quod prius natura possit concipi existere præscindendo ab existentia effectus, at verò effectus, seu id, quod est posterius natura, non possit concipi existere sine eo, quod se habet vt prius, v.g. Sol est prius natura lumine à se producto, quia ad hoc, vt concipiam Solem actu existentem, necesse non est concipere lumen existens, at verò vt cõcipiam lumen existens, debeo concipere Solem existentem. Et rationem assignant, quia omnis res creata essentialiter habet existere ab aliqua causa, quare non potest concipi adæquatè vt existens, quin concipiantur causæ, à quibus accipit existere, hoc est à quibus determinatur ad existendum, et ideo non potest concipi lumen existens, quin eius causæ concipiantur, inter quas est Sol: contra verò cum Sol non sit effectus luminis, potest concipi vt existens præscindendo à lumine.

Hæc explicatio, neque est sufficiens, primò quia si loquamur naturaliter, tam requiritur conceptus luminis existentis ad concipiẽdum solem existentem, quàm conceptus solis existentis ad concipiendum lumen existens, ergo non consistit in hoc prioritas. Antecedens probatur quia si concipio adæquatè solem existentem in Cælo naturaliter debeo concipere illum causantem lumen in aëre, seu exigentiam, quam habet sol, vt sit existens lumen, tam enim est necessarium naturaliter, vt ad existentiam solis, et aëris existat lumen, quàm vt ad existentiam huius luminis existat Sol, et aër, quia neu-

neutrum esse non potest sine miraculo. Si verò loquamur supernaturaliter tam potest existere hoc lumen sine hoc Sole, quam hic Sol sine hoc lumine, ergo possum vtrumque seorsim concipere existens, præscindendo ab existentia alterius

Dices cum Arriaga: licet hic effectus possit intelligi existens sine hac causa, & hæc causa sine hoc effectu, tamen non potest intelligi effectus existens sine aliqua causa, nec de potentia Dei absoluta, at potest intelligi hæc causa in actu primo sine vllo effectu per miraculum Dei; Sed contra est primò quia creatura non potest esse sine aliqua vbicatione, & tamen est causa, vel saltem conditio ipsius. Secundò licet vera esset hæc doctrina, non tamen soluit difficultatem; Quærimus enim, quid sit esse priorem causa respectu effectus; & effectum posteriorem respectu suæ causæ; ponamus Solem de facto causare lumen, certè lumen est de facto posterius Sole, & Sol prior; per quid lumen est posterius in tua sententia? quia non potest concipi existens sine Sole, qui est de facto causa ipsius, sed hoc est falsum; potest enim hoc lumen non pendere à Sole, datur enim de facto talis potentia in Deo, & talis potentia passiua in lumine, etiam in casu, in quo pendet à Sole, vt ab eo non pendeat, sicut qui sedet habet simul potentiam ad non sedendum, non quidem potentiam simultatis, vt sedeat, & simul non sedeat, sed simultatem potentiæ, nempe vt possit sedere, & possit ambulare; similiter datur simultas potentiæ in lumine pendente à Sole, vt ab eo non pendeat, sed ab alio, licet non detur potentia simultatis, vt ab eo pendeat, & simul non pendeat, si ergo habet lumen potentiam simul cum Deo, vt nō pendeat à Sole, etiam quando pendet, cur non potest non concipi sine vllo absurdo non pendens à Sole, cum possibile hoc sit? quare per hoc præcisè non habetur ratio posterioris.

Neque vrget, quòd lumen essentialiter exigat aliquam causam, at Sol non essentialiter exigat producere lumen, vel aliquem effectum, exigentia enim substantialis alicuius non facit rationem posterioris, actio enim essentialiter exigit determinatè hunc terminum, & tamen nō est posterior termino, ergo multo minus per hoc erit posterior effectus respectu suæ causæ, quia exigit aliquam causam indeterminatè, siue sit hæc, siue alia. Fateor quidem, quod si lumen de facto sit à Sole, est posterius illo, & pendens ab eo, sed quę rimus per quid habeat hoc, quod de facto habet respectu Solis, & non habet respectu alterius; certè hoc non habet per hoc solum, quod non possit adæquatè concipi, quin concipiatur essentialiter exigens aliquam entitatem sui determinatiham, per hoc enim non

magis connectitur cum Sole, quàm cum qualibet alia causa possibili illius, respectu cuius de facto non est posterius, ergo per hoc precisè nō intelligeretur lumen de facto posterius Sole; intelligetur enim de facto posterius respectu omnium causarum, à quibus potest pendere, quod est apertè falsum.

Secundò quia loquendo de causa necessaria certum videtur esse, apud omnes, quod effectus necessariò sequatur ad causam determinatam, & vltimò completam. Loquendo ergo de tali causa: non potest concipi, vt determinata, & completa vltimò, quin concipiatur existens pro eodem instanti ipsemet effectus, est enim essentiale causæ, & determinatiuo, prout vltimò completo, vt simul habeat existentem effectum, sed hoc determinatiuum, vt vltimò completum, est prius natura effectu, cum sit determinatiuum illius, ergo non bene explicatur ratio prioris ex eo, quod possit concipi existēs præscindendo ab existentia posterioris.

Dices cum Arriaga. Causa necessaria determinata est causa, & ipsa actio, seu influxus per quem producit effectum; causa autem simul cum influxu non est prior effectu prioritate naturæ in quo, sed prioritate originis, quæ dicitur prioritas à quo, est enim causa in actu secundo considerata, & non in actu primo, causa autem est prior prioritate naturæ solùm in actu primo accepta. Ad hanc doctrinam melius intelligendam, quæ valde necessaria est in hac materia, Aduertendum est, quod tria, vt supradiximus, requiruntur ad hoc, vt fiat aliquid; entitas causæ, entitas effectus, & entitas factionis, seu concursus, per quem fit effectus, qui concursus aliquando non distinguitur ab ipso effectu, vt euenit in actibus voluntatis, & operationibus vitalibus, quæ non fiunt per influxum distinctum ab ipsis, vt suo loco probabimus. Porrò factio, seu concursus, qui est intermedius inter causam, & effectum, est quidam modus essentialiter exigens per suam entitatem tam existentiam causæ, quàm existentiam effectus, nec potest esse de potentia Dei absoluta sine illis. Ex his tribus entitatibus, entitas causæ cum reliquis cōditionibus dicitur causa in actu primo proximo, ad quam sequitur concursus, & effectus. Entitas autem causæ simul cum ipso concursu dicitur causa in actu secundo, & determinatur formaliter ab eo, per quod producit effectum, nempe ab ipso influxu, causa enim in actu secundo est causa actu influens.

Dicit ergo hæc sententia, quod si accipiatur causa in actu primo potest esse sine effectu, & ideo est prior natura, si verò accipiatur in actu secundo non potest esse neque de potentia Dei absoluta sine effe-

effectu, & ideo nõ est prior natura, sed solùm origine: quod autem causa in actu primo accepta possit esse sine effectu, saltem de potẽtia Dei, probatur, quia ad hoc, vt causa causet debet esse volitio Dei concurrendi cum causa ad effectum, à quo volitione completur vltimò causa, & determinatur ad causandum: hæc autem volitio Dei completur extrinsecè per ipsum concursum iuxta probabiliorem sententiam, adeoq; antecedenter ad hunc concursum nõ est adhuc, nec intelligitur hæc volitio Dei concurrendi, quæ terminatur per ipsum concursum, vt docent P. Vasquez disp. 99. c. 7. & P. Arrubal 1. par. disp. 65. & communiter doctissimi recentiores, loquendo de causa necessaria non de libera: si ergo antecedenter ad Diuinam volitionem determinantem effectum, effectus posset non esse, etiam causa in actu primo posset à Deo conseruari sine effectu

Verum licet hæc doctrina ex parte vera sit, quod scilicet Deus possit determinare causam necessariam per ipsum actum secundum, seu concursum, & factionem rei, quæ fit, tamen potest etiam Deus antecedenter ad concursum decernere se concursurum cum causa necessaria per aliam antecedentem volitionem non terminatam ad ipsum concursum, sed ad conseruationem ipsius causæ, potest enim Deus conseruare Solem in hoc instanti per volitionem efficacem, qua intendat productionem luminis à Sole, sicuti possumus etiam nos, priusquam aliquid velimus, facere actum antecedentem, quo velimus nostrum subsequentem, sicuti multoties volumus amare Deum, in quo casu hæc volitio non est amor Dei, sed volitio amoris; cur ergo Deus non potest per decretum antecedens determinare se concursurum cum causa secunda ad talem effectum? Imo probabile est ita semper fieri, quia Deus conseruat quamlibet rem operatiuam in ordine ad operandum, & cum efficaci intentione, vt operetur suos effectus naturales, quando non vult facere miraculum, ergo probabile est, quod per ipsam conseruationem, qua Deus conseruat causam necessariam velit determinatè hunc effectum, & hunc concursum ad ipsum effectum. In tali ergo casu, hęc causa necessaria antecedenter ad omnem influxum, & actum secundum habet aliquid, per quod essentialiter exigat talem cõcursum, & talem effectum, ergo implicat, quod existat sine tali concursu, & effectu, imo neque potest intelligi existens, quin simul intelligatur existens pro eodem instanti effectus, & tamen est prius natura effectu, ergo mala est explicatio prioritatis naturæ huius sententiæ.

Tertiò impugnatur quia loquendo de ipso concursu certum est,

quod concursus se habeat aliquo modo prius effectu, quia est vltima determinatio efficientis ad existentiam effectus, ergo restat adhuc explicanda hæc prioritas à quo; peto enim cur potius dicitur prius prioritate à quo ipse concursus, hoc est actio productiua effectus, & non potius dicitur prius à quo ipse effectus? tam enim est essentialis vni existentia alteri us, quàm alteri, ergo aliunde est explicanda ratio prioritatis.

Tertia sententia est P. Suarij disp. 27. Metaphysic. sect. 2. nempe rationem prioritatis, & determinatiui consistere in quadam præsuppositione, quod nimirum aliquid præsupponatur ad aliud, sed hoc ferè nihil explicat, nam idem formaliter est prius, & præsupponi, particula enim, præ, hic significat prius, ergo explicas rem esse prius altera, eo quod supponatur prius, quare restat quærendum in quo consistat hoc præsupponi, seu prius supponi ad aliud, quod sequitur. Aliqui explicant hanc præsuppositionem dicentes consistere in eo, quod aliqua existentia præmoueat Deum ad concurrendum cum illa ad positionem effectus: cum enim Deus, vt Auctor naturæ decreuerit concurrere cum suis creaturis iuxta illarum exigentiam, nisi velit facere miraculum supernaturaliter, quod prohibito suo semper potest, debet determinari ab aliqua creatura ad hoc, vt producat aliquem effectum naturalem. Huiusmodi autem determinatio non consistit in alio, nisi in hoc, quod Deus videat aliquam entitatem existentem, quæ sua natura exigat existentiam effectus, à qua præuisione Deus determinatur ad ponendum illum effectum, in hac ergo præuisione, seu prænotione Diuinæ voluntatis consistit prioritas naturæ, & determinatiui: existere enim talem rem, quæ ex eo, quod videatur existens, moueat Deũ ad cooperandum secum, est præsupponi ad id, quod producitur à tali causa.

Hæc explicatio certè vera est, & quæ potest bene applicari tam causæ, quam causalitati, nam licet in instanti A v.g. Deus videat hæc tria existentia, nempè entitatem Solis, entitatem luminis, & entitatem concursus, seu causalitatis, qua producatur lumen, tamen ab aliquibus ex his entitatibus determinatur ad alias; ex eo enim, quod videat solem existentem cum tali conseruatione, mouetur ad ponendam hanc causalitatem, ex eo, quod videat solem, & hanc causalitatem mouetur ad ponendum hoc lumen: at verò ex eo, quod videat hoc lumen non mouetur ad ponendum solem, nec ad ponendam causalitatem luminis, ergo verè dantur à parte rei entitates existentes, quę per suam existentiam, eò quod videantur à Deo mo-

Digitized by Google

moueant illum ad ponendam existentiam effectus, quare in hoc potest consistere ratio prioritatis naturæ: Quę bene etiam applicatur causis liberis: licet enim Deus à causa libera in actu completo non moueatur magis ad ponẽdam volitionem, nolitionem, vel tertium actum, tamen præmouetur ad vnum ex his disiunctiuè, quod sufficit ad rationem prioris. Sic etiam si non datur series effectuum, vt puto probabilius, causa secunda necessaria determinat Deum ad speciem, v. g. ad aliquod lumen, siue hoc, siue illud, quod sufficit ad rationem prioris.

Verum hæc explicatio neq; videtur sufficiens, nam esse prius respectu alterius explicatur per esse præmouens Deum ad operandũ; adhuc restat explicandum quid est esse determinatiuum alterius, solum enim per hanc explicationem habemus, quod esse prius, & determinatiuum existentię alterius est esse premotiuum, hoc est, esse determinatiuum causæ vniuersalis, nempe Dei ad determinandam existentiam alterius, quod sanè non fugit difficultatem in explicando, quid sit esse determinatiuum, seu præmotiuum. Sit exemplum; si vellem explicare, quid sit, vnum equum esse determinatiuũ motus alicuius currus, & explicarem per hoc, quod vnus equus determinaret alium ad determinandam existentiam motus, non bene explicarem, quid sit esse determinatiuum motus per esse determinatiuum alterius equi ad ponendum motum. Sic etiam si explicarem, quid sit speciem albedinis determinare existẽtiam visionis albi per hoc, quod species determinat oculum ad ponendam visionẽ, verum sanè dicerem, sed adhuc restaret explicandum, quid sit speciem determinare oculum ad visionem ponendam. Pari modo in casu nostro sol determinat lumen vt existat. Ad hoc, vt explicetur quid sit esse determinatiuum luminis, vt existat, dicitur, quod sol per suam existentiam est determinatiuum diuinæ voluntatis, vt simul cum ipso sole ponat lucem, quare semper restat explicandum, quid sit hoc determinare per suam existentiam. Præterea causa præmouet Deum, vt velit effectũ procedentem non à solo Deo, sed etiam ab ipsa causa creata, adeoque restat explicare, quid sit, effectũ procedere à causa creata simul, & Deo, de hoc enim fit quæstio, nẽpe quid sit procedere effectũ à causa, quod alijs vocibus est, quid sit effectum determinari ad existendum à causa, quare nulla debet afferri explicatio, in qua supponatur tãquam cognitum quid sit procedere, poni, determinari, & produci à causa.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

Explicatur in quo consistat Prioritas Naturæ.

EX dictis apparet difficultas in explicanda prioritate naturæ, semper enim enim vel explicatur per ignotius, vel per æquè notum. Non discedendo tamen à modo loquendi P. Suarij supra-citati, bene dici potest, quod ratio prioritatis, & causæ consistat in præsuppositione vnius respectu alterius, quod confirmatur auctoritate S. Basilij lib. 2. contra Eunomium, vbi loquens de causa, & effectu hæc habet; Quo nam igitur pacto rationabile est ordinem in his negare, in quibus, est prius, & posterius, non positione nostra, sed naturali quadam consecutione? oportet tamen explicare, quid sit præsuppositio causæ respectu effectus, & consequutio effectus respectu causæ.

Pro hac explicatione aduertendum est primò: determinatiuum esse nomen concretum à re, quæ determinat tanquam à subiecto, & à virtute ponendi determinationem tanquam à forma, sicuti visiuum importat subiectum habens vim producendi visionem, at verò determinans est concretum ex re, quæ determinat tanquam ex subiecto, & ex ipsa determinatione tanquam ex forma, sicuti videns est subiectum habens visionem, vnde differunt determinatiuum, & determinans, quia determinatiuum est illud, vnde prouenit forma, nempe determinatio, à qua appellatur determinans. Determinatum est etiam concretum constans ex re quæ determinatur tanquã ex subiecto, & ex ipsa determinatione tanquam ex forma, sicuti visum constat ex re, quæ videtur, & ex visione tanquam forma denominatur. Hinc est, quod determinatiuum propriè conueniat soli actui primo, & non actui secundo, determinatiuum enim prout in actu secundo dici potius debet determinans, adeòque determinatiuum propriè, & in rigore est causa cum suis conditionibus in actu primo accepta, hoc est præscindendo ab actione, à qua formaliter ponitur effectus, quod si accipiatur simul cum actione, iam est determinatiuum in actu secundo, hoc est determinans.

Aduertendum secundo. Duplicem posse dari determinationem, alteram liberam, alteram necessariam, & similiter duplex determinatiuum, alterum, quod sit ad determinationem liberam, alterum quod sit ad determinationem necessariam. Determinatio libera

est

Digitized by Google

est illa, quæ posito toto, & adæquato determinatiuo, tamen potest adhuc non esse v.g. actus liber voluntatis, quo Petrus peccat in instanti A, est quidem determinatio, per quam formaliter Petrus se determinat ad peccandum, sed talis actus, ita est in se, vt posito toto determinatiuo adæquato, quod de facto datur in instanti A, in quo Petrus peccat, tamen posset non esse ille actus peccati in præsentia talis determinatiui, aliter enim si posito tali determinatiuo, non posset non existere ille actus, certè non esset actus liber, neque peccatum. Quod si petas: tale determinatiuum in instanti A, cur potius producit talem determinationem, & non aliam, quandoquidem potest producere aliam in eodem instanti?

Respondemus, quia est liberum determinatiuum, de cuius essentia est, vt non sit necessitas vlla, cur hanc potius determinationem producat, quam aliam, quare assignato libero determinatiuo adæquato cum omnibus conditionibus requisitis, nihil aliud requiritur ad hoc, vt sequatur, vel actus volitionis, vel actus nolitionis, vel alius tertius actus, quando se nolit determinare ad nolendũ, vel volendum illud obiectum. Contra verò determinatio necessaria est, illa, quæ necessariò sequitur posito adæquato determinatiuo, itaut implicet contradictionem non sequi illam; sic posito sole, & decreto Dei de producendo tali lumine hìc, & nunc per talem actionem, actio illa, seu influxus, per quem producitur lumen, est determinatio necessaria, quia non potest non sequi posito illo determinatiuo adæquato. Similiter illud determinatiuum est necessarium in ordine ad ponendam illam actionem, quia eo posito debet necessariò existere ea actio.

Aduertendum tertiò aliquando vnam determinationem, quæ in se est libera, & procedit à libero determinatiuo posse esse determinatiuum alterius determinationis, quæ sit in se necessaria, atque ita euenit, quando facimus actum voluntatis efficacem, quo imperamus alium actum, v g. quando quis efficaciter vult mouere manum, motus ille manus est determinatio necessaria in se, quia posita potentia motiua non impedita, & tali actu voluntatis humanæ, efficaciter volentis illum motum simul cum voluntate Diuina, non potest ad tale determinatiuum non sequi motus ille manus. At verò illa volitio voluntatis humanæ, quæ se habet vt determinatiuum respectu motus, qui est determinatio necessaria, fuit in se determinatio libera. Quia quando homo libere vult mouere manum, facit illum actum voluntatis liberè, ita vt existente toto illo determinatiuo adæquato illius volitionis, tamen ipsa volitio potuisset non

sequi

ſequi nolitio quare licet motus manus neceſſariò ſequatur, poſita volitione libera ſe habet, vt determinatiuum reſpectu motus, tamē ipſa volitio eſt libera determinatio reſpectu ſui adæquati determinatiui, à quo procedit. Dicitur ergo motus manus eſſe liber non quidem in ſe ipſo, ſed per denominationem extrinſecam à determinatione libera, à qua procedit, neque dicitur immediatè liber motus, ſed mediatè, immediatè autem, & in ſe conſideratus eſt neceſſarius.

Aduertendum quartò quod cum omnis creatura liberè pendeat à voluntate Dei, vt ponatur, vel non ponatur à parte rei, neque reperiatur aliquid neceſſitans Deum ad ponendam aliquam creaturam, debemus dicere iuxta varias Theologorum ſententias de actu libero Dei, quod nimirum ſi actus liber Dei, quo aliquid vult, eſt adæquatè intrinſecus in Deo, omnis poſitio, ſeu influxus, quo ponitur creatura eſt in ſe, & immediatè determinatio neceſſaria, licet ſit libera mediatè, & in alio, patet hoc, quia poſito actu intrinſeco in Deo, quo velit ponere hunc mundum per hanc actionem, & influxum in tali tempore, certè datur tale determinatiuum, ad quod non poſſit non ſequi poſitio mundi pro tali inſtanti, ergo eſt determinatio intrinſecè, & immediatè neceſſaria, quia verò Deus liberè habet talem actum volitionis de mundo, totum illud, quod ſe habuit, vt determinatiuum illius actus liberi, debuit eſſe tale, vt eo poſito potuiſſet non ſequi volitio mundi, quare actus ille Diuinus liber, quidquid ille ſit, non fuit denominatio neceſſaria, nec à principio neceſſario, ſed libera in ſe, & à principio immediatè libero.

Poſita verò altera Theologorum ſententia, quæ eſt magis intelligibilis, videlicet, quod actus liber Dei non ſit adæquatè intrinſecus Deo ſecundum omnia quæ dicit, ſed ſecundum id, quod principaliter, & in recto dicit eſt in Deo, ſecundum aliquod in obliquo importatum, eſt ens extra eum, quod appellatur terminatio actus liberi; debemus dicere, quod ea entitas creata, quæ terminat actū Dei in ſe liberum, eſt determinatio in ſe, & immediatè libera, quæ nimirum ſupponat tale determinatiutm adæquatum, ad quod potuiſſet ſequi, & potuiſſet nō ſequi illa entitas creata, ſicuti eſt actus humanus in ſe liber, qui poteſt ſequi, & non ſequi ad ſuum determinatiuum liberum adæquatum e g. actio, qua Deus produxit mundum eſt determinatio immediatè libera, nempe procedēs à determinatiuo libero, ad quod æquè bene potuiſſet ſequi negatio illius actionis. At verò determinatio illa, quæ non eſt terminatio actus liberi Dei, hoc eſt, quæ immediatè non procedit à principio libero

ſuppo-

Digitized by Google.

supponit necessariò aliquam determinationem liberam pro suo determinatiuo, v.g. si Deus efficaciter intendit producere hanc lucē per talem actionem, & hæc efficax volitio intentionis sit terminata ad conseruationem solis, vel ad conseruationem quantitatis, quæ est in sole, vel ad aliam quamlibet actionem, certè ista actio, quæ esset terminatio decreti Dei liberi, est immediatè libera, quia procedit à principio libero. At posita tali actione terminatiua decreti liberi Dei debet necessariò poni influxus productiuus luminis, & ita hic influxus luminis, & determinatio necessaria in se, & immediatè procedit à determinatiuo necessario, posito enim sole cū tali actione terminatiua volitionis liberæ Dei non potest non poni hæc luminis productio, quare actio productiua luminis est necessaria in se, & immediatè, & solum denominatur libera mediante altera determinatione libera, nempe mediante actione terminatiua volitionis Diuinæ, qua vult tale lumen, & talem influxum luminis

His ita declaratis. Dico primò, qnod ratio determinatiui respectu rei indifferentis ad existendum, & non existendum, consistit in eo, quod possit adæquatè existere sine ea determinatione, quam immediatè determinat. Contrà verò determinatio libera in se non potest esse sine determinatiuo libero, nec de potentia Dei absoluta. Præterea determinatiuum liberum adæquatum essentialiter habet, vt eo posito nihil aliud requiratur ad hoc, vt possit poni determinatio libera. Huiusmodi autēm determinatiuum debet inuoluere essentialiter Deum operantem per intellectum, & voluntatem. Hęc conclusio patet ex dictis, quia posita sententia, quæ ponat actus liberos Dei terminari per aliquam actionem, certum est, quod talis actio non possit existere sine suo determinatiuo libero, quia dicit essentialem ordinem ad suum determinatiuum indeterminatum; præterea hæc eadem actio, quę est completiua actus liberi Dei, ita est, vt potuerit non esse posito toto determinatiuo, v.g. posito Deo cum tali motiuo, tam ad faciendam, quàm ad non faciendam creationem, potest æquè bene sequi talis actio, qua fiat creatura, vel aliquid aliud, quo non fiat; siue illud sit alia actio, siue negatio actionis. Præterea posito adæquato determinatiuo libero nihil amplius requiritur ad hoc, vt ponatur illa determinatio, quamuis possit non poni.

Dico secundò determinatiuum necessarium respectu existentiæ rei creatæ, inuoluit liberam determinationem, nempe illam actionem, quæ in se est libera determinatio, procedens ab immediato determinatiuo libero; determinatio autem necessaria est illa, quæ

posito suo adæquato determinatiuo non potest esse, & non esse, sed necessariò est.

Probatur, & explicatur conclusio: ad hoc, vt ens creatum existat requiritur volitio Dei, vel ergo ea volitio Dei vult illam creaturam prout terminata immediatè ad ipsam, & sic illa creatura est determinatio libera immediata, vel vult illam creaturam per volitionē terminatam ad aliam rem, & illa alia res complet determinatiuum illius creaturæ e.g. si Deus vult hanc actionem, qua producitur lumen solis immediatè in se ipsa, ita vt ipsa actio sit terminatio actus liberi Dei, tunc talis actio est libera determinatio immediatè, & in se, si autem Deus vult actionem, qua producitur lumē solis per volunt atem terminatam ad aliam actionem, qua v. g. conseruatur quantitas in sole, tunc determinatiuum actionis productiuæ lucis, est sol, aer, Deus, & decretum liberum Dei, cuius complementum est illa actio conseruatiua quantitatis in sole, quæ est determinatio libera immediata à principio libero, ergo determinatiuum necessarium respectu actionis productiuæ lucis in casu posito inuoluit essentialiter aliquam determinationem liberam in se. Idem dico de alijs casibus. Conueniunt ergo determinatiuum necessarium, & determinatio necessaria in hoc, quod si vnum ex illis existit debeat necessariò alterum existere, vnde est bona consequentia ex vno ad alterum. Præterea ipsum determinatiuum necessarium respectu determinationis necessariæ potest dupliciter se habere primò enim potest accipi pro determinatiuo necessario solus Deus cū libera determinatione suę voluntatis, siue hęc sit intrinseca in Deo adæquatè, siue compleatur per aliquid creatum, & tunc solus Deus est causa adæquata: ita se habuit quando Deus creauit solem, posito enim Deo, & decreto libero creandi solem, illa duo constabant adæquatum determinatiuum creationis solis. Secundò determinatiuum esse potest Deus, decretum liberum Dei (quidquid illud sit), & præterea aliquid aliud ens creatum, quod simul cum Deo causet aliquid, atq; hoc tertium non essentialiter se solo exigit determinationem illam necessariam, qua producitur effectus. Sic est determinatiuum, quo producitur aliquando actio factiua luminis solis, quamuis enim sol se solo possit existere sine luce, tamen posito sole, Deo, aere, & tali decreto libero de luce, certè actio productiua lucis necessariò existit, & sine aliquo ex illis non posset existere; implicat enim quod existat illa actio lucis, quin simul existant omnia illa constantia determinatiuum lucis, quamuis omnia illa, præter decretum Dei liberum possent existere sine actione lucis. Porro

hæc

hæc duo determinatiua videntur optimè explicari per hoc, quod possint existere præscindendo à tali decreto libero Dei, absque eo, quod ponatur aliquod aliud ens existens. At verò actio productiua lucis, quam determinant, non potest existere sine illis, & necessariò sequitur illis positis simul cum decreto Dei.

Posset etiam excogitari tertium determinatiuum necessarium, nempe id, quod per suam existentiam exigat essentialiter, & necessariò existentiam alterius rei, etiam præscindendo à decreto libero Dei v.g. si ponamus, quod anima rationalis sit distincta realiter ab intellectu, & quod essentialiter exigat habere intellectum à se dependentem, certè in tali casu anima existens per suam entitatem, quam habet, etiamsi præscindamus ab omni decreto Dei, essentialiter, & necessariò infert existentiam intellectus; verum tale determinatiuum ita necessarium, vt præscindendo à decreto Dei inferat effectum, videtur omnino implicare, ratio est, quia quælibet causa requirit effectum, tanquam aliquid sibi bonum: hinc sequitur, quod si sint effectus possibiles infiniti æquè boni, non possit causa determinare hunc potius effectum ex illis, quàm alium, ex hoc enim particulari individuo non reciperet maius bonum, quam ex alio æquè perfecto, ergo non posset essentialiter exigere hunc numero effectum, quia hæc exigentia esset irrationabilis, & ita anima, licet demus, quod exigat essentialiter intellectum à se distinctum, non tamen sequitur quod exigat essentialiter potius hunc numero intellectum, quàm alium, adeoque semper requiritur determinatio libera Dei, qua Deus efficaciter velit, vt producatur potius hic effectus, quam alius æquè perfectus, et ita existimo hanc tertiam speciè determinatiui necessarij omninò implicare, quia eadem ratio militat in qualibet causa creata necessaria; quare statuimus omnem causam creatam ad hoc, vt producat talem effectum indigere determinatione libera Dei, qua ipsam constituat, vt determinatiuum necessarium, à quo necessariò procedat talis determinatus effectus.

Dices datur determinatiuum essentialiter exigens aliquam speciem rerum præscindendo à decreto Dei, ergo est possibile determinatiuum exigens individuum determinatè. Probatur antecedens quia omnis res positiua exigit aliquod vbi præscindendo ab omni voluntate Dei, ergo verum est antecedens.

Respondeo transeat antecedens. Negatur consequentia, ratio disparitatis est, quia vbicunque Philosophi ponunt hanc essentialem exigentiam indeterminatiuo respectu talis speciei, debent

liunde illam probare, ostendendo, quod talis species sit omnino bonum necessarium determinatiuo, et si hoc non probant, irrationabiliter ponunt talem exigentiam in determinatiuo, at verò nulla est excogitabilis ratio, cur determinatiuum sit essentialiter connexum cum hac particulari determinatione, quia quælibet determinatio eiusdem speciei, et perfectionis est æquè bona respectu determinatiui.

Dices secundò: Omnes conditiones se habent vt determinatiuum respectu effectus, et tamen sine aliquibus ex illis posset eadem esse determinatio, ergo falsum est, quod determinatiuum est illud, sine quo esse non potest effectus. Antecedens probatur, quia sine hac numero approximatione potest esse hæc numero productio ignis, posita alia approximatione, ergo sine aliqua conditione potest existere hæc determinatio effectus.

Respondeo licet verum sit, quod hic effectus, et hæc productio possint ex sua natura esse sine his circumstantijs, tamen hìc, et nunc non possunt esse sine his, nam hìc, et nunc non ponitur alia causa, nec aliæ circumstantiæ ad hunc effectum, sed solùm istæ, quæ de facto ponuntur, ergo si aliqua deesset ex illis, non sequeretur hic effectus naturaliter, at verò hìc, et nunc etiam si non ponatur effectus, adhuc existeret sinè miraculo totum determinatiuum præscindendo à decreto Dei.

Dices tertiò. Etiam hæc quantitas requirit hìc, et nunc hanc numero figuram, et si Deus non poneret hìc, et nunc hanc figuram deberet non conseruare quantitatem, quia non posset esse sine vlla figura, et tamen quantitas cum reliquis circumstantijs est causa in actu primo talis figuræ, ergo datur causa in actu primo, quæ non posset existere sine effectu.

Respondeo primò negando antecedens, quantitas enim solùm exigit aliquam figuram, non autem hanc determinatam in individuo, neque hìc, et nunc præscindendo à decreto Dei, datur vlla exigentia huius determinatæ figuræ, solus enim Deus determinat liberè hanc numero figuram, vt suò loco dicemus.

Respondeo secundò. Etiam dato, quod hæc quantitas naturaliter determinet hanc numero figuram, negatur tamen consequentia, nam posito hoc miraculo, quod Deus non ponat hanc figuram, deberet connaturaliter ponere aliam, et consequenter hæc quantitas, non posita hac figura, adhuc connaturaliter existeret. Quod autem connaturaliter deberet ponere aliam figuram posito miraculo probatur, quia iam vt suppono existerent omnia determinatiua

na, & circumstantiæ, per quæ hæc quantitas existit à parte rei, ergo Deus, vt auctor naturæ non debet hanc quantitatem destruere, sed debet illi dare quidquid est consequens ad suam existentiam, cum enim causæ determinant existentiam alicuius rei, simul etiam determinant quidquid est consequens ad ipsius existentiam, ergo si Deus miraculosè non poneret hanc figuram, deberet connaturaliter ponere aliam, quia iam dantur causæ creatæ naturaliter postulantes existentiam istius quantitatis, & quidquid est ad ipsam necessarium. Contra verò si non sit causa, vel aliqua conditio nihil daretur à parte rei, quod postularet existentiam effectus, & ita miraculosè potius existeret, si hìc, & nunc non existeret causa.

Dico tertiò. Ratio prioris, & determinatiui in actu primo, præscindendo à voluntate Dei consistit in eo, quod etiam hìc, & nunc possit sine miraculo existere determinatiuum non posito effectu, siue non ponatur miraculosè, siue quocunque alio modo; contra verò non possit sine miraculo existere hìc, & nunc effectus sine determinatiuo. Hæc conclusio defenditur communiter, licet aliis modis explicetur. Antequam eam probemus exemplo explicabimus sit in hoc instanti sol, aer, & cætera requisita ad lumen, & sit etiam ipsum lumen, & præscindamus à voluntate libera Dei, certè si non existeret lumen in hoc instanti esset miraculum, quia Deus non concurreret cum sole parato, & dispositio ad operandum naturaliter, ac posito hoc vno miraculo videlicet quod lumen non existat non requiritur aliud miraculum si non existeret sol, etiam posito priori miraculo. In hoc dico, quod consistat ratio prioris, & determinatiui in actu primo. At verò ponamus alium casum, quod videlicet nunc non existat, vel desit aliqua circumstantia requisita ad productionem luminis, certè hoc posito, neque deberet lumen existere, & si hìc, & nunc lumen existeret, in tali casu esset miraculum. In hoc ergo dico, quod consistat esse posterius natura. Conclusio sic explicata probatur primò, quia non potest aliter magis congruè explicari, ergo hæc explicatio est bona. Antecedens patet ex impugnatione aliarum sententiarum, quæ in hanc non coincidunt.

Secundò probatur, & prius de causa libera, nam esse causam liberam in actu primo, proximo, & completo consistit in eo, quod ea posita possit æquè bene sequi hic actus volitionis, vel hic actus nolitionis, si enim essentialiter exigeret hunc actum, iam non esset libera, quia non posset æquè bene coniungi cum assensu, & dissensu simultate potentiæ, ergo habet totam rationem determinatiui à nobis explicatam. Contra verò effectus ipsius, nempe actus liber non

potest

poteſt exiſtere niſi ab hac cauſa, quia eſt modus eſſentialiter alligatus cum iſta cauſa, vel certè ſi ponatur, quod non ſit modus ita alligatus, tamen hìc, & nunc non exiſteret ſine hac cauſa, cum alia cauſa ipſius non detur. Addo præterea in cauſa libera totum hoc verificari etiam includendo decretum Dei executiuũ, (non loquor de decreto intentionis) Deus enim quando determinat in executione cauſam liberam, non illam determinat, vt faciat talem actum volitionis, quia non eſſet amplius libera, ſed eam determinat ad hoc diſiunctum, nempe vel ad hunc actum volitionis, vel ad hunc nolitionis, vel ad tertium actum, quo neque poſitiuè velit, neque poſitiuè nolit obiectum propoſitum, cum quo decreto diuino bene ſtat libertas creata, quia cauſa libera creata æquè bene poteſt coniungi cum vno ex illis tribus actibus; ergo licet non poſſit eſſe ſine vllo ex his tribus, tamen ſemper poteſt eſſe ſine eo actu, quem de facto facit, quod ſatis eſt ad rationem prioris, quod ſi admittatur alius modus determinandæ noſtræ voluntatis, certè iuxta illum ſemper dabitur indifferentia in ipſa voluntate, de quo ſuo loco dicemus. Probatur iam de cauſa neceſſaria, nam cauſa in actu primo, quæcunque ſit, præſcindendo à voluntate Dei debet eſſe talis, vt non inuoluat inter requiſita ad exiſtendum exiſtentiam effectus; ergo ratio cauſæ in actu primo conſiſtit in hoc, quod poſſit exiſtere ſine vllo miraculo, effectu non exiſtente miraculosè. Antecedens probatur, nam ſi inuolueret exiſtentiam effectus inter ea, quæ requirit, ſequeretur, quod hæc denominatio cauſæ in actu primo cõcurreretur cum cauſa in actu ſecundo. In hoc enim differt cauſa in actu primo à cauſa in actu ſecundo, quod hæc denominetur ab actuali exiſtẽtia effectus, illa verò denominetur à ſua vi cauſatiua, & reliquis conditionibus, præſcindendo ab actuali exiſtentia effectus. Conſequentia probatur, nam ſi cauſa in actu primo debet eſſe, vt exiſtens cum omnibus conditionibus, quæ actualiter cõcurrunt profectò exiſtentia effectus nõ debet eſſe requiſita inter alias conditiones, quia iam deberet inuolui ipſa actualis exiſtentia effectus inter requiſita cauſæ in actu primo, ergo poſſet ipſa exiſtere ſine miraculo, poſito, quod miraculosè non exiſtat effectus; probatur hæc conſequentia, nam toties aliquid exiſtit naturaliter ſine alio, quoties illud aliud non eſt naturaliter requiſitum ad exiſtentiam ipſius, ſed id, quod eſt de facto effectus non eſt naturaliter requiſitum ad exiſtentiam cauſæ in actu primo, ergo poteſt exiſtere ſine illo abſque miraculo. Minor probatur quia non poſita ea entitate, quæ eſt de facto effectus, nullum deeſſet ex requiſitis ad exiſtentiam

Digitized by Google

stentiam causæ in actu primo, sed quando sunt omnia requisita ad existentiam alicuius debet res illa existere naturaliter, ergo si præscindendo ab effectu sunt omnia requisita ad existentiam causæ in actu primo, Deus sine miraculo concurrit ad illius existentiã. Quod autem effectus non sit inter requisita ad existentiam causæ in actu primo, iam probatum est, quia non inuoluitur in conceptu causæ in actu primo accepto si considerentur omnia ad ea requisita, vt sit in actu primo.

Dices primò non est necesse, vt concipiatur causa in actu primo, quod concipiantur ea omnia, quæ dant illi existentiam, ergo etiam si effectus esset quid requisitum ad existentiam causæ, non tamen idcircò deberet inuolui in conceptu causæ in actu primo. Antecedens probatur quia, vt concipiam v.g. solem tanquam causam in actu primo luminis, non debeo concipere omnes causas, & conditiones actuales requisitas ad solis existentiam, ergo non debent concipi omnia, quæ dant existentiam causæ in actu primo. Antecedens probatur, quia si deberent concipi omnes causæ, & conditiones requisitæ ad existentiam solis, deberent etiam concipi omnes causæ, & conditiones requisitæ ad illas causas, & conditiones, & rursus deberent concipi vlterius causæ, & conditiones istarum causarum, & sic de alijs, quod planè est absurdum.

Respondeo distinguo primum antecedens, si concipiantur distinctè omnia, quę mediatè, vel immediatè requiruntur ad existentiam causæ in actu primo, nego antecedens, si concipiantur ea solùm, quę immediatè requiruntur ad causam in actu primo, concedo antecedens. Dico ergo, quod si velimus distinctè concipere ea omnia, quæ requiruntur naturaliter ad constituendam causam in actu primo, non solùm sunt conditiones, & existentia ipsius causæ, sed omnes etiam causæ, & conditiones vsque ad vltimas, tam enim requiruntur naturaliter causæ immediatę, quam mediatæ, hoc autem ita esse patet, nam si non esset causa naturalis v. g. solis, vel causa aeris in hoc instanti, deesset vnum requisitum ad existentiam solis, vel aeris, vnde existentia solis, vel aeris esset miraculosa, existeret enim sine causa naturali; ergo vt concipiamus adæquatè omnia requisita ad causam in actu primo luminis, debemus concipere omnia requisita ad existentiam solis, & aeris, non est autem necesse, vt ea omnia concipiantur distinctè, sed satis est, quod veniant in confuso; hoc ipso enim, quod concipio requisita ad causam existentem confusè concipio omnia, licet non explicem distinctè.

Dici si concipiantur omnia requisita tam mediata, quam immediata

diata, nam requisita immediata, solum sunt causæ, et conditiones determinantes causam in actu primo, & causæ causarum, & conditionum dicuntur requisita mediata, quia in tantum requiruntur in quantum requiritur existentia causæ, & conditionum, quæ esse non possunt naturaliter, nisi etiam existerent ipsarum causæ, effectus autem nullo modo debet concipi inter requisita, siue mediata, siue immediata causæ in actu primo, quia licet esset miraculum, si posita causa non poneretur effectus, tamen posito hoc miraculo, non esset miraculum existentia causæ in actu primo, cum illi nihil desit eorum, quæ illius existentiam constituunt, aliter vt diximus effectus intraret intra constitutiua requisita ad causam in actu primo, quod est falsum.

Dices decretum Dei efficax de effectu producendo se tenet ex parte actus primi, & tamen non potest existere sine effectu, ergo nō est bona nostra explicatio actus primi.

Respondeo. Iuxta varias sententias de decreto Dei libero; si enim decretum Dei est totum intrinsecum adæquatè in Deo secundum omnia, quę dicit concedo, quod se teneat ex parte actus primi. Nego tamen nostram explicationem esse malam, nam ideò signatè posui in conclusione illa verba præscindendo à decreto libero Dei, quia videlicet iuxta hanc sententiam actus primus duo inuoluit, ipsam scilicet causam creatam, & decretum liberum Dei; si loquamur de ea parte, quæ consistit in entitate creata, iam bene procedit explicatio; potest enim hæc existere non existente miraculosè effectu; sin autem loquamur de alia parte, quæ consistit in decreto Dei, dico, quod ratio talis complemēti actus primi consistit in hoc, quod connectatur essentialiter cum effectu tanquam cum obiecto volito, quare ratio prioritatis in decreto libero Dei respectu effectus iuxta hanc sententiam Theologicam non consistit in eo, quod possit esse sine effectu, sed in eo, quod connectatur cum effectu essentialiter, tanquam cum obiecto volito, quæ explicatio est clarissima, & nullam inuoluit difficultatem. Totum autem hoc intelligendum est de decreto Dei executiuo concurrendi cum causa necessaria, non cum causa libera, de qua iam diximus; ibi enim decretum Dei executiuum non determinat hunc numero actum, sed vel disiunctum trium actuum, vel certè indifferenter se habet. Neque facit contra hoc, quod causa in actu primo non inuoluat existentiam effectus inter sua requisita, decretum autem Dei efficax inuoluat effectum.

Respondetur enim facilè, quod decretum Dei est complementū actus

actus primi, non est autem ipse actus primus. Complementum autem actus primi iuxta hanc sententiam inuoluit existentiam effectus, non vt constitutiuam ipsius, sed vt effectum volitum, quare se habet in ratione obiecti. Cæterum hæc sententia Theologica, quæ alioquin patitur graues difficultates, à nobis neque defenditur, neque probatur.

Quod si iuxta probabiliorem sententiam decretum Dei completur extrinsecè per aliquod creatum, dico, quod simpliciter loquendo, decretum Dei secundum id, quod dicit in obliquo non spectat ad causam in actu primo, sed ad causam in actu secundo, loquendo semper de causa necessaria, quia illud, quod terminat tale decretum est ipsa actio, qua effectus producitur, quæ sanè actio spectat ad actū secundum, & non ad primum, adeoque totus actus primus potest existere sine effectu absque nouo miraculo.

Quod si ponas Deum habere decretum antecedens ad ipsam actionem productiuam effectus, & terminatum ad aliquam aliam actionem, v.g. ad actionem conseruatiuam quantitatis in sole, vt supradiximus, tunc tale decretum haberet prioritatem respectu effectus, sicuti diximus in superiori responsione, quia videlicet esset essentialiter connexum cum effectu, tanquam cum obiecto volito.

Dico denique actionem productiuam effectus non esse priorem effectu prioritate naturæ explicata, sed solùm prioritate à quo, seu originis, hæc autem prioritas à quo satis explicatur per hoc, quod in se per suam essentiam, & entitatem sit actualis determinatio effectus, & non habeat aliam determinationem. Probatur conclusio, nam actio in tantum datur, in quantum debet dari actualis determinatio, qua causa actu determinet existentiam effectus, v.g. hoc lumen, quod est à sole, posset esse à Deo solo, vt ergo sit à sole debet ab eo determinari, ergo debet dari talis determinatio, per quam à sole determinetur ad existendum, hęc autem determinatio est ipsa actio, qua producitur. Porrò hæc determinatio non debet per aliam determinari, ne detur processus in infinitum, sed se ipsa debet esse talis, vt formaliter determinet effectum ad existendum; esse autem tale, vt formaliter determinet existentiam effectus, dicitur esse aliquo modo prius, non quidem sicuti causa in actu primo, sed sicuti immediata origo, qua formaliter pendet à causa, quare assignamus prædicata sufficientia ad explicandam prioritatem à quo.

Obijcies primò. Explicatio causæ à nobis allata inuoluit ipsam explicationem causæ, ergo non est bona. Antecedens probatur, quia explicatur causa per hoc, quod sine miraculo existat, non existente

miraculosè effectu; contra verò effectus non existente causa, miraculosè existeret, sed existere, vel non existere miraculosè inuoluit ipsam explicationem causæ; miraculum enim est, quod fit supra vires causæ, ergo dum per miraculum explicas rationem causæ, inuolnis ipsum conceptum causæ in explicatione.

Respondeo negando antecedēs, ad probationem dico, quod miraculum nobis est notius, quàm ratio causæ, ergo per aliquid notius explicamus causam; nomine enim miraculi intelligimus id quod existit, vel contra exigentiam alicuius entis naturalis, & non est ex vi alterius entis naturalis, vel quod est supra exigentiam omnium entium naturalium, qui conceptus præscindit ab omni causa, & effectu; esse enim iuxta exigentiam alicuius entis, est aliquod magis latè patens, ac notum quam causare, multa enim exiguntur à multis entibus, & tamē non causātur ab illis, quare explicatio causæ, quod existeret sine miraculo, non posito miraculosè effectu, significat, quod si non existat miraculosè effectus, hoc est si non existat effectus, quamuis id sit contra exigentiam causæ, adhuc existit sine miraculo, hoc est existentia causæ non est contra illud ens naturale, neque supra exigentiam omnium entium, hoc enim significat existere sine miraculo. Ecce explicationem causæ absque eo, quod inuoluatur in ipsa ratio ipsius causæ.

Obijcies secundò. Sol v. g. non potest existere sine vbicatione, & tamen vbicatio est effectus solis, saltem in genere causæ materialis, ergo explicatio causæ est falsa.

Respondeo distinguendo antecedens: non potest existere sine hac vbicatione, quam habet, nego, sine vlla, transeat; sed vrgebis, ergo idem possumus dicere de hoc lumine, non potest existere sine vlla causa, concedo; sine hac causa, nego. Est tamen contra hanc instantiam manifesta disparitas, quia hic, & nunc si solùm fiat suppositio, quod non sit sol, & reliqua sint sicuti sunt, non existeret lumen sine miraculo, quia non daretur in natura determinatiuum existētiæ illius, adeoque solùm existeret in beneplacito Dei, nec Deus teneretur ponere lumen ex exigentia alterius entis naturalis. At verò si hìc, & nunc non esset ex suppositione hæc vbicatio, quæ de facto est, & reliqua essent, vt sunt de facto, adhuc facta hac suppositione intelligeretur exigentia alicuius vbicationis solaris, à qua exigentia Deus moueretur ad ponendam aliquam vbicationem, hæc autem exigētia esset illa eadem, quę naturaliter exigit solis existentiam, nempe ipsæ causæ conseruationis solis, quæ simul exigunt à Deo, vt det soli aliquam vbicationem, quæ exigentia non datur fa-

&a

da suppositione, quod non detur sol, & reliqua perseuerent vt sunt, ad hoc, vt detur lumen; vnde magis explicatur, & confirmatur nostra doctrina.

Obijcies tertiò. Sit vera sententia probabilis, quod idem effectus possit procedere à duplici causa adæquata supernaturaliter. Tunc ablata vna, adhuc sine miraculo existeret effectus, ergo ratio effectus non benè fuit explicata.

Respondeo. Distinguo antecedēs; sine miraculo immediatè præcedente existeret effectus, nego, sine miraculo in eo instanti, concedo. Nam, vt suppono, duæ causæ adæquatè non possunt causare effectum per existentiam suam sine magno miraculo, quamuis ergo si Deus nunc vnam causam annihilaret, vel tolleret, certè effectus existeret sine miraculo nouo, at non existeret simpliciter sine miraculo, saltem immediatè ad hoc nunc præcedente, per quod eleuabantur duæ causæ totales ad causandum totaliter eundem effectū; at verò causa existeret ablato effectu miraculosè sine vllo alio miraculo, vel tunc posito quando aufertur, seu non ponitur effectus, vel immediatè antea præsuppositō.

Dices. Si sint duo ignes, qui simul producant in aqua sex gradus caloris, certè idem calor produceretur ab vno igne, & tamen vterque de facto est causa, ergo potest auferri causa aliqua, & remanere idem effectus sine miraculo.

Respondeo. Supponendo, quod in productionibus physicis, quādo concurrunt plures causæ, quarum aliqua sufficeret ad eundem effectum, omnes tamen illæ se habent vt causæ partiales, quæ si sint animatæ adhibent minorem conatum, vt explicauimus in logicis; adeòque si aliquæ ex illis auferantur, eæ quæ remanent adhibent maiorem conatum, qui maior conatus iam est causa diuersa, adeòque iam ponitur noua causa, qua posita non est mirum, neque contra nos, quod effectus non tollatur. Si sunt inanimatæ faciunt quidem eumdem effectum, hoc est producunt eamdem qualitatem, sed tardius, si aliquæ auferantur ex causis; adeoque sex gradus caloris, qui à duobus ignibus producti fuissent vno quadrante, ab vno producētur media hora; hoc posito dico ad argumentum, non esse contra nostram doctrinam, quod ablata causa inadæquata, & partiali, remanente adhuc causa aliqua sufficienter adæquata non auferatur effectus saltem principalis, nempe calor; licet tollatur illa celeritas productionis, & quod totus simul existat primo quadrante, quę sunt aliquid ipsius effectus, cum enim adhuc remaneat causa sufficiens, non debet tolli effectus, Nostra ergo explicatio est de causa requi-

sita ad effectum, sine qua esse non possit. Quod si loquamur de causa quomodocunque, nego esse eumdem effectum ablato vno igne; nam effectus talis causæ non est solùm calor vt sex, sed calor vt sex existens tali tempore, nempe pro quadrante, qui effectus non esset ablato vno igne, ergo semper in omni sensu verificatur nostra Conclusio.

Vrgebis, Vterque ignis est causa, & determinatiuum non solùm talis celeritatis productionis, & quod calor sit primo quadrante, sed est causa ipsius entitatis caloris per se accepti, sed si auferatur ignis A. remanente igne B. adhuc poneretur eadem entitas caloris in aqua, ergo effectus respectu alicuius causæ non ita se habet, vt ea non posita ipse etiam non poneretur.

Respondeo, quomodo effectus per se acceptus præscindendo à duratione producatur à causa dicendum esse quæstione de duratione in libro 4. Dico nunc quantum sufficit ad instantiam, quod causa v.g. caloris non idcirco præcisè est causa, quia facit vt calor existat præcisè secundum se, sed quia facit, vt existat tali tempore, vndè si ignis A. facit, vt eras existat lumen A. quod nunc existat per alium ignem B. non idcircò nunc est causa ignis A. illius luminis, quia faciet, vt illud secundum se existat; quamuis ergo ignis remanens causaret calorem vt sex faciens, vt existat post mediam horã, quia tamen non faceret, vt existat pro primo quadrante, sicuti faceret si simùl ageret vterque ignis, idcircò non posset dicere quod esset causa eiusdem effectus, cum per ipsum non possit existere ille calor primo quadrante.

Obijcies quarto. Causa libera in sententia probabili, si est completè potens, non potest non facere aliquem actum saltem disiunctiuè, vt supradiximus, & tamen est prior respectu illius disiuncti, ergo falsum est, quod prius possit esse sine suo posteriori.

Respondeo negando, quod causa libera sit prior respectu disiuncti de facto, nam solùm est prior respectu vnius actus, quem de facto facit, & non respectu omnium, potest autem sinè absurdo esse absque eo actu, licèt non possit esse sine aliquo actu, sicuti neque potest esse creatura sine aliqua vbicatione, licèt possit esse sine hac, vel illa, quam de facto causat saltem vt dispositio.

Ex dictis impugnatur modus loquendi Hurtadi, Arriagæ, Ouiedi, & aliquorum recentiorum, qui dicunt causam pendere ab effectu à posteriori; videtur enim hæc duo vocabula repugnare nempe pendere à posteriori, si enim nomine dependentiæ veniat ipsa ratio posterioritatis, quomodo, id quod est prius pendet à posteriori,

Digitized by Google

riori, cum ipsi non admittant mutuam prioritatem? Quare confundunt dependentiam cum connexione; fatemur enim omnes, quod causa cõnectitur cum effectu, & Filius Æternus connectitur cũ Patre, sed hoc non sonat dependentiam, quæ sonat imperfectionem, & quasi dicit sustinentiam sui esse respectu alterius, sicuti lampas sustinetur in aere à funè, à quo pendet; sed hæc est quæstio de voce, quæ vox tamen valde displicet, nam nunquam hi Auctores assignant conceptum istius dependentiæ à posteriori, contradistinctũ à conceptu dependentiæ à priori, qui tamen conceptus debent esse valde diuersi; sed est difficultas in assignanda hac diuersitate, vt patet ex supradictis, vndè committunt circulum vitiosum; nam vt saluent, quod causa, quamuis non possit existere sine effectu naturaliter, & etiam supernaturaliter sinè aliquo effectu, vt est vbicatio, tamen sit prior effectu, respondent, quod causa solum pendet à posteriori ab effectu; sed hoc ipsum deberent explicare, nempe quid sit esse posterius, & pendere à posteriori, si enim explicant rationem prioris, per hoc, quod causa possit concipi sinè effectu, & hoc habet ex independentia, quomodo saluant, quod aliqua causa non possit esse, vel concipi sinè aliqua vbicatione, & per hoc non amittat rationem prioris? Si dicas, quia solùm ab ea pẽdet à posteriori, ecce circulum vitiosum; est prior, quia solum pendet à posteriori ab vbicatione, & solùm pendet tamquam à posteriori, quia est prior, & respectu illius vbicatio est posterior, quare aliundè saluanda est ratio prioris, absque eo quod supponas rationem posterioris, quæ nec haberi, nec intelligi potest, nisi simul intelligatur ratio prioris.

ARTICVLVS IV.

In quo differat causa à conditione.

VAlde laborant auctores in assignando discrimine inter causam, & conditionem, vtraque enim conuenit in hoc, quod sit prior natura effectu, & quod determinet existentiam effectus, at verò dignoscere quo pacto determinet causa, & quo pacto cõditio, difficillimum sanè est; quamuis enim omnes dicamus, quod conditio, non influit in effectum, causa verò influit, tamen si quæratur vlterius, quid sit influere in effectum, nescimus explicare, sed respondemus per æquè nota vocabula, vel etiam per obscuriora,

cum

cum enim tam sit necessaria causa, quàm conditio ad effectũ, tam videtur dependere à causa ipse effectus quàm à conditione; quid ergo est dependere à causa tanquam ab influente, & à conditione tanquam à non influente? Neque satisfacit dicere, quod causa habeat virtutem ponendi effectum, non autem cõditio: Nam in prius restat adhuc explicandum, quid sit virtus influens: præterea aliquæ causæ, neque habent in se virtutem ad effectus, vt sunt causæ instrumentales, præsertim in ordine ad effectus supernaturales, Quam enim virtutem habet aqua, vt producat gratiam in Baptismate, posito, quod detur potentia actiua obedientalis? Multò minus rem declarant, qui dicunt causam concurrere ad effectum, non autem conditionem: nam quid significat vox illa concurrere ad effectum, videmus quippe, quod tam est necessaria conditio, quàm causa ad determinandam existentiam effectus, quid ergo est esse necessariam tanquam concurrentem, & tanquam non concurrentem?

P. Suarius disp. 17. Metaphysices sect. 2. num. 5. dicit conditiones esse res illas, quæ requirũtur quidem necessariò ad productionem rei, sed tamen quæ non sunt actiuæ, vt est approximatio, figura, densitas, & similia accidentia. Quod si hæc sint actiua dicit esse rem valdè difficilem determinare, quænam sint conditiones, quæ verò causæ. Verum hæc doctrina quamuis magna ex parte sit vera, nihil explicat præsentem difficultatem, laboramus enim in inuestigando quid sit agere, & consequenter quid sit, rem esse actiuam; non enim consistit in eo solùm, quod requiratur ad existentiam effectus, cum conditiones requirantur, & tamen non agant. Quid ergo est requiri ad determinandam existentiam rei producendæ, & requiri tanquam quid actiuum, vel tanquam aliquid non actiuum? nisi ergo semel explicemus, quid sit agere, influere, cõcurrere, & significatum similium verborum, non possumus dicere per quid causa distinguatur à conditione.

Pro explicatione difficultatis. Aduertendum est primò: determinationem per quam formaliter ponitur effectus à parte rei, quæ determinatio dicitur actio, seu influxus, esse relationem transcendentalem ad multos terminos, quos essentialiter respicit, vt existentes. Primò ad entitatem effectus producti, tanquam ad id, quod formaliter per se ipsum determinat ad existendum nunc; sicut enim vnio determinat formaliter albedinem, vt sit in pariete, sic productio determinat existentiam rei, vt existat nunc à tali causa, quare respicit effectum, vt determinatum.

Præte-

Præterea eadem entitas actionis respicit essentialiter suum determinatiuum, à quo ipsa determinatio procedit immediatè, vt supra explicauimus, potest autem euenire, vt actio non respiciat aliquod ex suis determinatiuis, verbi gratia, calor productus ab igne requirit approximationem ignis ad subiectum quod calefit, actio verò per quam producitur hic calor, respicit quidem essentialiter entitatem ignis, posito quod ignis sit illius causa, non autem respicit approximationem illã numero, quia etiamsi fuisset alia approximatio, non videtur inconueniens, quod eadem entitas actionis esset, quare causa actualis semper est illa, ad quam dicit essentialẽ ordinem actio per quam ponitur effectus.

Aduertendum secundò, neque hoc videri sufficiens ad explicandam rationem causæ, quod nimirum causa sit tale determinatiuũ actionis, ad quod actio dicat ordinem essentialem; nam potest reperiri aliqua conditio, ad quam actio dicat ordinem essentialem, & tamen ex hoc non potest dici, quod sit causa; potest enim esse aliquod determinatiuum alicuius actionis, ad quod in indiuiduo dicat ordinem essentialem ipsa actio productiua effectus, & tamen illud non sit causa, sed mera conditio, v. g. visio Angeli de obiecto materiali præsenti dicit essentialem ordinem ad obiectum, vt existens, & tamen obiectum materiale non est causa influens in visionem Angelicam', licet sit conditio illius, vt supponitur ex probabili sententia Theologorum. Idem etiam posset probari alijs casibus.

Aduertendum est tertiò, Multas esse species ordinum, & relationum transcendentalium, seu connexionum essentialium, nam datur ordo essentialis, qui solum sit imago alterius, hoc est exprimat aliud vt obiectum, sic visio parietis exprimit tanquam imago parietem, & cognitio de chimæra exprimit etiam chimæram. Alius ordo est in ratione appetitus, sic amor habet ordinem transcendẽtalem ad obiectum amatum, non quod illud tanquam imago repræsentet, sicuti cognitio, sed quia illud appetit, & determinat potentiam appetentem ad coniunctionem cum obiecto appetito. Tertiò datur ordo in ratione coexistentiæ, quando videlicet vna res exigit existentiam alterius simul cum sua. Quartò datur ordo in ratione loci, cum aliquod exigit essẽtialiter, vt res sit in tali spatio, qui ordo est in vbicatione. Quintò datur ordo in ratione vnionis, & colligationis, per quem vna res est colligata cum alia re, & plures etiam dantur species relationum transcendentalium. Inter alias autem species relationum, seu connexionum essentialium datur vna, per quam omnis entitas creata habet respicere Deum, & talem

talem ordinem, seu connexionem essentialem appellamus ordinem dependentiæ, & dependentiam; quælibet enim entitas creata habet essentialiter respicere Deum per suam entitatem quodam ordine peculiari, per quem constituitur in ratione creaturæ.

Ad explicandum hunc ordinem essentialem creaturæ, vt creatura est, nulla videtur dari posse definitio, quàm per negationes, sicuti Aristoteles tradidit, definitionem materiæ per negationes, quod neque sit quid, neque quantum &c. possumus ergo explicare hunc ordinem dicendo, quod sit essentialis connexio entitatis creaturæ cum Deo, quæ connexio neque formaliter sit ordo cognitionis, & imaginis, neque ordo amoris, & appetentiæ, neque ordo coexistentiæ, neque vnionis, neque quo ad locum, sed formaliter aliquid aliud præstans præter hos, & alios ordines, qui reperiuntur in rebus, quæ non sunt dependentes, quamuis sint connexæ. Nam ordo, & connexio in ratione imaginis reperitur etiam in cognitione Dei: similiter ordo amoris reperitur in amore Dei; ordo coexistentiæ, & vnionis reperitur inter Deum Patrem, & Filium, & similes ordines, qui sonant meram connexionem reperiri possunt saltem proportionaliter in Deo; at verò ordo, quem creatura, vt creatura dicit ad Deum, est quædam cõnexio valde diuersa ab omnibus his, quæ de conceptu suo generico non dicunt defectum, & imperfectionem, nec videtur posse assignari melior conceptus talis ordinis dependentiæ, quàm per negationes dicẽdo, quod talis ordo non est sicuti ordo visionis, amoris, & cæterorum, sed involuit in suo conceptu imperfectionem essentialem, & defectibilitatem.

His positis dico: causam influentẽ esse illam, ad quã effectus dicit essentialem ordinem similẽ, illi, quẽ dicit creatura ad Deũ, præcisè quatenus creatura. Probatur, Conclusio, quia hoc pacto datur cõceptus, qui solùm conueniat causæ influenti, & explicatur sufficienter, ergo est bonus conceptus; quod conueniat soli causę influenti, patet, hoc nã causa influens debet se habere cũ effectu diuerso modo, ac se habet obiectum, vel terminus cognitionis, vel amoris, vel vnionis, & aliorum ordinum, cum illi ordines possint dari inter res, quæ non se habent, vt causa influens, & effectus; sed ordo similis illi, quem dicit creatura, vt creatura ad Deum, se habet hoc pacto; ergo per ordinem illi similem explicatur solùm conceptus causæ influentis. Quod autem sufficienter explicetur probatur, quia non videtur alia explicatio posse reperiri, namque post primam assignationem entis in communi, prima, vel secunda diuisio est in ens crea-

creatum, & increatum: maximè quippe patet ferè ex terminis, quid sit esse creatum, nempe quod potest existere, & non existere; vndè vt existat habet indigentiam alterius, per quam indigentiam reseest magis explicari, quàm ab imperfectione entitatis creatæ in se ipsa, & à posteriori per negationem aliorum ordinū essentialium, qui formaliter non fundetur in mera imperfectione, & indigentia entitatis, sed ex suo genere possunt esse etiam in ente perfectissimo.

Objicies primò. Hic à nobis explicari idem per idem, nam hoc ipsum quærimus, per quid creatura dicatur dependens à Deo, nimirum, quid sit dependentia, per quam res dependet ab alia, & respondetur: est id, per quod creatura dependet à Deo.

Respondeo negando explicari idem per idem; nam in primis est conceptus ferè per se notus dari Deum, & Creaturam, ità est per se notum quid sit creatura; & per quid differat in primo conceptu à Deo. Secundò, hunc ipsum conceptum explicamus per comparationem ad alios ordines transcendentales, & negando ordinem dependentiæ esse sicuti sunt illi, sed esse fundatum in suo conceptu essētiali, in imperfectione entitatis, ex sua natura defectibilis, quod prædicatum est proprium solius ordinis dependentiæ, ergo explicamus sufficienter conceptum dependentiæ, per terminos clariores; nobis enim clarum est, quid sit defectibilitas in aliquo ente, nēdicendo; dependentia est ordo fundatus in defectibilitate entitatis, quatenus talis est, certè explicamus per terminos claros cōceptum dependentiæ.

Dices secundò. Etiam conceptus vnionis vnientis duas partes quantitatis v. g. est conceptus competens essentialiter soli creaturæ, ergo per hoc, quod sit ordo competens creaturæ, vt talis est, non distinguitur dependentia ab vnione.

Respondeo distinguendo consequens, non distinguitur dependentia ab vnione accepta sub conceptu generico vnionis nego, sub quocunque conceptu specifico, concedo; vnio enim de suo conceptu generico essentiali non dicit vnire duas partes quantitatis, vel duo entia creata, sed vnire duo quomodocunque ea duo distinguantur; imò satis est si vniat se ipsam cum alio, sic Paternitas in Deo se ipsa est vnita cum filiatione, & filiatio cum Paternitate, ergo conceptus vnionis genericè acceptus non inuoluit imperfectionem, sicuti conceptus dependentiæ etiam genericè acceptus inuoluit imperfectionem, sed conceptus vnionis genericus præscindit à

perfectione, & imperfectione; vnio autem vniés duas partes quantitatis est conceptus specificus vnionis, et inuoluit in sua differentia conceptum dependentiæ; hoc ipso enim, quod dico quantitatem, dico formaliter creaturam, quare hoc ipso, quod dico vnionẽ quantitatis, dico vnionem defectibilem formaliter, adeoque dico vnionem habentem ordinem transcendentalem dependentiæ, qui formaliter pullulat à defectibilitate. Est ergo diligenter aduertendum, quod alij ordines, per quorum negationem explicamus essentiam dependentiæ debent accipi prout sunt tales ordines sub conceptu generico, non autem prout inuoluunt aliquam differenriã essentialiter propriam creaturæ, quia tunc ratione talis differentiæ inuoluent etiam conceptum creaturæ; ãt verò ordo dependentiæ, quantumuis genericè accipiatur, semper habet imperfectionem, & fundatur in defectibilitate entitatis in qua est.

Dices tertiò. Vbi ex suo conceptu dicit vnam rem esse in tali loco determinato ita distans ab alia, sed hic conceptus inuoluit essentiam creaturæ, ergo non distinguitur à conceptu dependentiç. Minor probatur, quia rem ita distare ab alia non potest competere Deo, qui est vbiq; ergo ex suo conceptu conuenit soli creaturæ.

Respondeo conceptum vbicationis, prout præscindit ab hoc, vel illo vbi, solum dicit spatium, ad quod est alligatum aliquod, quare vbi Diuinum, nempe ipsa entitas Dei, se ipsa habet esse alligata omni spatio possibili, & ideo Deus dicitur immensus, quia est vbique ità, vt nullum vbi creatum sit possibile, in quo nõ existat Deus; imò in sententia ponente esse possibile infinitum creatum probabile est etiam creaturam posse esse vbique per vbicationem creatã infinitam, quare non est de ratione vbicationis, quod sit creata, sed præscindit à Deo, & creatura; at verò si accipiatur vbicatio specifica, quæ sit propria creaturæ, certè inuoluit differentiam creaturæ, & dependentiam, quod nihil facit contra nos; contra verò ordo dependentiæ ex sua ratione generica fundatur in imperfectione, & defectibilitate entitatis, adeòque non potest competere Deo.

Obijcies quartò. Etiam ordo, quem effectus dicit ad conditionem est ordo dependentiæ, ergo per hoc non habetur discrimen inter causam, & conditionem. Antecedens probatur: quia in tantũ effectus indiget conditione, eamque respicit, in quantum est entitas defectibilis, sed ordo, qui fundatur in defectibilitate est dependentia, ergo ordo, quem effectus dicit ad conditionem est formaliter ordo dependentiæ.

Respon-

Digitized by Google

Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico verum esse, quod effectus propter suam defectibilitatem exigit etiam conditiones, sed negatur, quod effectus per actionem, qua fit, essentialiter respiciat conditiones, quas habet de facto; actio enim productiua effectus respicit quidem essentialiter causas influentes, non autem respicit essentialiter conditiones, quare posset esse hæc eadē actio productiua ignis, etiamsi non esset hæc numero approximatio, non autem posset esse hæc actio, si non esset hæc causa producēs; licet ergo effectus indigeat conditione, vt causa sit applicata passo, tamen illam non respicit essentialiter, sicuti respicit causam. Cæterum conditio vniuersalissimè accepta neque de suo conceptu dicit defectibilitatem rei, respectu cuius est conditio, sed solùm dicit esse aliquid requisitum, & ità potest reperiri conditio etiam in Deo, v.g. vt Deus amet aliquid requiritur, tanquàm conditio, cognitio ipsius obiecti, & tamen cognitio non se habet vt conditio respectu alicuius defectibilis, sed respectu entitatis indefectibilis, nempe respectu amoris diuini, qui est idem cum Deo, ergo conditio ex genere suo non dicit defectibilitatem vllius entis, respectu cuius se habet, vt conditio.

Verùm licet hæc doctrina benè explicet essentiam conditionis, & causæ, restat tamen adhuc obscurum quidnam se habeat vt causa influens, quid, vt conditio; nam v.g. videmus, quod vt producatur calor in ligno requiritur ignis, & approximatio, nescimus autem, an actio productiua caloris respiciat essentialiter solum ignem, an etiam respiciat essentialiter approximationem, quo ignorato, ignoramus, quæ sit causa influens, quæ verò conditio, quare assignanda est aliqua bona regula ad cognoscendum quid actio respiciat essentialiter tanquàm causam influentem, quid verò non respiciat.

Ad hanc regulam assignādam placet doctrina supracitata P. Suarij, si tamen illi explicatio aliqua adhibeatur; dicit enim hic Auctor, quod illud se habet vt conditio, quod non est actiuum, sed non assignat indicium cognoscendi quid non sit actiuum. Sistendo ergo in hac doctrina dicimus, illud non se habere vt actiuum in aliqua productione, cui productio effectus nullam affert vtilitatem, contra verò illud est actiuum, cui productio effectus sit bona; ratio à priori est: quia virtus actiua naturalis in tantum datur in causis actiuis, in quantum per illam virtutem consequuntur aliquod bonū sibi naturaliter debitum, nulla enim potest assignari alia ratio, cur detur virtus actiua in causis influentibus: vbicunque enim non datur virtus actiua ideò est, quia productio illius effectus non esset bo-

bonum debitum illi rei, & ita quotiescunque aliquis effectus non est bonum alicui determinatiuo, toties illud determinatiuum est conditio, & non causa, vt in exemplo allato, productio caloris est quidem bona igni, quia per eam ignis propagat speciē suam, quod est bonum debitum rei corruptibili, at verò eadem productio caloris nullo pacto est bonum debitum approximationi ignis, nihil enim boni acquirit approximatio ex productione caloris in ligno; quare considerando, cui nam sit bonum debitum productio effectus, & cui non sit debitum, habemus bonam regulam discernendi, quid sit causa, quid conditio.

Dices: causa instrumentalis obedientialis, quæ nimirum producit effectum supernaturaliter, vt est aqua producens gratiam in baptizato, non respicit effectum tanquàm bonum sibi debitum, & tamen in sententia probabili est causa influens, ergo regula assignata non est vniuersalis.

Respondeo. Quod si consideremus causam instrumentalem subseruientem causæ principali est illi bonum debitum effectus, si hoc pacto præcisè consideretur, nam est bonum creaturæ obedire Deo: posito ergo, quod Deus velit efficaciter, quod aqua v.g. se habeat respectu gratiæ sanctificantis, sicuti se habet ignis respectu caloris, qui à se producitur, certè est illi bonum gratia sanctificans, licet secundum se consideratæ non sit bonum. Cæterum controuersum est apud Theologos, an possit eleuari aqua, & quodlibet ens creatum ad producendum effectum sibi omnino improportionatum.

Quod si loquamur de instrumentis naturalibus, vel artificialibus certè effectus immediatus est illis bonum debitum, v. g. scalpello, malleo, & motui manus impellentis, est debita abscissio in lapide, quia est debitum rei duræ, & potentiæ impulsiuæ, vt ponat vbicationem pro suo iure in re minus dura, sed hoc sequitur quando malleo, & scalpello scinduntur partes lapidis; ponitur enim in illis partibus abscissis à marmore diuersa vbicatio, ac prius, ergo effectus debitus instrumentis, est illis aliquod bonum, adeòque regula valet in omnibus.

Ex dictis. Colligitur primò quomodo causa verè influat in effectum, non autem conditio; nam ex eo, quod actio productiua effectus est talis essentialis relatio respectu causæ, vt illam respiciat proportionaliter, sicuti creatura respicit Deum, videtur, quod sicuti ab esse diuino profluxerunt omnia creata, sic etiam ab entitate causæ profluat entitas effectus; vnde etiam patet, cur causa adæquata debeat habere virtutem ad producendum effectum, seu, quod idem

est

est, debeat continere in sua virtute effectum; ratio enim est, quia id, quod respicit aliud, sicut creatura respicit Deum, debet supponere perfectionem in illo, saltem illi æqualem, & non minorem, talis quippe respectus fundatur tam in defectibilitate effectus, quàm etiam in perfectione causæ adæquatæ: vndè ex eo, quod Deus possit esse causa adæquata rerum perfectissimarum, benè arguitur ipsius perfectio, ergo si res aliqua est talis, vt possit respici ab alia re perfecta per relationem dependentiæ debet esse saltem æquè perfecta. Dixi de causa adæquata, nam causa inadæquata, vel instrumentalis, quia se sola non causat effectum non debet continere effectum per se accepta.

Colligitur secundò, quomodo conditio sit determinatiua effectus, determinat enim, non quod respiciat effectum, vt bonum suũ, sed quia determinat per se ipsam formaliter virtutem causæ ad operandum, eo quod ipsam conuenienter applicet, v.g. ignis habet ex se esse determinatiuum caloris in ligno, si tamen applicetur ligno intra distantiam v.g. octo palmorum; quod si non sit ità applicatus non determinabit existentiam caloris in ligno, ergo in tali casu approximatio ignis ad lignum nihil sanè producit, sed solum est formalis applicatio virtutis creatiuæ ignis ad passum, ergo determinat quidem caloris existentiam, sed solùm formaliter applicãdo causam productiuam. Idem similiter dico de cęteris conditionibus.

Colligitur tertiò, quod aliquando possumus colligere, an aliquid sit conditio, an non, ex alijs capitibus v.g. quod solùm requiratur de præterito; sic motus præteritus est conditio vbicationis præsentis; vel quod sit quid negatiuum; sic negatio impedimenti est conditio; vel probando ex alio capite, quod actio non possit essentialiter respicere illud requisitum, vel ex quacunque alia ratione,

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

An causa dicat relationem transcendentalem ad effectum.

NOn loquimur hìc de causa in actu secundo, quæ proculdubio inuoluit ipsam actionem, & consequenter exigit effectum non solùm vt possibilem, sed vt actu existentem, sed solùm loquimur de causa in actu primo accepta, in quo sensu fieri potest duplex quæstio, altera de nomine, altera de re; quæstio de re est, an causa in actu primo sit essentialiter connexa cum effectu vt possibili, ita vt existentia causæ in actu primo exigat essentialiter possibilitatem effectus, imò neque possit intelligi, quin intelligatur effectus, vt possibilis. Quæstio de nomine est, an talis connexio sit appellanda relatio transcendentalis, an solùm connexio essentialis.

Dico primò. Connexionem causæ cum effectu possibili posse benè dici relationem transcendentalem. Probatur, quia relatio transcendentalis per nos nullam dicit veram dependentiam à termino, sed solùm, quod vnum non possit esse nisi in ordine ad *aliud*, hoc est, quod vnum esse non possit nisi exigat essentialiter terminum existentem quidem, si est relatio ad terminum, vt existentem, possibilem verò si est relatio ad terminum, vt possibilem; sed si datur connexio essentialis inter causam, & effectum, vt possibilem, res hoc pacto se habet, sicuti dicimus, ergo dari potest relatio transcendentalis causæ ad effectum, vt possibilem, quæ tota doctrina probata est in logicis.

Dico secundò ad quæstionem de re: entitatem causæ in actu primo habere essentialem connexionem cum effectu, vt possibili. Est sententia communior, quam defendunt P. Suarius, & Hurtadus. Probatur primò, quia posse facere effectum est prædicatum essentiale adæquatè intrinsecum causæ in actu primo, sed tale prædicatum inuoluit essentialem connexionem cum effectu, ergo causa habet essentialem connexionem cum illo. Maior probatur, quia potentia, & virtus productiua est ipsa essentia causæ in actu primo; quid enim aliud est essentialiter causa, nisi id quod habet virtutem producendi effectum? saltem ipsa radix, quæ exigit virtutem productiuam, & causatiuam est ipsa entitas causæ, ne detur processus in infinitum; debet enim dari vltimum, cui debeatur virtus effectiua,

Digitized by Google

na, quod vlti mum appello radicem virtutis. Probatur iam minor, quia talis conceptus, nempe posse producere, formari nullo modo potest, nisi aliud saltem in confuso intelligatur; productio enim implicat, quod sit ad ipsum producens, sed essentialiter est ad aliud, ergo non potest intelligi res, vt potens producere nisi intelligatur saltem in confuso aliud vt producibile, seu possibile, ergo conceptus illius prædicati essentialis ipsi causæ, nimirum: posse producere, non est absolutus, sed essentialiter est relatiuus ad aliud.

Probatur secundò, quia si sol v. g. posset producere solum calorem, & non posset producere etiam lumen, sol essentialiter differret ab hoc sole de facto, ergo connexio solis cum lumine, vt effectu à se possibili, est de essentia solis. Consequentia patet, nam tunc in tali casu esset in sole posse producere, quadoquidem posset tunc producere calorem, ergo solùm differret, quia implicaret productio luminis à sole, ergo talis productio possibilis est de essentia huius solis. Antecedens probatur, quia est prædicatum essentiale in sole: posse producere lumen, sed hoc prędicatum tunc deesset, ergo deesset aliquid essentiale. Maior probatur, quia potentia in sole productiua luminis, vel est illi accidentalis, vel est essentialis. Si secundum, habeo intentum, si primum peto: hoc accidens, vel exigitur ab essentia solis, vel non. Si primum habeo intentum, quia ea exigere iam essetialiter exigit illud accidẽs vt immediatũ effectũ suũ. Si secundum, ergo sol nullo pacto est causa luminis, ergo potentia productiua luminis est in sole, tanquam si esset in ligno, cum ab eo non exigatur, ergo si deesset talis exigentia deesset aliquid essentiale soli, & redit totum argumentum.

Obijcies primò, sequeretur ex hoc, causam dependere ab effectu hoc est absurdum, ergo, & antecedens; Sequela probatur, quia quod transcendentaliter refertur ad aliud, esse non potest sine illo, ergo dependet ab eo.

Respondeo negando sequelam; vt enim supra vidimus ex eo, quod aliquid esse non possit sine alio, malè infertur dependentia illius ab isto; imò hoc in causa arguit potius perfectionem, quàm imperfectionem, quod scilicet esse non possit sine posibilitate effectus, sicuti amor Dei, quo amat possibilia, non potest esse sine possibilitate obiecti; ita vt neq. esset talis omnipotentia, si implicarent posibilia, & hoc arguit perfectionem in Deo. Ratio huius rei est, quia potest res aliqua essentialiter connecti cum alia nõ per imperfectionem, seu indigentiam, quam habet in se, sed per indigentiam alterius, quam habet respectu illius, & ità quia Deus est continens

om-

omnes perfectiones excogitabiles, creatura habet exigentiam, vt contineatur in potentia Dei, & ita est connexio essentialis inter Deum, & creaturas, tanquã dependentes ab eo, & indigentes Omnipotentia Diuina, vt ponantur in statu actuali; quare sicuti Deus non potest non esse fons omnis perfectionis, ita non potest non exigere, vt à sua infinita perfectione profluat possibilitas creaturæ, adeoque ratione suæ perfectionis connectitur cum creatura, sed de hoc alibi. Miror autem aliquos Theologos negantes mutuam causalitatem, & tamen asserentes, quod essentialis connexio vnius respectu alterius dicat dependentiam, nam in ipsorum sententia actio non pendet ab effectu, sed potius effectus ab ipsa, & tamen actio etiam per ipsos est essentialiter connexa cum effectu, ergo cõnecti essentialiter cum alio non dicit pendere ab illo.

Dices. Si non dicit pendere, saltem dicit indigere, Deus autem non indiget creatura, & ità non potest connecti cum ea, vt possibili; Sed contra est, quia indigere, vel significat, qud hoc non esset, nisi esset illud, & certè si hoc significat, Deus Pater indiget Filio, quod communiter nõ admittitur; si indigere dicat, hoc exigere illud propter limitationem perfectionis intrinsecæ, certè hoc non competit Deo non exigit enim possibilitatem creaturarum, propter limitation em perfectionis suæ, sed propter illimitationem. Quod si dicas in omnibus alijs entibus quando vnum exigit aliud, exigit propter limitationem perfectionis, ergo etiam in Deo.

Respondeo verum esse antecedens, quia quodlibet creatum essentialiter est limitatum in perfectione, ergo si exigit per suam entitatem aliud, exigit propter limitationem; at verò in Deo non militat ista ratio, sed poterit exigere propter infinitatem perfectionis.

Dices secundò. Videtur valdè dura hæc propositio: si non esset possibilis leo, non esset possibilis, neque existens Deus, quia videtur sonare, quod Deus pendeat à possibilitate leonis.

Respondeo, quod hoc non videtur sonare in sententia negante mutuam causalitatem, vt dixi, quia verificatur si non esset hic calor non esset hæc actio, & tamen non sequitur, quod hæc actio pendeat à calore producto, In tantum autem illa propositio esset dura, in quantum conditio propositionis conditionatæ esset possibilis, sed conditio est omnino impossibilis, quia possibilitas leonis est omnino necessaria, quare nullum est periculum, neque physicum, neque metaphysicum, quod non existat Deus. Præterea datur ratio, cur Deus connectatur essentialiter cum possibilitate creaturæ, nam Deus

debet

debet appetere non solùm omne bonum sibi intrinsecum, vt actuale, sed debet etiam appetere omne bonum sibi extrinsecum, vt possibile; posse enim habere bonum sibi extrinsecum, certè est perfectio debita Deo, bonum enim extrinsecum, quantumuis minimum in comparatione Dei, tamen est bonum; ergo possibilitas talis boni debet appeti à voluntate appetentissima omnium bonorum, aliter non esset rationabilis illa voluntas, & appetentia innata Dei, si esset contenta, etiam si nulla daretur possibilitas boni sibi extrinseci; ergo debemus ponere in Deo hunc appetitum innatum, nempe hanc exigentiam, quam appellamus Omnipotentiam, efficaciter appetentem posibilitatem omnium bonorum sibi extrinsecorum. Non tamen debet appetere illorum existentiam, quia illam appetit non per appetitum innatum, sed liberè per voluntatem omninò liberam; vt enim existat creatura, debet Deus liberè determinare. Præterea si omnis creatura esset impossibilis, nec Deus esset liber; libertas enim Dei consistit in eo, quod possit aliquid velle, vel nolle, sed in tali casu nihil esset, pod posset nolle, quia nihil esset possibile, quod posset non esse, quidquid enim tunc esset, esset Deus, qui est necessarium ens in essendo; cæterum hæc argumenta Theologis relinquimus.

Obijcies secundò. Sequeretur ex dictis, quod Deus esset principiatus à creaturis possibilibus, quod videtur absurdum. Sequela probatur, quia creaturæ possibiles essent id, vnde Deus est, & cognoscitur, ergo essent principia respectu Dei.

Respondeo negando sequelam ad probationem dico, principium in essendo esse id primum, vnde res est, aut cognoscitur, at creaturæ non sunt id primum, sed potius Deus est id primum, vndè sunt possibiles, & cognoscuntur creaturæ, siquidem possibilitas creaturarum profluit ab entitate diuina, & est propositio à priori: ideo est possibilis leo, quia Deus existit, ergo creaturæ non se habent vt primum respectu Dei. Similiter etiam soluitur alia obiectio nempe, quod Deus sit magis necessarius, quàm possibilitas creaturæ, ergo non sequitur si non est possibilis leo, neque est Deus, quia esset æquè necessarius, ac possibilitas creaturæ. Respondetur ergo Deum esse magis necessarium, non significat quod possibilitas creaturæ sit ita necessaria, vt possit in aliquo casu euadere non necessaria, quare in hoc, quod id, quod est necessarium nunquam possit euadere non necessarium, non datur magis, neque minus, solùm ergo, Deus dicitur magis necessarius, quia est causa, & origo necessitatis in creaturæ possibilitate, & iuxta principium Aristotelis. Propter quod vnū-

quodque tale, & illud magis; sicuti licet conclusio sit vera, & certa, & præmissæ sint veræ, & certæ tamen præmissæ dicuntur certiores conclusione; ratio autem est quam dedimus in logicis, quia si per impossibile auferenda esset aliqua necessitas, potius auferretur possibilitas creaturæ, quã existentia Dei, quod sufficit, vt dicatur Deus magis necessarius.

Obijcies tertiò. Si causa respiceret essentialiter effectum possibilem, sequeretur, quod implicante vno igne implicaret omnis causa ignis, quod videtur absurdum; sequeretur enim, quod ad comprehendendam causam creatam ignis deberent distinctè cognosci omnes ignes.

Respondeo negando sequelam, non quia sit absurda propter rationem comprehensionis, vt diximus de materia, sed quia causa creata non respicit determinatè effectus numero diuersos, quia posse producere hunc numero effectum nõ est aliqua perfectio debita causæ creatæ, sed causæ increatæ, quia est prima origo cuiuscunque indiuiduationis possibilis.

Obijcies quartò. Si implicarent omnes creaturæ, adhuc daretur Omnipotentia in Deo, saltem sub aliquo conceptu, quia tunc posset facere quidquid non implicaret, & per accidens esset respectu Dei, quod implicarent creaturæ, ergo etiam si nullus esset possibilis ignis, præter ignem A, ignis haberet potentiam producendi alios ignes conditionatè, si essent possibiles.

Respondeo hanc etiam obiectionem solutam esse in quæstione de materia, quare dicimus disparitatem esse inter causam creatam, & Omnipotentiam Dei sub conceptu Omnipotentiæ solùm conditionatè: nam creatura absolutè exigit possibilitatẽ effectus, quia est sibi bonum debitum, vt suppono, at verò Omnipotentia Dei, si semel supponatur simpliciter absoluta, verè nullum respicit effectũ nisi cõditionatè, at verò si Omnipotẽtia Dei ita absoluta à creaturis accipiatur, non habet amplius conceptum realem Omnipotentiæ.

Obijcies quintò. Hæc determinata indiuiduatio ignis A, continetur in virtute suæ causæ, cum fiat, & producatur ab aliqua causa creata, ergo hæc determinatè respicitur ab ea.

Respondeo negando consequentiam, aliud est enim continere hanc determinatam indiuiduationem, aliud est eam determinatè continere. Primum verificatur, quia datur in causa virtus ad eam ponendam. Secundum est falsum, quia continere determinatè dicit, quod effectus, vt talis est, sit bonum causæ debitum.

AR-

ARTICVLVS VI.

An eadem causa possit causare contraria.

CErtum est, in primis causam liberam posse producere contraria simultate potentiæ, nam libertas consistit in eo, vt pro eodem tempore, vel instanti possit produci actus volitionis, vel nolitionis. Nomine autem contrariorum intelligimus hic oppositas quomodocunque, etiam disparata. Certum est secundò, in causis moralibus posse etiam causari ab eadem causa effectus oppositos; qui enim dat consilium ad necem Francisci, potest etiam dare consilium ad conseruationem eiusdem; sic etiam iuxta exemplum Aristotelis, Gubernator nauis potest esse causa submersionis, & salutis nauis. Certum est tertiò materiam esse causam oppositarum formarum, prout diuersimodè disponitur ad agentibus contrarijs. Certum est quartò, quod causa formalis intrinseca non potest causare effectus contrarios, quia cum effectus formalis non distinguatur ab ipsa forma, si forma est eadem non potest tribuere diuersas denominationes eidem subiecto. Potest tamen aliquando dare duplicem denominationem, quæ tamen sit vna formalis ratio realiter, sed ab intellectu in ordine ad diuersa, diuersimodè concipitur, vt cum aliquis se ipsum cognoscit, totus effectus formalis realiter est Petrus, v.g. se ipsum cognoscens, potest tamen à nobis præcisiuè diuidi in duos effectus formales, nempe in Petrum, vt cognoscentē, & vt cognitum per comparationem ad diuersa; videlicet ad ea, quæ solum sunt cognita, & ad ea, quæ solum sunt cognoscentia. Quintò, etiam certum est, causam finalem posse causare effectus contrarios; sic eadem sanitas causat media contraria, v.g. nūc ambulationem, nunc quietem.

Difficultas esse posset de causa efficienti necessaria, an possit causare effectus contrarios, ad quam breuiter dico: causam efficientē proximam immediatam necessariam non posse causare effectus contrarios in eadem materia eodem pacto disposita. Dixi causam immediatam, quia si sit causa mediata, & radicalis, potest per diuersa principia immediata causare aliquo modo contraria, vt anima, quę est radix omnium operationum vitalium, audit per potentiam auditiuam, & videt per visiuam. Dixi cum materia eodem pacto disposita, nam cum etiam materia concurrat, vt causa materia-

lis ad rem producendam, si ea varietur per varias dispositiones, nõ erit amplius apta producere idem, & sic ignis cum materia, & dispositionibus ceræ causat rarefactionem, & fluiditatem; cum materia cretæ, & ipsius dispositionibus causat dẽsitatem, inferro causat mollitiem, & in creta duritiem: præterea rarefacit mel cum primis dispositionibus ipsius, at postquam illæ corruptæ sunt densat idem mel. Quod autem manente eadem materia, & dispositionibus non possit causare effectus oppositos, probatur; quia causa necessaria est determinata ad vnũ, ergo vbi nulla est variatio, nec ex parte materiæ, nec ex parte agentis non potest non sequi idem effectus, atque in hoc sensu benè docuit Aristoteles: contrariorum esse causas contrarias, loquendo videlicet de causis vltimò determinatis, habentibus omnes circumstantias.

Obijcies primò. Illud simpliciter potest dici causa contrariorum, quod applicatum alicui passo causat in eo effectus contrarios, sed ignis applicatus melli primò illud liquefacit, deinde condensat, ergo est causa contrariorum. Antecedens probatur, nam vtraque diuersitas effectuum procedit ab igne, quia ignis introducens dispositiones diuersas fuit causa effectuum contrariorum, sed illud agens, quod introducit dispositiones ad effectus contrarios, debet dici simpliciter producere effectus contrarios, ergo ignis producit simpliciter contraria.

Respondeo cum distinctione: id, quod causat effectus contrarios per se, vel per solas dispositiones à se productas, est causa simpliciter contrariorum concedo, quod causat contraria per dispositiones, quas reperit in passo nego. Ad probationem nego maiorem; nam ignis de se semper produxit ab initio eadem dispositiones in melle, nempe calorem, & siccitatem, sed quia in melle erat magna humiditas, adueniente calore ignis producitur rarefactio, & liquefactio, quæ sequuntur ad humiditatem, & calorem; vnde illa rarefactio, & liquefactio non causantur per se ab igne, vel à solis dispositionibus, ab igne in melle productis, sed ab illis simul, & ab humiditate ipsius mellis, deinde, quia paulatim viribus ignis, corrũpitur illa humiditas mellis, & introducitur siccitas, deficit causa rarefactionis, & fluiditatis in melle, & ponitur causa condensationis, quæ est calor, & siccitas; quare rarefactio in hoc casu non prouenit adæquatè ab igne, sed ab igne simul, & humiditate mellis. Potest ergo euenire effectus contrarius ad præsentiam eiusdem agentis, eo, quod agẽs destruat aliquam dispositionem propriam passi, quæ antequam corrumperetur cum alio accidente producto ab agente facie-

faciebat vnum effectum, at verò ea corrupta fit diuersus effectus ab eodem accidente ab agente producto.

Obijcies secundò, datur potentia radicalis, quæ immediatè producit potentias inter se oppositas, v.g. anima est radix virtutis expulsiuæ, & attractiuæ duritiei in osse, & mollitiei in carne, ergo datur potentia immediata ad contraria.

Respondeo illas potentias nō esse contrarias, imo maximè inter se connexas, & concurrentes ad eumdem finem, sicuti odisse malum, & amare bonnm nullo pacto sunt oppositas; virtus enim expulsiua habet per se expellere noxia, & attractiua attrahere vtilia, qui effectus certè non sunt oppositi. Ad duritiem, & mollitiem dico dari diuersas materias cum diuersis dispositionibus in osse, & in carne, & consequenter datur materia diuersimodè disposita adeòque semper valet conclusio, quod causa determinata, & immediata in materia æquè benè disposita, semper causat eundem effectū.

ARTICVLVS VII.

Causarum diuisio &c.

DIuiditur primò causa ab Aristotele hìc textu 26. & 5. Metaphysicæ cap. 2. in quatuor classes, quæ sunt Efficiens, finis, materia, & forma, colligit hanc diuisionem ex varijs causandi modis, quos Aristoteles hic appellat manifestissimos; hi autem ad quatuor reducuntur, nam vel causæ sunt intrinsecæ toti, quod causatur, vel extrinsecæ; si sunt intrinsecæ, non habent rationem perfectibilis, & tales sunt causæ materiales; vel perfectiui, et sic erunt causæ formales, sin autem sint extrinsecę, vel sunt id, vnde prouenit effectus, tanquam à determinatiuo existente, et sic sunt causæ efficientes, vel sunt id propter quod, et cuius gratia est effectus, et sic sunt causæ finales, neque præterea est assignabilis alius modus causandi, ergo diuisio Aristotelica est bona. Licet autem Aristoteles hic sex modos causarum assignet eosque deinde diuidat in causas actu, et potentia, hi tamen modi nō constituunt diuersa genera causarum, quia adhuc participant eandem rationem causandi, iam explicatā, vt patet ex ipsis diuisionibus modorum, nam in prima diuisione, diuiditur causa in priorem, et posteriorem, hoc est in magis, vel minus vniuersalem; in secunda in causam per se, et causam per accidens &c. quæ diuisiones possunt reperiri in eodem genere causandi,

di, nam datur efficiens vniuersalior, et particularior, et quæ per se causet, et quæ per accidens.

Secundò, diuiditur in efficientem vniuocam, et æquiuocam. Vninoca est, quæ producit effectum sibi similem eiusdem speciei, vt ignis producit ignem. Æquiuoca est, quæ producit effectum diuersum specie à se, vt est Cœlum producens plantam, et sol producens calorem, et quælibet substantia quando producit accidens.

Tertiò diuiditur causa in causam per se, et per accidens ex Aristotele hic textu 35. causa per se est illa, à qua effectus directè pendet, et ex intentione operantis, vel illud operans sit liberum, vel necessarium. Causa per accidens est, à qua non directè pendet effectus, neque iuxtà intentionem operantis. Atque hæc duplex est, vel ratione effectus, vel ratione causæ: per accidens ratione causæ est, cum vna causa coniungitur cum alia, sed nullo modo concurrit cum illa; quamuis denominetur causare, siouti aqua calida dicitur calefacere, et tamen aqua secundum se non concurrit ad calefactionem, quam solus calor producit, sed aqua coniuncta per accidens cum calore dicitur calefacere non ex intentione aquæ, sed ratione caloris. Causa per accidens ratione effectus est, cum aliquis effectus per se non intentus ab agente, imo aliquando positiuè illi contrarius, est coniunctus cum alio effectu per se intento à causa, vt cum aliquis proijcit tegulam, vel lapidem ludens, et frangit alteri caput, motus tegulæ est per se intentus, fractio capitis est effectus per accidens, quia est coniuncta in tali casu cum proiectione tegulæ, præter intentionem operantis.

Quartò, diuiditur in causam physicam, et moralem. Physica est quando agit per realem actionem, et per suam existentiam denominat effectum, vt cum ignis calefacit. Moralis est primò in ratione moris, cum dat malitiam, vel bonitatem actui, vt est causa libera. Secundò est causa, quæ agit ex intentione libera hominum, vt cæpana, vel laurus, indicant aliquid, quod non indicarent physicè ex natura sua, tales sunt tesseræ, et symbola inter mercatores exprimentia valorem, vel aliquid aliud; sic etiam dicunt aliqui esse Sacramenta iuxta probabilem Theologorum sententiam, quod scilicet causent aliquid solum ex institutione Diuina, non autem habeant physicum influxum in effectus; ita dicunt, qui putant Sacramenta solum causare moraliter.

Quintò, diuiditur in principalem, et instrumentalem. Principalis est, quæ virtutem in se habet producendi effectum, vt ignis habet virtutem producendi ignem. Instrumentalis est, quæ accipit virtutem

rutem ab alio, siue illam intrinsecè recipiat, siue solũ habeat extrinsecè assistentem, sic serra ad lignum secandum non habet in se virtutem, sed secat, ũt determinata, & mota ab alio, vnde bene dicitur instrumentum agere vt quo, agens principale agere vt quod; atq; in hoc sensu creatura in ordine ad effectus, quos facit, vt causa naturalis non est in rigore instrumentum Dei, quia non est id, quo Deus producit effectum, sed verè ipsæ creaturæ producunt, quamuis essentialiter requirant Deum concurrentem, quia sunt causæ secundæ. Possunt tæmen in aliquo sensu dici instrumenta Dei, quia omnes indigent assistentia Diuina ad hoc, vt causent, atque in hoc sensu appellantur instrumenta Dei à S. Thoma, & alijs.

Vt melius explicetur hæc diuisio aduertendum est, quod causare per virtutem propriam, non est solùm determinare quomodocunque existentiam effectus, sed est ponere connaturaliter illam determinationem effectus, vndè aqua in Baptismo facta suppositione, quod causet physicè gratiam, est instrumentum, & non causa principalis; quia non exigit naturaliter producere gratiam; quod si causa principalis sit partialis, differt etiam ab instrumento, quia causa principalis partialis naturaliter exigit concursum alterius causæ, vt producat effectum. Instrumentum autem nullo pacto exigit habere aliam concausam, e. g. intellectus est causa principalis cognitionis, quare exigit naturaliter species, quæ sunt altera concausa, quibus adiutus producat intellectionem. Verum idem intellectus ad producendum, v. g. actum supernaturalem fidei, se habet, vt instrumentum, quia naturaliter non exigit habere habitum fidei supernaturalem, vel aliquid supernaturale adiuuans ipsum intellectum ad producendum actum fidei, & ideo dicitur simpliciter intellectus non habere virtutẽm ad actum fidei supernaturalem, & habere virtutem ad actum naturalem cognitionis. Similiter serra, quia naturaliter non exigit consortium alterius causæ ipsam adiuuantis ad secandum, idcirco dicitur instrumentum sectionis, non autem causa principalis, quare virtus causæ semper sonat aliquam proportionem causæ cum effectu, & exigentiam naturalem, vt detur causa adæquata ad suum effectum.

Sextò diuiditur causa in mediatam, & immediatam. Immediata est, inter quam, & actionem productiuam nihil requiritur. Mediata est, inter quam, & actionem productiuam requiritur aliquid aliud.

Septimò diuiditur causa in primam, & secundam. Causa prima est solus Deus, qui dicitur concurrere immediatè ad omnem effectum,

tum,& entitatem creatam,siue illa naturalis sit,siue supernaturalis. Causa secunda,est creatura,quæ in operando subordinatur ita Deo,vt simul cum ipsa concurrat ad omnem effectum.

Octauò diuiditur causa in totalem,& partialem,seu adæquatã, & inadæquatam. Totalis est,quæ sola facit effectum,vt est lucerna illuminans tanta claritate cubiculum; partialis, siue inadæquata, est,quæ producit effectum indiuisibiliter cum alia, vt sunt duæ lucernæ illuminantes tanta claritate cubiculum, ex quibus singulæ sunt causæ partiales. Præterea causa totalis potest dupliciter accipi. Dicitur primò causa totalis totum determinatiuum, quod simpliciter requiritur ad effectum, in quo sensu omnes causæ conflant vnam causam adæquatam ad producendum totum, et in eodem sensu singulæ causæ,nempe efficiens,materialis,et cæteræ sunt causa partialis. Secundò dicitur causa totalis in genere suo, quoties se sola causat efficienter actionem productiuam effectus,et in hoc sensu accipitur communiter causa totalis, et hoc satis de causarum diuisionibus.

QVAESTIO VI.

De causa efficienti

ARTICVLVS I.

Quid sit causa efficiens.

DEfinitur causa efficiens ab Aristotele hic textu 29. et alibi:est id vnde principium mutationis primum, aut quietis; quæ definitio indiget explicatione, vt soli efficienti conueniat. Dicitur ergo esse id,vnde initium primum,et exordiũ sumit motus,vel quies,vt explicat Themistius, vndè communiter dicitur causa efficiens esse primum principium vnde motus, aut quies prouenit; particula, vnde,non sumitur, sicut in definitione principij,vniuersaliter pro quacunque sequela vnius ab altero,sed explicat propriam rationem causæ efficientis; nam sicuti materia est,ex qua educitur forma; forma est id, quo constituitur compositum,finis est propter quem res est,sic efficiens est id,vnde prouenit motus

motus per veram dependentiam ab ipsa. Dicitur primum principium, vt distinguatur à reliquis causis, quæ licet sint principia, tamen non sunt prima; materia enim est indeterminata ad hunc, vel illum effectum causandum, quia appetit quantum est ex se omnes effectus, et ideò debet determinari ab agente, quare non potest dici principium primum operationis; forma etiam supponit causã efficientem à qua producitur. Potest esse difficultas de fine, quia etiam agens agit determinatum à fine. Facilè tamen soluitur ex eo, quod finis sit primum principium in ordine intentionis, et non in ordine executionis; illud enim ex quo physicè, et realiter existente; operatio procedit, est efficiens, cum finis non debeat existere, nec causare per suam existentiam, sed solùm per apprehensionẽ sui, quare solum efficiens inter causas, quæ agunt per existentiam, est primum principium; particula, mutationis, complectitur tam motum successiuum, quàm productionem instantaneam: dicitur principium quietis, quatenus quies est vltimum, quod per motum acquiritur, adeòque, ab efficiente per motum procedit.

Petes: an hæc definitio conueniat causæ efficienti instrumentali?

Respondeo conuenire secundariò, nam in eo genere causandi, quod in executione est primum principium motus, instrumentum causat secundariò in virtute causæ principalis, et quamuis non sit primum, si compararetur cum causa principali, est tamen primum respectu aliarum causarum, quæ causant in alio genere, nempe respectu causæ materialis, et formalis.

Dices: Aristoteles numerat inter causas efficientes belli, furtum, ratione cuius ortum est aliquod bellum, et tamen furtum non est primum principium belli efficienter.

Respondeo: furtum sui cognitione secundum existentiam mouere homines efficienter ad bellum, vel physicè, vel moraliter, iuxta varias sententias; semper tamen verificatur, quod sit causa efficiens belli, et causet per suam existentiam mediatè bellum.

Hanc Aristotelis definitionem de causa efficiente reijciunt P. Hurtadus hic disp. 9. sect. 1. et Arriaga dist. 9. sect. 1. tum quia dicunt, non conuenit causæ creanti, tum quia non conuenit causis creatis, quæ non sunt prima principia. Affert Hurtadus definitionem propriam, quæ est: Causa efficiens est principium per se influens in aliud sine mutatione sui, ex præcisa ratione influxus, quã paucis mutatis sequitur Arriaga. Causa est, quæ per se tribuit extrinsecè esse effectui ex præciso conceptu efficientis.

Vtriusque doctrina contrà Aristotelem, et vtraque definitio displicet, magis autem ea, quam affert P. Arriaga. Si enim causa efficiens extrinsecè, hoc est extra se, deberet tribuere esse effectui ex præciso conceptu efficientis, nulla causa efficiens posset simul esse causa passiua, sicuti de facto est intellectus, qui producit, et recipit suas intellectiones, et omnis creatura, quæ aliquid causat efficienter in se ipsa. Sequela probatur, nam tribuere esse effectui intrinsecè, et tribuere esse effectui extrinsecè, sunt omnino contraria, et incompossibilia, vt patet, sed causa efficiens per se habet ex præciso conceptu efficientis tribuere esse effectui, ergo si de facto tribueret intrinsecè, verificarentur duo contradictoria, nempe, quod ratione causæ efficientis tribueret extrinsecè. Ex alio capito tribueret intrinsecè, sicuti si ex vno capite debeo facere aliquid extra scholam, non possum de facto facere illud intra scholam ex quocúque alio capite; debuisset ergo potius dicere, quod causa efficiens ex præciso conceptu efficientis non habet facere intrinsecè, sicuti dicit bene quòad hoc P. Hurtadus; aliud enim est ex præciso cõceptu efficientis nõ facere intrinsecè, aliud est ex præciso cõceptu illius facere extrinsecè, sicuti animal ex conceptu animalis non habet esse rationale, at verò falsum est, quod animal sub conceptu animalis habeat non esse rationale: primum facit se vsum præcisiuum, et verum; secundum negatiuum, et falsum.

Impugnatur præterea vtraque definitio, nam aliqua causa efficiens, præcisè etiam vt efficiens, facit in se mutationem, ergo non causat sine sui mutatione, etiam prout efficiens. Antecedens probatur, nam intellectus, quatenus producit efficienter vnionem inter se, et cognitionem (puto, quod hæc vnio sit idem cum ipsa intellectione, et influxu in cognitionem, sed quomodocunque sit, est eadem vis argumenti) per hanc productionem, vt est influxus efficientis mutat se ipsum; mutare enim se, non est posse concurrere ad aliquam mutationem, sed illam habere sibi vnitam; materia enim per animam rationalem sibi vnitam præcisè mutatur, etiam si anima non subsistentet, et etiam si ipsa vnio crearetur sine concursu materiæ; mutari enim est esse capacem perfectionis, & nouæ formam sibi vnitam habere, sed intellectus, vt influens in vnionè cognitionis cum se ipso formaliter ex vi præcisa talis influxus vnitiui vnitur cum intellectione, ergo ex vi præcisè influxus mutatur. Ratio à priori est, quia hoc ipso, quod forma, siue influxus, qui producitur, essentialiter est talis, vt se ipso essentialiter vniatur cũ producente, præscindendo à subsistentatione cui vnitur, non potest intelli-

intelligi produci ab agente, quin ex vi talis productionis vniatur intrinsecè cum ipso agente, adeoq; quin ipse agens per talem influxum intelligatur mutatus, præscindendo ab omni alio influxu materiali, quomodo ergo efficiens habet hoc, vt præcisè non mutet se ipsum intrinsecè?

Dices. Certum est aliquas causas efficientes non mutari intrinsecè per productionem effectus, vt est Deus, & ea, quæ agunt in subiectum extrinsecum, licet ergo dentur causæ, quæ agendo mutentur intrinsecè, adhuc tamen potest formari conceptus præcisus conueniens verisque causis, qui solùm explicet influere esse in aliud, præscindendo, an mutetur per eum influxum intrinsecè causa, an non mutetur. Sed contra est, nam quamuis possit formari talis conceptus, qui certè conueniet omni causæ efficienti, non est tamen proprius causæ efficientis, sed etiam conueniet causæ materiali, quamuis enim ipsa habeat essentialiter mutari intrinsecè ab effectu, tamē potest etiam de ipsa prædicari hæc ratio vniuersalissima, est influens in aliud, præscindendo, an per talem influxum mutetur, an non mutetur ex vi talis influxus, ergo talis conceptus nō est proprius causæ efficientis. Præterea talis conceptus non explicaret adæquatè rationem efficientis; nam vt probatum est, datur efficiens, qui præscindendo ab omni alia causa habet mutari intrinsecè à suo influxu, ergo talis modus causandi cum sui mutatione est aliqua differentia propria efficientis, vt habet talem modum efficiendi, adeòque non explicaretur omnis ratio efficientiæ, prout est contradistincta à reliquis causis.

Ad difficultates, quas hi Auctores mouent contra Aristotelem, respondetur ad primam: ab Aristotele dictam fuisse causam efficientem primum principium mutationis, & quietis, quia non agnouit creationem in natura, sed perpetuas mutationes in subiecto, sed nō idcircò non potuit applicari definitio etiam causæ creanti; nam per creationem aliquomodo fit mutatio a parte rei, nam ex non esse simpliciter, creatura transit ad esse, & quiescit sub diuina conseruatione, quare facilè est applicare illam vocem mutationis, vt etiam creationem comprehendat, cum de conceptu obiectiuo non laboremus. Ad alteram difficultatem respondetur, quod si comparetur efficiens cum reliquis causis, per realem existentiam causantibus, ipsa est primum principium determinationis effectus, quamuis inter ipsas causas efficientes alia sit principalior, vt est causa principalis respectu instrumentalis; præterea neq; sola causa principalis est adæquatum determinans respectu effectus, nam effectus

dependet etiam physicè ab instrumento, & variato instrumento fit varius effectus, quare etiam ipsum instrumentum ad talem determinationem primò determinat.

In causa efficienti multa possumus considerare, primum est id, quod denominatur causare, in quo sensu accipiendum est axioma: actiones sunt suppositorum, vel, vt ait Aristoteles, individuorum; illud enim, quod denominatur agere, semper est aliquid individuũ, quamuis non agat secundum omnes sui partes, sed solùm secundũ vnam.

Potest secundò considerari ipsa vis actiua causæ efficientis, per quam agit, & hæc dicitur virtus agentis, sic anima intelligit per virtutem intellectiuam, & ignis calefacit per virtutem calefactiuam; hæc autem virtus certum est, quod se teneat ex parte causæ, cum per eam causa agat vt quo. Tertiò considerari potest ipsa actio, qua causa efficiens producit effectum, & per quam formaliter est actu concurrens in actu secundo, hæc actio appellatur causalitas, & influxus efficientis in effectum.

Loquendo de virtute causatiua efficientis: fuerunt aliqui, quos citat, & impugnat P. Suarius in metaphysica disp. 18. sect. 5. num. 5. eorumque sententiam erroneam appellat: hi negarunt creaturis conuenire virtutem causandi, & solùm dixerunt esse propriam Dei; creaturas autem potius esse conditiones, quæ verè nihil influant in effectum, sed solum ad earum præsentiam produci effectum à Deo, sicuti ad præsentiam literarum mercator soluit pecuniam: Sed cõtra est primò, quia videntur huic sententiæ repugnare diuina testimonia, Lucæ 10. Arbores cum producunt ex se fructus, Gen. 1. Germinet terra herbam virentem, vbi S. Basilius hom. 9. ait ex vi horum verborum accepisse res naturales efficaciam efficiendi rerum generationes. Secundò contra est Concilium Tridentinum sess. 6. can. 4. damnans dicentes: liberum arbitrium creatum nihil omnino agere, & merè passiuè se habere. Et definitiones Conciliorum contra Monothelitas; definiunt enim in Christo esse duo principia operandi. Præterea tolleretur meritum, & demeritum ab homine, cum ipse nihil facere posset. Tertiò contra est, quia non est deneganda talis perfectio creaturis, ad quarum immediatam præsentiam videmus existere nouos effectus. Demum experimur in nobis istam vim producendi nostros actus voluntatis, & cognitionis quos experimur à nobis produci; quis enim non experitur dum aliquid amat, quod ille actus amoris proueniat à semetipso? quare propter has rationes, & propter multa absurda, quæ sequerentur com-

Digitized by Google

communiter reijcitur hæc sententia. Legite Suarium loco citato.

Objicitur contra auctoritas S. Augustini lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 9. dicentis, causas corporeas non esse numerandas inter causas efficientes. Sed facilè respondetur, S. Augustinum solum ibi dicere, quod causę corporeæ non se applicant ad efficiendum hoc vel illud, sed operãtur ex necessitate naturæ; quare solum illis negat liberam efficientiam, non autem necessariam; argumentatur enim ibi contra Ciceronem, qui negabat posse dari libertatem simul cum præscientia Dei, vbi retorquet contra ipsum Ciceronem rationem, quã ille afferebat, quod nempe dabantur causę fortuitę naturales, & voluntariæ. Nam omnes istæ causæ sunt omninò subiectæ Deo, qui est Auctor totius naturæ, & Angelis, & hominibus, qui possunt vti causis necessarijs ad ipsorum libitum; quare in hoc, quod causæ necessariæ causent hìc, & nunc, & faciant hanc seriem effectuum, quæ non est fatalis: quędam necessitas, prouenit, quia sunt subiectę Deo, & agentibus per voluntatem, & ita non negat, eas verè agere, sed solum negat, quod agant cum quadam fatalitate necessaria. Videatur locus Augustini.

Circa causalitatem efficientis Scotus in 4. dist. 13. quæst. 1. & alij dicunt causalitatem esse in agente, & esse relationem, quam appellant extrinsecè aduenientem, quia potest esse fundamentum, & terminus absque eo, quod consurgat hæc relatio. Ponseca 8. metaphys. cap. 2. quæst. 13. sect. 3. vult causalitatem esse causam cum suis dispositionibus, prout actu influit in effectum. Communiter tamen impugnantur, quia actio, seu causalitas agentis se tenet ex parte effectus, & in primis esse non potest relatio prædicamentalis, quia relatio essentialiter supponit rationem fundandi, & terminum existentem, sed non potest esse terminus existens, nempe forma, quæ producitur, nisi per causalitatem, ergo causalitas non potest esse posterior forma, & per consequens non potest esse relatio prædicamentalis. Impugnatur etiam Fonseca, quia causa cum dispositionibus est solùm causa in actu primo proximo, ergo per eam non habetur formaliter positio effectus. Connotatio autem effectus existentis non potest esse ipsa entitas causæ, & dispositionum; quia his positis potest miraculosè non poni effectus, ergo ipsius formalis positio nõ est causa cum dispositionibus. Cæterùm hæc quæstio potest esse de voce: possunt enim nomine causalitatis intelligere non actionẽ, qua producitur effectus, sed virtutem causatiuam, quæ se tenet ex parte causæ; vel intelligunt nomine causalitatis entitatem causæ, & dispositionum in recto, & actionem in obliquo, ita tamen, vt debeat ap-

appellari causalitas id, quod venit in recto, si loquamur in hoc sensu, solùm est differentia de vocabulo, de quo parum laboro.

Cæterum patet in vniuersum, causalitatem, neq; totaliter, neque partialiter esse in causa, sed in effectu, primo ex Aristotele 9 metaphys. textu 16. vbi ait, quorumcunque præter actionem est aliquid, quod fit, quorum actio est in eo, quod ædificatur & 3. Physicorum textu 18. & seqq. dicitur actio est actus in hoc prout ab hoc, ergo causalitas & actio est ab agente, sed in passo. Præterea ibidem ait, motum esse in mobili, & subdit, actionem, & passionem esse idem realiter cum motu, ergo si motus est actio, & est in passo, etiam actio erit in passo. Neque dicas, esse duplicem actionem, vnam agentem, quæ sit in agente, & alteram actam, quæ sit in passo, vt videtur sentire S. Thomas 2. contra Gentes cap. 9. & quæst. 97. de potentia art 9. ad 7. nam Aristoteles loco citato ait, eumdem actum esse actiui, & passiui; ergo non datur actio in agente diuersa ab actione, quæ est in passo. Secundò contra est, quia Deus est vera causa efficiens, nec tamen mutatur intrinsecè, quando aliquid producit, ergo tota causalitas, qua effectus producitur, se tenet ex parte effectus. Neque dicas, Deum non esse capacem nouæ denominationis intrinsecæ; contra enim est, quia si causalitas habet ex sua essentia esse in causa, Deus, quia non est capax causalitatis intrinsecè, non posset denominari causa, ergo si est capax denominationis causæ, causalitas non debet esse in agente, sed in passo.

Dices primò, cum Caietano prima parte quæst. 26. art. 1; causalitatem esse intrinsecam causæ, sed non denominare Deum agentem, nisi posito effectu, sicuti aliqui dicunt de relatione. Sed contra est primò, quia in Logica probatum est, quod si res aliqua est secundum suum esse, non potest non denominare, cum esse, & denominare idem sint. Secundò, quia saltem actio supponeret terminū productum, sicuti relatio in ea sententia supponit terminum existentem, at verò implicat, quod supponatur effectus ante actionem.

Dices secundò. Denominatio agentis est partim intrinseca, partim extrinseca agenti; intrinsecè, dicit vnam actionem, per quam adhuc non denominatur agens, extrinsecè dicit alteram in passo, & ab vtraque habetur denominatio adæquata; in Deo datur semper actio intrinseca, quæ est infinita perfectio Dei, at in creaturis, in quibus non est infinita perfectio, debet dari actio tam in agente, quàm in passo, & vtraque de nouo producta. Sed contra est primò, quia gratis, & sine vlla necessitate ponitur duplex actio; satis enim est in agente virtus, nec vlla apparet ratio, cur agens debeat mu-

Digitized by Google

mutari intrinsecè ad hoc, vt agat. Secundò quia, vel vtraque actio immediatè pendet ab agente, vel vna actio pendet etiam ab alia, sed neutrum dici potest, quia in vtroq; casu actio interna esset operatio vitalis, & ita quando ignis producit ignem produceret in se actionem vitalem, quod est falsum; quod autem esset vitalis probatur, quia esset actio immanens, determinans ipsum agens ad operationem externam, sicuti actus voluntatis determinat motum manus.

Obijcies primò. Si actio est in passo debet ipsum denominare agens, quod est absurdū. Sequela probatur, quia forma denominat subiectū, & denominatione, cuius ipsa est forma abstracta, vt patet in omnibus denominationibus, sed ipsa est forma abstracta denominationis agentis, ergo debet denominare agens subiectū in quo est.

Respondeo negando sequelam: ad probationem distinguo maiorem debet denominare subiectum habens actionem concedo, debet denominare subiectum agens nego; licet enim actio sit forma abstracta agentis, non tamen habet denominare agens illud, in quo est, nisi ab eo efficienter procedat; entitas enim actionis per se in abstracto considerata, tam est forma dans denominationem agentis, quam passo, & dependenti; vndè si accipiatur, vt denominans entitatem illius, à quo procedit dabit denominationem agentis, si accipiatur, vt denominans id, in quo est, habet dare denominationē dependentis. Optima autem, & vniuersalis regula esse potest, quoties denominatio nihil aliud significat, nisi quod subiectum habeat formam in se intrinsecè, semper subiectum denominatur tale, qualis est denominatio, vt album, calidum, & similia; quare nihil aliud significat, nisi inhærentiam in subiecto, & iuxta hanc regulam passum denominatur habens in se actionem agentis, at verò cum denominatio non significat hanc inhærentiam, sed potius significat aliquam connexionem cum aliquo extrinseco, tunc talis denominatio non potest denominare subiectum; sic visio denominat visum non id, in quo est, sed terminum visionis; cum enim voces sint institutæ ad significandum prout volumus, hæc vox visum significat esse terminum visionis, & ita non denominat oculum visum, sed videntem, similiter actio non denominat agens, nisi id, à quo prouenit, passum verò denominat id in quo est.

Obijcies secundò. Pater Æternus habet generationem actiuā in se, & in filio est generatio passiua, distincta realiter ab actiua, ergo etiam in creatis est duplex actio, altera in agente, altera in passo.

Re-

Respondeo, negando consequentiam: disparitas est, quia in tantum Pater in diuinis debet habere intrinsecam formam, per quã generet, quia essentialiter habet per suam entitatem intrinsecam, non solùm posse generare, sed actu etiam generare filium, id autem, quod est essentialiter constitutiuum entitatis intrinsecè, debet esse intrinsecum. Similiter filius habet, essentialiter per suam entitatem generari à Patre Deo, & ita debet etiam habere intrinsecè generationem passiuam, quæ est ipsum generari, at verò in creaturis agens non habet essentialiter actu causare, nec ipsa causatio est constitutiua entitatis ipsius, et ideò non debet habere actionẽ intrinsecam actiuam, sed solum sufficit vis causatiua, contra verò res causata habet essentialiter causari, et ideò debet intrinsecè habere actionem, per quam causetur, ex qua disparitate magis confirmatur nostra doctrina.

Obijcies tertiò. Ideò ponitur actio in effectu, quia effectus est indifferens, vt sit ab hac, vel ab alia causa, sed causa etiam est indifferens; vt causet hunc vel illum effectum, ergo debet dari actio in causa, ipsam determinans.

Respondeo negando præcisè maiorem; ratio enim, cur actio ponatur in effectu est, quia ratio producti est essẽtialis effectui, adeòque illi intrinseca, quæ ràtio non militat in agente, quia non est essentialiter agens actu.

Obijcies quartò. Causalitas, siue actio, si esset quid diuersum à causa, fieret ab illa, ergo esset effectus, & non causalitas.

Respondeo distinguo antecedẽs, fieret vt quo concedo, vt quod nego, fit vt quo ipsa actio, quia est id, qno formaliter effectus pendet à causa, ipse autem effectus fit vt quòd, quia est id, quod fit à causa, quare causalitas procedit quidem ab efficiente, tamquam determinatio effectus, & hoc dicimus causari vt quo, ipse verò effectus, quod est id, quod determinatur ad existendum, causatur vt quod.

Obijcies quintò. Agere est perfectio causæ, ergo non est denominatio illi extrinseca, cum agens agat per suam virtutem, quam habet in se.

Respondeo, quod agere in actu secundò, non est perfectio intrinseca agentis, sed extrinseca; arguit tamen perfectionem intrinsecã, arguit enim virtutem causæ, per quam determinat effectum; patet hoc apertè in Deo, qui ex eo, quod rem aliquam producat, nõ est intrinsecè perfectior, sed tamen magis arguitur eius perfectio.

A R-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

An actio sit distincta à termino?

NOmine termini venit hìc forma de nouo producta, & dicitur. Terminus formalis. De hoc quærimus, an ipsum solum realiter sit actio, an verò habeat aliquem modum à se distinctum, per quem dependeat ab agente? in quo potest fieri magna quæstio de voce, an scilicet nomine actionis veniat in recto terminus, & in obliquo modus distinctus à termino, an veniat in recto ipse modus, & terminus in obliquo? Magis placet eorum loquutio, qui nomine actionis intelligunt modum ipsum, per quem forma producitur. Ratio est, quia verè per talem modum forma dependet ab agente, ab eodem determinatur, & producitur; sed nomine actionis intelligimus id, quo effectus producitur, & dependet ab efficiente, ergo qui aliter loquitur, inuertit vocabula, appellando effectum id, per quod dependet à causa.

Relicta hac quæstione de nomine. Triplex potest esse sententia de re, Prima dicit, actionem esse solùm terminum, prout connotat agens, ad quod cõnotandum dicit; opus non esse alio modo distinctũ ab ipso termino, sed solùm sufficiunt circumstantiæ, & dispositiones agentis, & passi, ità communiter nominales in secundo dist. 1. quæst. 1. Marsil. 3. Physicorum initio Albertus de Saxonia quæst. 4. & 8. Buridana quæst. 2. & alij recentiores.

Secunda sententia docet: præter terminum productum dari etiã aliquem modum ab eo distinctũ, quo terminus dependet ab agente formaliter, vt cum illo extrinsecè connexus, siue iste modus sit appellandus actio, siue modus actionis. Ità Paulus Venetus 3. Physicorum. Burlęus hic textu 11. Capreolus in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 2. & communiter Thomistæ. Suarius disput. Metaph. 28. & 29. Ruuius hic, Hurtadus disp. 2. Physicæ sect. 2. Arriaga hic disp. 9. sect. 3. Ouiedus lib. 3. Physicorum contr. 12. pun. 1. & est communior sententia apud doctos recentiores.

Tertia sententia est aliquorum recentiorum, dicentium, actionem consistere in ipso decreto Dei adæquatè illi intrinseco, adeòq. negant modum superadditum termino.

Dicendum videtur: actionem esse, vel saltem inuoluere modum distinctum à termino, per quem formaliter dependeat ab agente

determinato, & illud respiciat tamquàm per relationem dependentiæ.

Probatur conclusio, primò argumento communi, et efficaci: entitas termini est indifferens, vt sit ab hac numero causa, vel ab alia, ergo aliquid aliud debet dari, per quod formaliter dependeat ab hac numero causa. Consequentia probatur, quia terminum dependere ab hac numero causa, est aliqua realis denominatio, ergo debet dari aliqua forma realis, sed talis forma non est entitas termini, et causæ simul, cum sit indifferens ex se terminus dependere ab hac potius, quam ab alia causa existente; ergo debet dari aliqua entitas, quæ formaliter connectat entitatem effectus cum hac causa. Primum antecedens probatur, quod scilicet entitas termini sit indifferens, vt existat ab hac, vel alia causa; nam existente causa, et entitate effectus, potest eadem entitas non pendere à causa, sic calor qui producitur in hoc instanti à causa A. tempore subsequēti non amplius ab ea pendet, et tamen vtraq. entitas existit. Præterea potest Deus se solo producere hoc lumen, quod producitur à Sole, etiam si non annihilet Solem, neque eum tollat à tali situ, in quo casu perseuerat idem lumen, et idem Sol, et tamē realiter hoc lumen non pendet à sole, ergo lumen hoc pendere à sole est aliquid aliud præter entitatem luminis, et solis hic existentis, hoc autem aliud appello actionem, per quam essentialiter hoc lumen dependet ab hoc sole.

Huic argumento respondent primò, lumen dependere à sole per suam entitatem, positis tamen omnibus dispositionibus.

Sed contra est, quia istæ dispositiones ad quid disponunt? non quidem ad existentiam causæ, neque ad existentiam effectus ex vi istius causæ, iam quid est existere hunc effectum ex vi istius causæ? quid inuoluit formaliter hæc denominatio? non quidem existentiam causæ & effectus, quia posset vtraque existere non existente hac denominatione, ergo inuoluit formaliter aliquid aliud; numquid inuoluit ipsas dispositiones? ergo dispositiones sunt dispositiones ad se ipsas, disponunt enim ad hoc, vt ipsæ sint, quod est apertè nugatorium; quare dispositiones, & requisita nihil soluunt difficultatem, nisi assignetur id, quod disponunt, quod est, vt hic effectus pendeat ab hac causa, seu vt hæc causa producat hunc effectū per veram productionem.

Contra secundò est, nam possent etiam existere omnes dispositiones, cum quibus sol producit lumen, & tamen Deus posset se solo illud producere, ergo hoc non sufficit. Antecedens probatur primò

Digitized by Google

primò, quia de facto ignis producit ignem in subiecto, & amoto igne producente, tamen non perit ignis productus, ergo non conseruabatur ab igne producente, quia aliter deberet perire naturaliter. Hoc posito sic argumentor. Erat ignis producens approximatus subiecto cum omnibus dispositionibus, absque vllo impedimẽto, & tamen ignis productus non dependebat ab igne producente toto tempore post primum instans primæ productionis, ergo ignẽ A dependere ab igne B non est vtrumque existere cum omnibus dispositionibus requisitis, quæ de facto aliquando ita existunt, & tamen ignis A non pendet ab igne B; implicat autem, quod sit, tota forma denominans, quin sit pro eodem tempore determinatũ, sicuti implicat, quod existat calor vnitus materiæ, quin existat calidum. Tertiò probatur, quia Deus se solo potest producere lumen, vt patet in accidẽtibus Eucharistiæ, quæ pẽdent à solo Deo, & non à materia. Producat autem Deus, materiam approximatam accidentibus hostiæ consecratæ, imò illis intimè præsentem, certè illa accidentia nõ idcircò pendebunt à materia, ergo hæc accidentia pendere à materia non est solùm existere hæc accidentia, & materiam illis intimam, sed est aliquid aliud præter hæc omnia, videlicet modus quidam, per quem hæc accidentia pendent essentialiter à materia, & idem valet in quolibet effectu respectu suæ causæ.

Respondent secundò, requiri decretum Dei volentis, vt lumen dependeat à sole, quod decretum non habet Deus, quando vult, vt idem lumen dependeat à se solo, quare lumen, & Sol cum tali decreto est dependentia luminis à sole; tunc enim lumen non est amplius indifferens, vt pendeat ab hoc sole. Sed contra est primò, quia hoc decretum Dei volentis lumen dependens à Sole, certè aliquid vult diuersum ab eo, quod vellet per aliud decretum, quo decerneret, vt idem lumen penderet à se solo, etiam præsente Sole, sed nisi detur actio distincta, non posset assignari, quid diuersum vellet in vno decreto, quod nollet in altero, ergo debet dari actio distincta. Maior videtur certa, si enim idem vellet vtroque decreto, extra Deum omnia essent eodem pacto. Minor probatur, quia in vtroque decreto vult existentiam huius luminis, & huius solis cum cæteris circumstantijs; neque aliud quippiam potest assignari in obiecto volito ab vno decreto, quod non sit in obiecto volito ab altero, ergo, vt detur diuersitas, quando Deus vult, vt lumen pendeat à se solo, debet dari alia actio, & dependentia, aliter idem vellet diuersis vocibus expressum; sicuti si dicas: Deus vult per vnum decretum, vt Petrus comedat panem, & per alterum, vt manducet panẽ:

quare si decreta Dei debent causare diuersas denominationes, debet assignari diuersitas in obiecto volito, aliter decretum semper est idem. Secundò impugnatur, quia si Deus de facto haberet hoc decretum, quo vellet lumen à se dependens, & non à sole existente in tali situ, certè ex vi talis decreti faceret id, quod facit nũc de facto, nempe faceret, vt existeret lumen in hoc aere, vt existeret sol in tali situ, quæ omnia de facto sunt, ergo de facto lumen iuxta hanc responsionem pendet à solo Deo, et non à sole, quod est falsum.

Respondent tertiò, quando Deus se solo producit effectum in præsentia suæ causæ naturalis, verbi gratia, lumen in præsentia solis, tunc requiritur actio distincta, quæ est supernaturalis: similiter quando Deus facit, vt aliquid in præsentia suæ causæ non causetur ab illa, sed ab alia causa, tunc etiam requiritur actio distincta supernaturalis, at verò vt effectus dependeat à sua causa naturali habetur ab ipsa entitate effectus, & causæ proportionatæ cum reliquis dispositionibus, & præterea à negatione actionis supernaturalis, per quam effectus ille, vel à Deo solo, vel ab alia causa dependeret. Sed contra est primò, quia iam conceditur modus distinctus actionis saltem supernaturalis, cur ergo non conceditur etiam naturalis? cum illo sint soluenda omnia ferè argumenta, quæ fiunt contra actionem naturalem. Secundò, impugnatur, quia aliud est hanc entitatem, v.g. luminis, solè existente, non pẽdere à solo Deo, vel ab alia causa, aliud est pendere ab hoc sole, sed per negationem aliorum modorum solum habetur, quod lumen non pendeat à solo Deo, vel ab alia causa, ergo formaliter non habetur pendere à sole. Confirmatur, quia hæc denominatio: hoc lumen pendet ab hoc sole, est denominatio realis, & positiua, ergo non potest haberi formaliter per negationem dependentiæ ab alia causa. Sicuti parietem esse cognitum non habetur à negatione aliarum formarũ, sed positiuè à cognitione, & sic de alijs effectibus formalibus positiuis. Tertiò impugnatur, quia vel sola proportio effectus, & causæ cum cæteris dispositionibus est ratio formalis dependentiæ, vel intrat etiam in rationem formalem dependentiæ negatio actionũ supernaturalium; non primum, quia hoc pacto nihil esset aliud dependere, quam existere entitatem causæ, et effectus, quod certè semper manet, etiamsi ponatur actio miraculosa, in quo casu per aduersarios non datur dependentia à causa naturali; neque dicas secundum, quia si semel ratio formalis aliqua inuoluit aliquam negationem essentialiter implicat, quod habeatur sine negatione, siue

etiam de potentia Dei absoluta, sed per te dependere lumen à lucerna A. inuoluit formaliter negationem dependentiæ ab alijs causis, ergo implicat, quod Deus possit facere, vt hoc lumen dependeat ab aliqua causa per actionem positiuam miraculosam, sicuti quia tenebrosum formaliter inuoluit negationem, nō potest Deus miraculosè facere tenebrosum per aliquid merè positiuum, quare si semel admittis, quod dependentia formaliter dicat aliquam negationem, non potest Deus miraculosè facere dependentiam supernaturalem, quæ tota sit positiua.

Dices. Miraculum non est ratio formalis, sed solùm impedit ne causa existens producat effectum, quare requiritur negatio actionis miraculosæ, tamquam negatio impedimenti. Sed contrà est, quia impedimentum, aliquid debet impedire, & non sufficit, vt tollat suam negationem; impedire enim non est formaliter non esse negationem sui, hoc enim pacto omnia essent formaliter impedimenta, quia singula entia formaliter impediunt negationes suas, quare aliquod esse impedimentū, debet accipi in ordine ad aliud, quod impedit, ne sequatur: sic manus supposita lapidi impedit motum illius, qui motus est aliquid positiuum, & frigus potentius impedit productionem caloris; sed in casu nostro actio miraculosa quid impediret? non quidem productionem naturalem; nam per te productio naturalis est existentia luminis, v.g & existentia solis in tali situ. sed hæc duo non impediuntur ab actione supernaturali, quia nihil horum tollitur, ergo nisi ponas actionem distinctam à sole, & lumine non poterit explicari, quid impediat actio miraculosa.

Probaui secundò; olim hanc conclusionem, posito, quod decreta Dei compleantur per aliquam terminationem extrinsecam, vt suppono, eamque sententiam probabiliorem, quia Deus, quando concurrit cum causa secunda ad productionem effectus, ita liberè concurrit, vt possit non concurrere; præterea quamuis habeat multa motiua ad concurrendum potest tamen concurrere propter vnum, vel duo motiua, vel propter aliqua, & non propter alia, quia liber est, & Dominus, peto ergo quid sit Deum concurrere ad lumen producendum propter hæc motiua, & non propter alia, certè non potest esse hæc entitas luminis, v. g. cum his circumstantijs, quia possent esse hæc omnia, & tamē Deus posset nolle cōcurrere propter hæc motiua, sed propter alia, ergo aliquid aliud, plusquam effectus debet existere in rerum natura, vt habeatur hæc denominatio: Deū concurrere propter hæc motiua solùm, quod non de-

beret

beret existere in alia denominatione, nempe Deus concurrit propter hæc alia motiua, & non propter illa, ergo debet dari aliqua actio, & dependentia, per quam formaliter habeatur hoc lumen fieri à Deo propter hæc motiua, & non propter alia, quod si produceret idem lumen propter alia motiua, tunc non esset hæc actio; sed alia diuersa. Hoc idem argumentum probat, creationem etiam esse distinctam à termino, quamuis solus Deus possit creare; nam licet Angelus non sit indifferens, vt creetur, vel à Deo, vel ab alia creatura, sed supponatur, quod necessario debeat creari à Deo, tamen Deus posset creare hunc Angelum propter hunc finem, & nō propter alium; si creatio non esset distincta ab Angelo, Angelus semper esset idem, & non haberetur aliqua realis diuersitas, quando creatur propter hunc finem, & quando creatur propter alium, quare debet dari actio creatiua, quæ essentialiter sit explicatiua, quod Deus moueatur propter hoc motiuum, & non propter aliud.

Hanc rationem nihil eneruat P. Arriaga dum hic disp. 9. sect. 4. num. 4. probat, omnem actionem etiam creatiuam distingui à volitione diuina, quia volitio diuina est idem cum Deo, & ab æterno &c. Nam iuxta hanc sententiam Theologicam volitio diuina est denominatio, quæ principaliter, & secundum id, quod importat in recto, est ipse Deus, qui est ens necessariū in essendo, & cōtradistinctum à creatura, at verò secundum id, quod importat in obliquo, & communiter dicitur terminatio actus diuini, est ipsa actio, quæ est in tempore; quamuis ergo volitio Dei simpliciter sit ab æterno, & ipse Deus, quia Verbum, est, cadit simpliciter supra rectum, & sic dicimus, hoc est album, vt fusius in logicis explicauimus, tamen id, quod dicit in obliquo non est ab æterno, etiam si ab æterno denominet; sicuti nunc est verum Antichristum esse futurum, quamuis forma, à qua desumitur hæc veritas non sit tota nunc, quia non datur nunc Antichristus, quare in hac sententia supponitur tota hæc doctrina, & non est hic probanda.

Respondeo rursus, neq. eneruatur ex eo, quod sequeretur, quod Angelus comprehendendo illam actionem cognosceret fines Dei, quos habet in rebus creandis; facilè enim negatur sequela, quia illa actio prout connexa cum tali fine non apparet Angelo, quia hoc concernit ad secreta Dei, & sicuti non cognoscit nostras volitiones; quamuis sint entia naturalia, quia sunt nostra secreta, ad quæ cognoscenda non datur vis in Angelo, idem dico de hac actione in ordine ad ea obiecta, quæ respicit vt finis. Cæterum hæc difficultas, neque est hic soluenda, sed supponitur soluta dum suppo-

nitur

nitur hæc sententia Theologica de Diuinis decretis.

Verum hæc secunda probatio, qua olim sum vsus, non videtur efficax; ratio est, quia, vt superius dixi, loquendo de conceptu causæ non est necesse, vt quęcunque res, quæ fit, fiat per actionem, quæ sit ipsa terminatio Diuini decreti volentis illam rem, sed potest terminari diuinum decretum ad aliquam aliam actionem productiuã alterius rei, etiam disparatæ ab ista v. g. ad productiouem rosæ in India, adeòque productio istius rei non est necesse, vt connectatur cum fine, propter quem Deus illam produxit; imò hoc ipsum est necessario dicendum de aliqua actione. nam cum Deus dat gratiã efficacem Petro; v. g. ad aliquem actum intellectus ad hunc finem, vt conuertatur, non potest esse essentialiter connexus cum fine Dei, nempe cum actu bono, quo Petrus conuertitur: si enim esset cum eo essentialiter connexus, non posset cũ ea gratia coniungi cõsensus, et dissensus, sed necessariò necessitate antecedente coniungeretur consensus, et implicaret contradictionem), vt coniungeretur dissensus, & implicaret contradictionẽ, vt coniungeretur dissensus adeòque principium proximum adequatum liberum, quod constituitur intrinsecè ab ea gratia non esset amplius liberũ iuxtà nostra principia, quia cum toto non poset æquè bene coniungi consensus; & dissensus. habemus ergo necessitatem dicendi, quod possit esse productio rei, sine hoc prædicato intrinseco, per quod cõnectatur cum fine à Deo intento, in quo casu diuinum decretum versans circa talem finẽ terminabitur, vt dixi per aliquam actionẽ productiuam alterius rei. Potest ergo creari Angelus à Deo propter quemcumque finem particularem, absque eo, quod productio Angeli essentialiter respiciat talem finem, & consequenter ex hoc capite non est necesse, vt detur actio distincta ab Angelo ob varietatem finium, ob quos potest substantia Angeli creari à Deo.

Loquendo igitur de re, quæ creatur à Deo, si supponatur, quod res illa possit creari à creatura instrumentaliter saltem, vt concedunt ij, qui admittunt potentiam obedientialem actiuam, & existimo valde probabile, vt suo loco videbimus, certè iuxtà hanc sentẽtiam debet creatio esse actio distincta à termino, qui à Deo creatur, ob rationem suprafactã, quia Angelus; verbi gratia, est indifferens, vt possit creari à solo Deo, vel à Deo simul, & aliqua alia causa instrumentali, obedientialiter eleuata, adeòque debet dari positiua dependentia, per quam pendeat à solo Deo, vel per quam pendeat ab aliqua causa instrumentali, quod certè eadem actione præstari non potest, cum sit diuersissima realis denominatio.

Simili-

Similiter si ponamus, quod duratio creaturæ non distinguatur ab actione, per quam ponitur à sua causa, dico creationem debere distingui modaliter à re creata; cum enim duratio, vt hic suppono, debeat modaliter distingui à re durante, nisi in rebus essentialiter successiuis, vt suo loco dicemus, si prædicata actionis sunt identificata cum prædicatis durationis, etiam actio erit distincta à termino.

At verò si ponatur duratio distingui ab actione, & negetur potentia creata, quæ possit creare, siuè principaliter, siuè instrumentaliter iuxta has suppositiones, dico Angelum, & quidquid creatur à Deo, se ipsis pendere à Deo sine actione distincta; patet hoc ex dictis, quia nulla restat tollenda indifferentia; verbi gratia, in Angelo, quæ sit tollenda per talem actionem; nam hoc ipso, quod Angelus existit habet per suam entitatem pendere à solo Deo, quippe, qui non potest ab alio agente pendere, sicut iam supponitur, nec vllum apparet inconueniens ex quocunq. alio capite, cum secunda nostra ratio ex dictis non vrgear.

Obijcies primò. Actio per quam hoc lumen dependet à Sole, potest esse à solo Deo, ergo bebet dari alia actio. Rursus, quia hæc actio potest etiam esse à solo Deo, debet dari tertia actio, & sic in infinitum. Antecedens probatur, quia non minus subiacet Deo lumen, quàm hæc actio, ergo si lumen potest esse à solo Deo, etiam actio poterit esse.

Respondeo negando antecedens, quia hæc actio essentialiter exigit solem existentem, & ipsum respicit per suam essentiam, tamquàm ordo fundatus in rei defectibilitate, ad probationem dico actionem, licet creaturam, non posse tamen esse à solo Deo, loquimur enim de actione pendente à sole; ratio est, quia effectus formalis talis actionis non potest tolli à Deo, si actio ipsa existat, sed effectus formalis est, quod hoc lumen pendeat ab hoc sole, ergo Deus non potest facere hanc actionem pendentem solùm à se, quia iam non esset hæc actio. Hæc autem ratio non militat in lumine, de quo non habemus indicium, quod habeat hæc prædicata essentialia, vt pendeat ab hoc sole: ratio autem cur non sit contra Diuinam Omnipotentiam ponere hæc prædicata in actione, manifesta est, quia datur positiua necessitas actionis habentis talia prædicata; aliter enim nulla causa posset agere, ergo est conuincens omnino ratio positiua, quod sit possibilis talis essentia, essentialiter limitata, quia essentialiter est ipsa determinatio.

Hinc patet non esse mirum, si Aristoteles explicitè non declarauerit

uerit, an actio sit distincta realiter à termino, an non; cum enim ignorauerit libertatem agentis supernaturalis, non potuit clarè discernere, effectus non esse determinatos essentialiter, vt procederent à talibus causis. Meminit tamen satis apertè 9. Metaphys. tex. 16. vbi ponit ædificationem in re ædificata, & actionem texendi in re texta, & distinguit aliqua, quæ præter actionem nihil aliud efficiunt, vt est actus videndi, & alij actus vitales, qui essentialiter pendent à principio vitali, vt suo loco dicemus, & distinguit alia, quæ præter actionem aliquid aliud efficiunt, ergo Aristoteles non ignorauit distinctionem realem inter terminum, & actionem, præsertim cum viderit aliquid in fieri pendere ab aliqua causa, à qua non pendet deinde in conseruari.

Obijcies secundò, hoc lumen est indifferens, vt fit per hanc, vel per aliam actionem, sicuti est indifferens, vt sit ab hac, vel illa causa, ergo debet dari aliquid aliud, per quod determinetur, & sic in infinitum.

Respondeo negando consequentiam; disparitas est clara, quia tam lumen est indifferens, vt producatur ab hac causa, quàm etiam causa est indifferens, vt pròducat hoc lumen, & ità posito lumine, & sole, non adhuc haberi potest determinatio, at verò actio non est indifferens, sed essentialiter connotat hoc lumen, à se dependēs, quare posita actione, ponitur forma determinata, & determinans formaliter lumen dependens, & causam causantem.

Objcies tertiò, aliquis effectus exigit naturaliter in primo instanti pendere à causa creata efficiente, quod non exigit postea, quia non conseruatur ab illa, vt est ignis, ideòque sinè vlla mutatione, ab exigente dependentiam fit nō exigens, ergo etiam ex dependente potest fieri non dependens sinè mutatione.

Respōdeo distinguo antecedēs: in primo instanti exigit depēdere à causa efficiēte creata pro primo instāti cōcedo; exigit depēdere ab efficiente creato pro tēpore sequenti nego, sic etiam in tempore sequenti exigit pendere à causa creata efficienti pro primo instanti, non pro tempore sequenti. Æquiuocatio est in hoc, quod in argumento accipitur pro primo instanti ex parte exigentiæ, quasi exigentia solùm sit in primo instanti, & non postea quod certè falsum est, exigentia enim est prædicatum intrinsecum, & semper manet in effectu existente, quod si, in primo instanti, accipiatur ex parte dependentiæ, quæ est id quod exigitur, certum est, dependentiam solum esse debere pro primo instanti, quare nunquam sequitur, quod res ex exigente fiat non exigens.

Aliqui recentiores existimantes veram sententiam Theologicã de libertate Dei, ponentem decreta Dei libera adequatè in ipso Deo, conantur defendere dependentiam effectus à causa consistere in decreto Dei, adæquatè illi intrinseco; dicunt enim, effectum dependere à causa, verbi gratia hoc lumen dependere à Sole esse; existentiam luminis, existentiam solis, & decretum Dei liberum, quo vult lumen existens propter solem; quod si lumen penderet à solo Deo, tunc esset lumen, & Sol, sed non esset hoc decretum Dei, volens lumen propter solem, sed esset volens lumen propter aliud motiuum, quarè videtur hæc sententia bene omnia saluare sine actione superaddita. Verùm neque simpliciter dici potest, quod non superaddatur actio, quandoquidem superadditur hoc decretum, licèt non superaddatur aliquid creatum de nouo.

Hæc sententia quamuis ingeniosa, posita illa sententia Theologica, tamen non videtur vera primò, quia supponit sententiam Theologicã difficillimã, & supra quam percipi possit; ponit enim possibilem quandam varietatem in Deo, quoad distinctiones formales, seu virtuales intrinsecas. Secundò adhuc posita hac sententia de decretis, sequeretur, quod causæ physicæ creatæ in rigore non essent causæ; nam esse tale, vt Deus propter illud, ponat *aliud* non est esse causam, sed solùm esse motiuum Diuinæ voluntatis: ratio autem motiui præscindit à ratione causæ efficientis, & *solùm* dicit exigentiam naturalem alterius, quod certè non sonat rationẽ causæ; multa enim exiguntur à multis entibus naturaliter, & tamẽ hæc, quæ exigunt alia, non sunt illorum causa efficiens, certè habitus fidei, species, & multa huiusmodi exigunt existentiam intellectus naturaliter, & tamen non sunt causa respectu intellectus; quare semper restaret explicandum, quid sit exigere per modum causæ efficientis physicę, adeò vt illud propter, quod est in decreto Dei volentis lumen propter solem, dicat in sole rationem causæ.

Tertiò impugnatur, quia neque causa creata conueniret cum Deo in ratione causæ; nam Deum esse causam, non significat Deũ moueri ad ponendũ, v.g. lumen propter existentiam suã; existentia enim Dei nullo pacto, præscindendo à formalitate decreti exigit existentiã luminis, adeòque Deus non potest moueri ad faciendũ decretũ de lumine ab existentia sua, sicuti potest moueri ab existẽtia solis, ergo lumẽ pẽdere à Deo non est: esse decretũ Dei de lumine, vt existat propter existentiam Diuinam, sed debet esse aliquid

aliud

aliud, at verò lumen existere à sole tamquam à causa est, Deum moueri ab existentia solis ad ponendum lumen, & ita modus causandi causæ creatæ, neque genericè conuenit cum modo causandi Dei adeòque in ratione causæ omninò differunt causa prima, & secunda, quod cõmuniter non concedunt, scriptura enim, & Patres æquè tribuunt Deo, & creaturæ esse causam.

Quartò, impugnatur in causa libera; nam voluntatem liberè se determinare, non potest esse, quod moueat Deum, vt in ea producat talem actum, sed debet ipsamet illum producere; tota enim voluntas, & principium liberum adæquatum cum omnibus requisitis in actu primo non exigit magis actum volitionis, quam nolitionis, ergo Deus ad exigentiam actus primi creati liberi vltimò dispositi non potest determinari, vt potius velit talem actum, quã alium, sicuti potest velle lumen ad exigentiam solis, ergo saltem causa libera debet influere in suas operationes.

Quintò, impugnatur, quia causa physica non distingueretur à morali; nam etiam causa moralis est id, propter quod existẽs Deus ponit effectum, v. g. propter preces alicuius Sancti Deus ponit aliquam rem, in quo casu preces mouent Deum ad ponendam illam rem, & tamen non sunt causa moralis. Neque dicas causam moralem esse illam, quæ exigit effectum ex libertate; contra enim est, nam actus voluntatis, quo aliquid volo habet naturaliter exigere rem volitam, & non ex libertate, posito enim ipso, non datur indifferentia, vt obiectum volitum exigatur ab ipso, quare natura sua est exigens obiecti, sicuti sol est exigens luminis, & ita erit causa physica naturalis.

Denique impugnatur, quia non posset explicari, quomodo intelligentiæ moueant cælum, nam dicere, quod Deus, ad existentiã Angeli moueatur ad mouendum cælum, tamquam à motiuo naturali, videtur omninò falsum. Angelus enim non exigit naturaliter motũ cæli, ergo Deus non potest moueri ab Angelo applicato ad cælũ, vt cælũ moueat. Quod si dicas moueri ab Angelo, prout instrumento Dei, contra est, quia hoc pacto Deus moueretur tamquàm à motiuo à suamet volitione, quod omninò implicat; motiuum enim volitionis non est ipsa volitio. Sequela probatur, quia Angelus, vt instrumentum Dei, dicit entitatem, Angeli prout stat sub volitione Dei, efficaciter volentis, vt se habeat tamquàm causa motus cæli; ergo si Deus mouetur ab Angelo, vt ab instrumẽto suo ad mouendum cælum mouetur à suamet volitione, per quam formaliter Angelus habeat rationem instrumenti in ordine ad motũ

cęli, adeòque Deus mouetur ad mouendum cęlum, ex eo, quod mouseretur ad mouendum cęlum per Angelum, quod sanè est velle suam volitionem. Ex dictis

Infertur primò. Actionem esse modum accidentalem rei, quæ fit, quia non est de conceptu intrinseco ipsius; intelligitur enim adequatè lumen existens per suam entitatem, quam habet: verum est tamen, quod exigentia quam habet lumen, vt dependeat ab aliqua causa, vel sit hæc vel illa, est essentialis lumini, & cum eo identificata.

Infertur secundò, creaturas dupliciter pendere à Deo; primò per entitatem propriam, siue substantialis sit siue accidentalis. Secundò per productionem, quæ est accidens, vt diximus respectu rei productæ. Ratio, cur ita pendeat creatura à Deo per suam entitatem substantialem est, quia substantia, vt distincta ab accidēte habet esse creaturam, ergo habet hoc prædicatum sibi identificatum, & non solum habet exigentiam intrinsecam, vt sit creatura, sed verè ipsa per suum esse substantiale non est à se, sed pendēs ab alio; quare ipsa, vt contradistincta ab omni accidente est per suum esse substantiale pendens à Deo, sed est etiam exigens, vt pēdeat per actionem à se distinctam, si est indifferens, vt supradiximus, vt pendeat à Deo solo, vel à Deo, & alia creatura, adhibita tamquàm instrumento à Deo.

ARTICVLVS III.

De termino actionis, vbi an ipsa actio sit termini existentia.

DVo hic sunt examinanda, primū est quid sit terminus actionis, secundum, an actio ab ea dependeat. Pro primo quæsito suppono: terminum dupliciter accipe posse, primo pro eo, quod respicitur, vt est terminus relationis, quia sicuti paries terminat visionem, quam imaginamur progredi ab oculis, sic videtur, quodammodo terminus terminare respectū, & relationem. Secundò accipitur terminus pro eo, quod est vltimum, vt est terminus viæ, sic punctum est terminus lineæ, & templum S. Petri est terminus peregrinationis, atque in hoc sensu quærimus hic de termino actionis; cum enim actio sit veluti via, & tendentia ad aliquod, tandem terminanda est ad aliquod, quod sit vltimò intētum. Præterea est aduertendum in generatione alicuius compositi, cuius videlicet for-

Digitized by Google

forma non dependet in suo esse à materia, vt est anima rationalis, produci ab agente creato solam vnionem, qua forma vnitur materiæ, at verò in compositis materialibus, in quibus forma, & vnio sunt materiales, vtraque producitur ab agente naturali.

Dico ergo, terminum generationis physicę simpliciter, & per se esse totum compositum, formam verò materialem, & vnionem esse terminos inadæquatos, & partiales. Est sententia Aristotelis primo metaphysices textu 28. & 8. textu 3. vbi ait formam non fieri absolutè, sed in alio non per se, sed per accidens, & 7. metaphysices textu 2. ait, qui facit æs rotundum, non facit sphæram, id est rotunditatem, sed aliquid aliud, nempe totum compositum; est etiam S. Thomæ, & aliorum, quos citat, & sequitur P. Suarius disp. 18. metaphysices sect. 4. probatur, quia ille est terminus simpliciter, & per se actionis, quem per se, & simpliciter intendit agens, sed huiusmodi est totum, & non sola forma, vel vnio, ergo totum est terminus simpliciter, & per se actionis physicæ. Maior est certa, quia in tantum aliquid est terminus, in quantum est vltimò intentum. Minor probatur, quia agens intendit per se, et vltimo id, quod est bonum sibi simpliciter, hoc autem est totum; in tantum enim fit forma, & vnio, in quantum per illas conflatur totũ, neque vnquam intendimus partem illius, quod constituit nostrũ bonum adæquatum, sed solum partem appetimus, tamquam partẽ finis, qua solùm habita, non essemus adæquatè contenti, quare si ignis haberet solùm formam ignis non esset contentus, quia non faceret sibi simile adæquatè, sed solùm vnam partem.

Dices forma accipit esse simpliciter per actionem, ergo simpliciter est terminus.

Respondeo distinguo antecedens, si simpliciter cadat supra accipit, concedo, si cadat supra esse, nego; nam esse formæ non est simpliciter esse, cum sit substantia incompleta. Hoc tamen esse incompletum accipit simpliciter ab actione.

Quærimus adhuc pro hac prima difficultate, an dici possit, quod actio sit idem, ac existentia rei creatæ, & terminus actionis sit essentia illius, adeòque ex actione, & termino fiat vnum concretum ex essentia, et existentia, quod denominatur existens? Hanc sententiam ita asserentem apud nullum ex scriptoribus vidi, quamuis nõ desint, qui realiter distinguant essentiam ab existentia, et aliqui qui non ponant actionem distinctam: quæ sententia adhuc redditur difficilior, si identificet durationem cum ipsa actione, ponatq. durationem essentialiter successiuam; ex quo fit, vt existentia sem-

per

per sit diuersa in quacumque creatura. Hæc sententia impugnatur primò, quia nullum est indicium distinctionis inter essentiam, et existentiam, ergo falso ponit actionem identificatam cum existentia. Antecedens probatur, quia si loquamur de essentia secundum se, certè numquam existit sinè existentia, quando enim creatura non existit non datur eius essentia absolutè, sed solùm conditionatè, quia verificatur propositio conditionata, v. g. si existeret alius mundus, non sequerentur duo contradictoria; quomodo autē, & per quid verificetur fusè diximus in logicis, agentes de ente. At verò quando existit nulla apparet distinctio inter ipsam, & existētiam ipsius; si enim aliqua esset distinctio, accipiatur ipsa essentia actualis, prout contradistincta per te ab existentia actuali, certè est aliquid, non merè possibile, quia possibile merè nihil est actu, & hęc essentia hoc pacto accepta per suam entitatem est aliquid, et non merum nihil, ergo ipsamet entitas est existentia, nomine enim existentiæ intelligimus entitatem, quæ actu non sit nihil, sed sit aliqua realitas positiua, quod totum conuenit entitati essentiæ, prout cōtradistinctæ ab entitate existentiæ, quam tu frustra ponis.

Secundò. Impugnatur, quia est peculiaris, et euidens ratio, quòd actio nō possit esse existentia, nā omnis actio ponit aliquē terminū; peto ergo de hac entitate, quā ponit efficienter, quatenus est actio causæ efficientis certè hæc entitas quæ ab ipsa ponitur est ne entitas per se ipsam existens? si concedis, ergo existentia est identificata cum essentia, quod intendo. Si negas contra est, quia actio non potest terminari ad terminum non existentem; actio enim est causalitas, per quam efficienter, et non formaliter tamquam à causa formali effectus existit: entitas enim, quæ prius non erat per vim, & determinationem actionis euadit existens, ergo actio non potest tribuere effectum formalem existentis suo termino, tamquam causa formalis, sed solum tribuit, vt causalitas efficiens: explicatur idem argumentum exemplo. Albedo est causa formalis albi, quia per suam entitatem constituit intrinsecè album, tamquam pars principalior ipsius albi, eadem autem albedo non est, nec potest esse causa efficiens, neque causalitas efficientis respectu albi, formaliter accepti, quia si esset causalitas, vel causa efficiens, totum album esset cōtradistinctum ab albedine, terminus enim actionis est adæquatè contradistinctus ab ea, ergo si albedo est pars albi, implicat, quod sit causalitas, vel causa efficiens eiusdem albi; posset quidem albedo de potentia Dei absoluta causare efficienter subiectum, quod denominetur album, sed non posset causare totam entitatē,

quam

quam formaliter dicit album, quia hoc pacto causaret se ipsam. Similiter actio, quia est causalitas efficientis, habens pro termino essentiam actualem, quandoquidem non habet pro termino essentiã mere possibilem, non potest eadem actio, tamquam causa formalis constituere formaliter ipsam essentiam, quam causat existentem, prout contradistinctam à se in genere causæ efficientis, quod argumentum est satis efficax ad ostendẽdam implicantiam, quod actio, etiam si distingueretur essentia ab existentia, possit esse ipsãmet existentia.

Dices verum est, quod essentia, prout contradistincta ab existẽtia non sit nihil, sed tamen est quid incompletum, quod adhuc dici nõ potest existens, nisi formaliter per ipsam actionẽ denominetur existens; sed contra est, quia ne fiat quæstio de nomine, communiter nomine existentiæ intelligitur illa entitas, per quam formaliter res est, rem autem esse, non possumus clarius explicare, quia est primus conceptus rei, & etiam si explicemus nõ esse per hoc, quod nõ sit nihil, tamẽ hæc explicatio formaliter est esse; id enim, quod formaliter negat nihil, est esse, imò ipsum nihil, concipimus per esse, quia non possumus concipere negationem, nisi per esse, quod esse dicimus non esse, quando concipimus negationem: hoc posito, si essentia per suam entitatem contradistincta ab omni alia etiam per aduersarios est, certè ipsa entitas existit per suum esse formaliter, adeòque non accipit denominationem existentis formaliter ab vlla alia re, sed solum accipit efficienter à causa efficiente, & ab actione; quod si nomine existentis intelligas non solum quod est, sed etiam quod est dependenter à tali causa, vltrò concedo, quod actio dat talem denominationem formaliter, sicuti albedo dat denominationem albo; certum enim est, quod existere dependenter à tali causa, est denominatio, quæ formaliter desumitur à tali dependentia, sed hoc non appellatur existere simpliciter, sed existere in ratione dependentiæ, quare malè loqueris, si adhibes nomen existẽtiæ, tamquam proprium ipsi actioni.

Probatur tertiò, quia sequeretur, quod omnis res creata semper esset diuersa quoad suam entitatem, cuius diuersitatis nullum datur indicium, imò datur indicium perseuerantiæ. Sequela probatur, quia toties res non est eadem, quoties mutatur existentia, sed per te illa semper mutatur, quia est identificata cum durationẽ essentialiter successiua, ergo semper mutatur. Minor per te admittitur. Maior probatur, nam id, quod videmus, & sentimus, vel est

sola

sola essentia, vel sola existentia, vel vtrumque. Si est sola existentia, certè semper mutatur, id, quod videmus sine vllo indicio. & consequenter sine vllo fundamento, si id quod videmus est sola essentia, certè superflua est existentia; sufficit enim ad dicendum albedo existit, vt existat solum id, quod video, reliqua sunt quidem necessaria, vt illud existat, sed non sunt ipsum esse illius. Si dicas videri vtrumque, sequitur prima responsio, quod semper variatur id, quod video, cum experientia oppositum dicat. Præterea sequeretur, quod homo, qui peccauit non ipse punietur contra illud Prophetæ: anima, quæ peccauerit ipsa morietur. Neque sufficit dicere, quod sit anima ipsa quoad essentiam, non autem quoad existentiam, nisi æquiualenter, quia anima, quæ peccauit non fuit sola entitas essentiæ, sed etiam fuit entitas existentiæ, quare non erit ipsa, quæ peccauit, quando punitur. Quod si dicas solam essentiam peccare, iam concedis essentiæ plusquam velles; concedis enim illi entitati essentiæ contradistinctæ ab existentia, quod sit vera causa influens, sed per eam entitatem, per quam est causa influens, est formaliter existens; ergo essentia esset formaliter existens per suam entitatem contradistinctam ab actione.

Obijcies primò, rem creatam existere formaliter, est esse positam extra causas, sed hæc denominatio formaliter habetur per actionē, ergo res formaliter existit per actionem. Maior videtur communis locutio. Minor probatur, quia rem esse positam extra suas causas formaliter habetur à positione, sed positio est actio, per quam causa ponit effectum, ergo rem poni formaliter habetur per actionem.

Respondeo negando maiorem; conceptus enim existentiæ non est poni, sed esse, aliter si cōceptus existentiæ esset formaliter poni, etiam Deus deberet dici positus: neque dicas esse conceptum existentiæ creatæ, nam existentia creata habetur per hoc, quod ita sit, vt possit non esse, adeòque habet essentialiter per suam entitatem contradistinctam ab omni actione pendere à Deo Dicimus autem communiter existere esse idem, ac poni extra causas, quia hoc ipso, quod concipimus poni, concipimus existere; implicat enim, quod sit positio sine re posita. quare accipitur potius materialiter, quàm formaliter rem esse positam pro existere: est autem commune, & vsitatum Philosophis accipere concretum solùm denominatiuè, & non formaliter, vt patet mille exemplis.

Obijcies secundò, creatura essentialiter est dependens, ergo nō

potest

Digitized by Google

potest intelligi vt existens, nisi intelligatur dependentia, quæ est actio, ergo in conceptu existentiæ venit actio formaliter.

Respondeo primò, retorquendo argumentum, nam essentia actualis, prout contradistincta ab actione, habet formaliter conceptum creaturæ, ergo conceptum dependentis, & consequenter per suam entitatem essentialem est dependens.

Respondeo secundò directè: creaturam habere duplicem dependentiam, alteram identificatam cum sua entitate, alteram identificatam cum actione. Ad hoc, vt habeatur conceptus creaturæ sufficit concipere primam dependentiam, nempe identificatam cum entitate creaturæ; non est autem necesse, vt veniat altera dependentia identificata cum actione, nisi ad summum tamquam terminus exigentiæ, hoc ipso enim, quod concipio subsistentiam v.g. Angeli existentis, concipio in ea formaliter exigentiam alicuius actionis, quare actio non venit, vt forma denominans creaturam, sed solùm vt obliquum, & terminus exigentiæ, in qua exigentia formaliter consistit ratio creaturæ.

Objicies tertiò. Non potest explicari quid sit existentia contradistincta à duratione, ergo non datur contradistincta. Antecedens probatur: quid enim est existentia Antichristi, si præscindamus ab omni duratione, certè datur à parte rei talis existentia, quia nihil aliud est dari, quàm ipsam existere, hoc autem videtur ininteligibile.

Respondeo, optimè explicari, quid sit Antichristum existere, etiam præscindendo à duratione: est enim esse in æternitate Dei, & per hoc differt à re mere possibili, v.g. à mundo possibili, qui nunquam erit, at verò duratio superaddit huic conceptui existere cum diuina Æternitate nunc, vel in aliquo tempore determinato, quare si existere præscindat à statu, hoc est ab omni tempore, habetur conceptus existentiæ secundum se, sicuti etiam habetur præscindendo ab omni vbicatione, an autem possit existere creatura sine vlla duratione, vel sine vllo vbi, suo loco dicemus.

Pro secundo quæsito, certum est, actionem pendere ab aliqua parte compositi naturalis, videlicet à materia; quæstio autem est an dependeat etiam à forma, quam producit. Qui admittunt mutuam causalitatem, communiter asserunt, actionem pendere à forma, quam producit, quam sententiam impugnabimus, quia sequeretur, quod forma causaret se ipsam, quare dicendum est, actionem nullo modo pendere à forma, sed solum à materia, loquendo de actione naturali, ab agente naturali edita. Ratio patet ex dictis,

quia pendere ab aliquo est, quod illud se habeat, vt causa modò supra explicato, sed effectus nullo pacto se habet vt causa respectu actionis, cum sine illa hìc, & nunc esse non possit, saltem cum eadem indefectibilitate, ergo non pendet à forma.

Si loquamur de creatione potest esse difficultas, quia creatio est accidens, omne autem accidens dependet ab eo, in quo est, ergo si actio est in re, quam producit v.g. in Angelo, ipsa etiam pendet ab Angelo. Pro solutione difficultatis aduertendum est, multipliciter rem posse esse in alio, primò in loco, vel in tempore, de quibus non loquor. Secundò tamquam in subiecto inhæsiuè, seu inhærenter. Tertiò tamquam in termino, vel in subiecto adhæsiuè. Esse in subiecto inhæsiuè duo dicit, vnum est, quod illi vniatur. Secundum, quod ab eo dependeat, tamquam à causa materiali, ita calor est in ligno inhæsiuè, & quia vnitur ligno, & quia fit cum dependentia à materia ligni, quod euenit in omni forma materiali naturaliter producta, vel conseruata. Esse in subiecto adhæsiuè duo etiam dicit. Primò quod illud vniatur subiecto capaci perfectionis. Secundum est, quod non pendeat à subiecto: ita se habet omnis actio respectu formę quam producit, nam essentialiter vnitur illi formę, & præterea non pendet ab ea.

His positis dico: non esse essentiale omni accidenti, vt sit inhæsiuè in subiecto, sed satis est si adhæreat: solùm ergo est essentiale accidenti, vt accidat, hoc est, sit extra conceptum intrinsecum, & essentialem substātiæ, cui accidit, atque hoc pacto se habet creatio, qua v.g. materia pendet à Deo, quare si Angelus videret præcisè totum esse substantiale compositi, non videret creationem materiæ, neq; productionem formæ, & vnionis, licet eas abstractiuè cognosceret in exigentia compositi, illa accidentia essentialiter exigentis, quia totum substantiale, quamuis exigat habere suas actiones, tamen ipsum intrinsecè non constituitur, nisi per suam substantiam; quidquid ergo non est constitutiuum intrinsecum substanriæ completæ dicitur accidens, quia non est ens primò intentum à natura, quod satis est ad distinctionem inter conceptum accidentis, & substantiæ.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

De Idea.

DVo similiter quærimus in hoc articulo, primum quid sit Idea. Secundum ad quod genus causæ reducatur. Ad primum dicimus, Ideam esse aliquod simulacrum, seu exemplar rei faciendæ iuxta quod artifex operatur: ita solent communiter artifices formare sibi, vel in carta, vel in aliqua materia exemplar operis faciendi, vt ab eo mensuras, & proportiones capiant ad opus: hic autem loquimur de Idea mentali, non de materiali; cum enim artifex cõcipit opus faciendum, vel aliquid illi simile, duo sunt, primum est obiectum ipsum, quod concipit, siue sit ipsum opus in individuo faciendum, siue aliquid simile. Secundum est ipsa cognitio, quæ est imago illius obiecti in mente artificis. Dicunt aliqui Ideam formaliter consistere in ipsa cognitione operantis, non autem in obiecto cognitionis. Alij verò dicunt, Ideam propriè consistere in obiecto cognitionis, ita vt cognitio solum requiratur tamquàm conditio. Hæc tamen diuersitas videtur tota procedere ex varia acceptione Ideæ.

Prima sententia nomine Ideæ intelligit, id quod dirigit formaliter agens ad operandum, videlicet ipsam cognitionem operis faciendi, quæ est similitudo intentionalis obiecti, à qua similitudine agens dirigitur ad benè operandum, & in hoc sensu non propriè dicitur Idea esse id, in quod respicit agens quando operatur, sed potius debet dici esse id, quo agens respicit opus, vt illud imitetur. S. Augustinus, de Ciuit. lib. 88. quæst. 46. & alibi sic accipit Ideam, dicens ideam appellari posse rationem quę græcè λόγος dicitur, λόγος autem mentis, cognitio mentis est, non autem res extra mentem obiectiuè cognita; & tract. 1. in Ioann. ait, quod arca est in arte artificis, tamquàm in Idea, per quam fit, & tamen id quod habet in mẽte artifex est vita, hoc est operatio vitalis. S. Thomas etiam in hoc sensu accipit Ideam prima parte quæst. 15. art. 2. dum artifex, inquit, intelligit formam esse in materia, dicitur intelligere domum, dum autẽ intelligit formam domus, vt à se speculatam, ex eo, quod intelligit se intelligere eam, intelligit Ideam, vel rationem domus: quibus verbis videtur constituere rationem Idęæ in cognitione directa domus, quæ cognitio per reflexam cognoscatur. Hanc sen-

tentiam sequuntur Suarius disp. 25. metaph. sect. 1. n. 15. Fonseca & alij, quos ipsi citant.

Secunda sententia nomine Ideæ intelligit exemplar propositum, siue obiectum ipsum, in quod respicit artifex, quando operatur, ita Durandus, & alij citati à Molina 1. p. quæst. 15. art. 1. disp. 1. & 2. atq; in hoc sensu idea est res ipsa facienda, seu conceptus obiectiuus, qui respicitur ab artifice.

Ex his sententijs, licet vtraque benè dicat pro varia acceptione ideæ, magis placet secunda, quia videtur accipere Ideam in sensu magis proprio, nec obstat auctoritas S. Augustini, ac S. Thomæ; nam possunt optimè explicari, ibi loqui de Idea, quatenus Idea est forma in anima, per quam res facienda formaliter est obiectiua; res enim dicitur formaliter obiectiua, quatenus denominatur à cognitione. Probatur primò conclusio, videlicet, quod melior sit hæc acceptio secunda Ideæ, ex definitione communiter accepta, quã affert S. Thomas quæst. 3. de veritate art. 1. & prius tradiderat S. Augustinus libro 12. de Ciuitate Dei c. 15. Idea est forma in mente, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem, hoc est: idea est forma operis faciendi obiectiuè in intellectu artificis, in quam artifex respiciendo efficit opus illi simile. Quod autem talis sensus sit bonus, patet ex communi hominum sensu, qui multum valet in acceptione vocabuli, ad veram significationem illius habẽdam, nam si interrogentur artifices, quid sit idea, seu exemplar, in quod respiciendo diriguntur ad opus, nunquam dicent esse cognitionem, sed aliquid simile operi, vel idolum rei faciendæ. Dicunt quidem se dirigi à cognitione operis, sed non appellant cognitionem ipsum exemplar operis. Idea autem se habet, vt causa exemplaris, quare ex communi sensu nomine ideæ melius intelligitur opus obiectiuè in intellectu quam cognitio.

Secundò probatur, quia experientia constat, quod artifex numquam reflectat necessariò supra sui cognitionem, sed solùm consideret rem faciendam, ergo idea, à qua dirigitur non est cognitio, sed opus. Consequentia probatur, quia id, à quo artifex dirigitur, tamquam à causa, est id, in quod respicit, sed non respicit in suam cognitionem, sed in opus faciendum, ergo opus, & non cognitio habet rationem ideæ. Confirmatur ex Aristotele 1. metaphysicæ tex. 32. vbi dicit, quod agens agit inspiciens ad ideas.

Tertiò probatur à paritate idearum diuinarũ, de quibus S. Thomas loco citato in prima parte: ideę diuinæ non sunt ipsa cognitio directa, quam habet Deus de creaturis, sed ipsa diuina essentia quatenus

tenus est imago perfectissima omnium creaturarum, eo quod contineat in se omnes creaturas eminenter; quare Deus inspiciendo suam essentiam habet ideas omnium creaturarum, ergo à pari artifex ideò habet ideam, quia cognoscit rem faciendam; quandoquidem in se ipso non continet opus perfectissimè, & ideò non potest videre in se, sicuti videt Deus.

Quartò probatur à paritate causæ finalis, sicuti enim finis est ipsa res, quam intendimus, & non cognitio, qua finem cognoscimus, sic etiam id, quod dirigit operantem, est forma operis faciendi cognita, non autem cognitio, præsertim cum sit difficillimum clarè cognoscere ipsam cognitionem, nec artifex laboret in cognoscendo reflexè cognitionem suam, sed in benè concipiendo opere, ergo sicuti bonitas finis cognita mouet me, vt finem consequar, sic etiam forma operis faciendi dirigit per sui cognitionem artificem, vt operetur. Scio Thomistas duo distinguere in cognitione, alterum est terminus ipsius, quem appellant verbum mentis, & est quasi quoddam simulacrum obiecti, ad quod simulacrum terminatur cognitio. Alterum est ipsa cognitio, quæ tendit, & terminatur ad hoc simulacrum mentale. Certè si vera esset hæc distinctio, benè dici posset idea simpliciter ipsum verbum mentis, ad quod tendit cognitio, quia de eo verificarētur ea, quæ communiter dicuntur de Idea, sed quia hæc sententia à nobis est impugnata, ideo hìc nihil de ipsa dicimus.

Obijcies primò, vel artifex habet pro idea opus faciendum in indiuiduo, vel aliud opus, neutrum dici potest, ergo opus non est idea. Maior probatur quoad primam partem, quia ipsum opus in indiuiduo non est simile sibi, neque facit se ipsum, sed idea est similis operi faciendo, & est causa illius, ergo non est ipsum opus faciendum. Quoad secundam partem probatur, quia aliud opus est diuersum ab illo faciendo, ergo non potest dirigere artificem ad opus diuersum, quæ ratio non militat in cognitione.

Respondeo. Ideam esse ipsum opus faciendum in indiuiduo, quamuis confusè cognoscatur, ad probationem.

Respondeo. Idem opus realiter positum, posse dici sibi simile in statu obiectiuo accepto, nec enim est absurdum, quod eadem res pro diuerso statu, comparata cum se ipsa in alio statu, dicatur sibi similis, talis enim similitudo non arguit distinctionem inter terminos similitudinis, sed inter diuersos status, seu diuersas acceptiones, quibus eadem res accipitur. Sic dicimus communiter, quod facies, quæ apparet in speculo, prout à nobis videtur est similis nostræ

ſtræfaciei, cum tamen eadem ſit omnino facies, quæ obiectiuè videtur in ſpeculo, & quæ in nobis eſt. non enim videmus diuerſam faciem, ſicuti fortaſſe imaginatio perſuader, quare ipſamet domus facienda, prius cognita poteſt dici ſimilis ipſi domui actu deinde exiſtenti. Pariter reſpondemus, eandem rem poſſe eſſe cauſam ſui ipſius quando cauſat per cognitionèm, & non per exiſtentiam, vt dicemus de cauſa finali.

Obijcies ſecundò. Deus habet pro Idea cognitionem ſuam directam circa creaturas, ergo etiam, & nos.

Reſpondeo, negando conſequentiam; diſparitas eſt, quia cognitio diuina eſt Imago perfectiſſima creaturarum, quare Deus non indiget obiecto creato ad hoc, vt ſit Artifex potens operari, at verò cognitio humana non eſt ità perfecta imago, nec eſt abſurdum, quod artifex creatus indigeat obiecto à ſe diſtincto, vt dirigatur ad operandum, quare Deus videns ſe ipſum, qui eſt ipſa cognitio directa creaturarum in ſe ipſo, videt ideam.

Obijcies tertiò Ariſtotelem 1. metaphyſices textu 23. dicentem, quodam modo ex ſanitate ſanitatem accidit fieri, & domum ex domo, ars enim medendi, & ædificatio eſt forma ſanitatis, & domus, ſi ergo per Ariſtotelem ſanitas fit ex ſanitate, quæ ſit ars, nempe cognitio, clarè ſequitur, quod cognitio eſt Idea.

Reſpondeo: clarè ibi ſolum ab Ariſtotele affirmari, quod domus & ſanitas habent formam ſuam in intellectu, videlicet artem, ſeu cognitionem, quæ vt diximus eſt ſimilitudo obiecti: non tamen dicit Ariſtoteles, quod ſanitas, vel domus fiant à cognitione, tanquã ab Idea, ſeu potius quod fiant à forma, informante intellectum, cæterum tamquam ab idea fiunt ab ipſa domo, vel ſanitate obiectiua, vt patet ex ipſo textu.

Obijcies quartò. Si quis videret opus faciendum iam exiſtens, eo quod Deus v. g. illud producat, & deinde annihilet, & daretur artifici potentia ad illud idem faciendum, certè ille artifex non diceret, intuendo ipſum opus, ego video Ideam domus, ſed domũ, ergo idea non eſt conceptus obiectiuus.

Reſpondeo primò per inſtantiam, etiam quando cognoſco Petrum, non dico me cognoſcere conceptum obiectiuum, ergo Petrus non eſt conceptus obiectiuus, quod eſt falſum. Secundò directè.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia ipſa domus cognita, eſt conceptus obiectiuus, non quod ipſa cognitio debeat cognoſci ab eadem cognitione, quæ denominat conceptum obiectiuum, ſed licet

licet ipsa non cognoscatur tamen denominat id, quod cognoscit esse conceptum obiectiuum, aliqua enim concreta denominantur, & ab ipsa re, quæ cognoscitur, & à cognitione, nec possunt accipi prascindendo à cognitione, quæ est forma concreti; Sic quando cognosco parietem, ipsa cognitio denominat ipsum cognitum, licet ipsa non cognoscatur, sic etiam quando cognosco domum faciendam, ipsa domus denominatur Idea à cognitione domum concipiente, & sic idea est concretum constans ex ipsa re facienda, & cognitione circa illam versante, non autem est necesse, vt Idea cognoscatur secundum vtramque partem ad hoc, vt dirigat operantem. Ratio autem cur artifex in eo casu diceret potius, video domum, quam ideam, est, quia quando explicamus id quod cernimus, vel cognoscimus, satis est, vt explicemus id, quod se habet ex parte obiecti, non est autem necesse explicare cognitionem à qua denominatur illud obiectum, & constituitur in tali specie concreti, v.g. cogniti vel visi, quia non dubitamus, quod si quis dicat, video parietem, paries denominetur à visione visus.

Ad secundam partem quæstionis dico dupliciter Ideam posse habere rationem causæ respectu operantis, primò respectu operantis, & ita reducitur ad genus causæ formalis, quia constituit per sui cognitionem artificem potentem operari. Cognitio etiam Ideæ habet se tamquam forma intrinseca, in operante, & obiectum cognitionis tamquam forma extrinseca denominans operantem vltimo potentem ad opus exequendum; sicuti enim forma naturalis v.g. forma ignis denominat ignem operantem potentem operari, sic etiam Idea obiectiuè in mente artificis reddit eundem determinatum ad operandum.

Secundò potest comparari Idea cum opere faciendo, & ita reducitur ad genus causæ efficientis, in quo sensu communiter dicitur esse causa operis; patet hoc, quia id, quod reddit potentem artificem, ad aliquid efficiendum, habet se respectu effectus, tamquam integrans causam efficientem: minor patet, quia effectus dependet ab agente determinato in actu primo, ergo etiam dependet ab eo, à quo agens redditur potens, vt agat, hoc autem est Idea, causalitas, seu actio, per quam Idea causat, est ipsamet actio agentis, quatenus dependet ab agente operante per cognitionem operis faciendi, & non casu.

Obijcies primò contra hanc secundam partem, ideò facit artifex tale opus, quia habet talem finem, ergo non determinatur ab Idea, sed à fine.

Re-

Respondeo distinguo antecedens, si illud ideò significat omnem causam, quæ concurrat ad opus, nego, si significat aliquod genus causæ, concedo, & negatur consequentia; nam adæquatè ideò artifex facit tale opus, quia sunt quatuor causæ concurrentes materialis, efficiens, formalis, & finalis, quando autem fit interrogatio de aliqua causa, ex circumstantijs colligimus, de qua ex illis sit sermo, & debemus respondere iuxta sensum interrogantis, vt si quis petat, cur ambules, non respondes ad sensum interrogantis, si dicas, quia habeo pedes, quia ille interrogat de causa finali, quam ignorat, non de efficiente, quam videt. Contra verò si quis petat, cur index horologij ita bene demonstrat horas, non benè respondes per causam finalem, nempe vt sciamus horas, sed per causas efficientes, quia habet tales, & tales rotas.

Obijcies secundò. Ideò effectus causatur ab idea, quia est illi similis, ergo causalitas ideæ consistit in genere causæ formalis, ad quod reducitur similitudo.

Respondeo: quod illud ideo non explicat causalitatem ideæ, sed aliquid consequens ad causalitatem, nempe similitudinem, causari enim ab Idea, non est formaliter effectum esse illi similem, sed sequitur, eo quod efficiens facit effectum in se talem.

Petes, agens naturale causat ne semper opus per Ideam?

Respondeo negatiuè, quando enim facimus operationes intellectus, non semper habemus ideam, ne detur processus in infinitum. Deus autem omnia facit per ideam, quia est artifex perfectissimus, & nihil illi existit per accidens, vt suo loco dicemus.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO VII.

De causa materiali.

ARTICVLVS I.

Qua sit causa materialis, eiusque effectus. Vbi An totum distinguatur à partibus.

EGimus supra de materia secundum se, nunc agimus de eadem in ordine ad suum effectum, de qua hoc pacto considerata tradit definitionem hic Aristoteles textu 28. nempe est id, exquo fit aliquid, cum insit, in qua definitione particula, ex quo, sumenda est rigorosè, nempe per modum causandi rei determinabilis: compositum enim rigorosè non fit ex materia, & forma, sed ex materia per formam: quare particula, ex, licet latius sumpta posset applicari alijs causis, propriè tamen explicat causam materialem, importat enim, vt bene notant antiqui Interpretes hìc, & c. 8. Metaphysices quandam indeterminationem, & perfectibilitatem quam habet materia: illud enim, ex quo fit aliquid, est indeterminatum, vt sit hoc, vel illud. Particulæ, cum insit, explicant rationem causæ intrinsecę, in quo conuenit materia cum forma, quę est etiam causa intrinseca compositi. In hac tamen definitione, non tam explicatur materia, vt causa formæ, quàm vt causa compositi, quod est principale intentum omnium causarum. Dupliciter autem potest considerari totum, vt effectus materiæ. Primò quatenus materia est pars ipsius, quidquid enim est alteri intrinsecum, si nihil obstat, causat illud, sic numerus binarius causatur ab vtraque vnitate distributiuè accepta, & in hoc non differt materia à forma. Secundò potest considerari totum vt effectus materiæ, quatenus materia est id è cuius potentia educitur forma, vel saltem vnio, quando videlicet forma est spiritualis. Atque in hoc sensu definitur hic ab Aristotele, nempe quatenus ita inest, in toto, vt simul sit causa alterius compartis.

P. Quiedus hic controuers. 8. punct. 1. n. 1. & 2. hanc definitionem Aristotelis malè detorquet contendens contra communem senten-

tiam, & ipsa verba Aristotelis hìc definiri materiam, vt causam formæ, explicat autem illa verba, cum insit. quasi non referantur ad ipsam materiam, sed aliquid, ità vt faciat hunc sensum, Causa materialis est, ex quo aliquid fit, quod illi insit. Verùm hæc explicatio est apertè contrà Aristotelem, nam in textu Grego, tam hìc, tex. 28. quàm in primò textu 82. voces illæ: cum insit, exprimuntur per participium ἐξ ὑγίνεται τι ἐνυπάρχοντος ex quo inexistente fit aliquid, quare referuntur necessariò ad id, ex quo fit aliquid, nempe ad materiam, non ad ipsum aliquid; vt hìc Auctor singulariter existimauit.

Quod si consideretur materia præcisè in ordine ad formam, & vnionem formæ est causa materialis, & sustentatiua, & non dicitur causa intrinseca, quia materia non est pars componens formam, vel vnionem, quas causat, licet sit illis intimè præsens, atque in hac acceptione dicitur materia subiectum, non quidem respectu totius, sed respectu formæ vel vnionis, totum autem non sustentat. Difficultas est, quomodo materia sit causa totius, cum totum includat ipsam materiam tanquam partem, & effectus debeat distingui à causa. Pro qua difficultate videndum est, an totum distinguatur à partibus.

Prima sententia docet totum dicere tertiam entitatem præter entitatem partium, & vnionis. Citatur Scotus in 2. dist. quæst. 2. quem sequuntur Scotistæ vt plurimum. Est sententia Caietani 3. p, quæst. 6. ar. 8. Ferrari 4. contra gentes c. 81, & aliorum, quos citat Suarius disp. 36. Metaphys. sect. 3. num. 2. Citant pro hac sententia S. Thomam, sed immeritò, ille enim solum negat propositiones, quibus dicitur totum esse partes, quod verum est, vt videbimus. Etiam P. Vasquez tom. 1. in 3. partem disp. 9. sect. 26. docet in composito substantiali præter materiam formam, & vnionem dari quendam alium modum ab ipsa forma deriuatum.

Secunda sentētia iam communis affirmat totum nihil aliud esse realiter, nisi partes vnitas simul acceptas. Ita S. Thomas 1. parte quæst. 5. art. 4. & refert S. Augustinum lib. 7. de Trinitate c. 4. dicentem, homo nihil est aliud quàm anima, & corpus. Idem sentiūt interpretes antiqui Aristotelis, Alexander Themistius Philoponus, & alij, est etiam seutentia Durandi in 3. dist. 2. q. 2. & aliorum, quos citat Suarius loco citato, & sequitur simul cum Hurtado disp. 6. Physicorum sect. 1. & 2. Arriaga disp. 4: Physicorum sect. 1. Ouiedo contron. Physic. 5. pun. 3. & alijs.

Dico totum nihil aliud esse nisi partes collectiuè acceptas, videlicet

licet materiam, formam, & vnionem. Probatur primò conclusio ex symbolo fidei S. Athanasij, vbi dicitur, sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus. Vnde patet, quod si homo esset aliud præter carnem, hoc est corpus, & anima simul vnita, falsa esset in rigore propositio symboli, quod anima, & caro est vnus homo, sicut falsa est propositio, caro est vnus homo, ergo in homine nihil aliud reperitur, nisi anima, & corpus vnita.

Probatur secundò, ex Aristotele 8. Metaphys. textu 31. vbi ait totum dicitur id, à quo nulla prorsus pars abest earum, ex quibus natura dicitur totum, & id quod continet ea, quæ continentur, vt illa sint quippiam vnum. Vbi apertè dicit totum nihil aliud esse, nisi partes contentas, hoc est vnitas, & 8. Metaphys. circa extremũ, mouens hanc quæstionem quomodo compositum sit vnum, dicit, quia est ex materia, et forma, potentia, & actu vnitis. Idẽ docet 4. Physicorum textu 3. primo de anima textu 7. et alibi.

Probatur tertiò, ratione, nam si homo dicatur esse anima, & corpus vnita, & nihil aliud addatur, est vera propositio, ergo totũ nihil est aliud quam partes vnitæ, patet consequentia, nam si prædicatio in recto est vera, debent esse idem prædicatum, et subiectũ: ergo idem sunt homo, ac materia, et anima vnita. Primum antecedens probatur, quia anima, et corpus vnita præscindendo à quocumque alio est aliquid compositum, quia vnio formaliter constituit vnitum, et compositio facit formaliter compositum, ergo nihil aliud requiritur ad totum hominem, qui est compositus ex anima, & corpore, nisi anima, corpus, & compositio, quæ est vnio.

Probatur quartò, quia si anima, & corpus vnita, non sunt totus homo, requiritur aliquid aliud, hoc est absurdũ, ergo, & antecedẽs. Minor probatur, quia hoc tertiũ, quod appellant totalitatẽ, vel est se solo totus homo, vel quatenus est vnitum partibus: neutrum dici potest, ergo non datur: hæc minor probatur, & quod primũ dici non possit, patet, quia hæc totalitas, vel esset simplex, & sic sequeretur, quod homo esset entitas simplex, quod est falsũ, cũ cõstet anima, & corpore, vel totalitas esset composita ex partibus, & sic eneruaretur ipũ argumentũ aduersariorũ, quia hæc totalitas, vel sunt partes totalitatis, vel aliquod tertiũ. si dicant esse partes ruit ipsorum argumentum, quia partes per illos non sunt totum, adeoque partes non sunt totalitas, & consequenter deberet dari aliud tertium supra partes totalitatis. De illo tertiò rursus inquiro, an sit simplex an compositum, & ità recurrit idem argumentum in infinitum. Neque

potest dici altera pars minoris, quod videlicet totalitas non sit totus homo, nam aliter totus hòmo erit anima, & corpus vnita, & præterea hæc totalitas, ergo totum non distinguitur à suis partibus, quibus constat etiam per aduersarios, solum enim adderent præter materiam, & vnionem aliam qnartam partem, quam appellant formam totius, & quæ facit compositum plenius partium, in quo debent soluere omnia argumenta, quæ faciunt contra nos. & præterea debent ostendere necessitatem, cur superaddatur quarta pars.

Quod hæc forma totalitatis sit omnino superflua, probat bene P. Hurtadus hìc loco citato contra P. Vasquez, & patet, quia non potest assignari vlla necessitas ponendi talem formam. Ad ipsum positiuè probandum placet ratio, quam habet S. Thomas 4. contrà Gentes cap. 8 ad tertium, quia si daretur hæc entitas superaddita, esset accidens, inuenisset enim iam materiam actuatam à forma substantiali per vnionem, quod autem superadditur vni iam completo ex actu, & potentia est accidens. Hæc sunt verba S. Thomæ. De humanitate non est intelligendum, quod sit quædam forma consurgens ex coniunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab vtroque, quia cum per animam fiat materia hoc aliquid actu, vt dicitur secundò de anima, illa tertia forma consequens nõ esset substantia, sed accidens. Hæc S. Doctor. & patet, quia non potest assignari vlla necessitas ponendi talem formam ad hoc ipsum positiuè probandum.

Secundo, impugnatur, quia hæc totalitas, vel est substantia cõpleta, vel non, accidens enim esse non potest, quia nulla substantia componitur intrinsecè ex accidente. Secundum dici non potest, quia homo esset ens per accidens constans ex materia, & forma, & præterea ex aliquo alio, quod neque esset materia neque forma, non materia, quia numquam fit de nouo quando substantia generatur, non forma, quia vel esset spiritualis, vel non, si spiritualis, ergo creatur à Deo, & mortuo Petro remanerẽt duę formæ spirituales. quod est apertè absurdum. Nec dicas, quod sit modus cõplens formam, v g, animam, nam cur formam fingis sic imperfectam, vt indigeat hoc modo superaddito? Certè ego dicam debere superaddi mille alios modos, vt completiuos formæ, quod si est materialis, non est totalitas hominis, cum homo sit partim materialis, partim spiritualis. Si dicas, quod hæc totalitas sit substantia completa faciens vnum cum anima, & corpore, ergo ipsa per se non esset completa, quod enim de se completum est non potest facere

cere vnum completum ex eo, quod habeat aliud. Quare ex ijs patet totum compositum fieri ex actu, & potentia in eodem genere substantiæ inter se vnitis, neque aliud quidquam requirit ad vnitatem compositi, quod non habet vnitatē indiuisibilem in partes, sed solùm indiuisibilem in alia rota talia, quale est ipsum.

Obiectiones procedunt ferè omnes à sensu distributiuo ad collectiuum, quare aduertendum est, quod id, quod conuenit singulis in aliqua multitudine potest prædicari de illis per particulam, omnes, sic dicitur omnes discipuli ferunt calamum, sensus autem est, quod nemo est ex discipulis, qui calamum non ferat, adeoque sensus est distributiuus, & verificatur per descensum habentem particulam &, & singulis applicantem idem prædicatum, & hic habet calam um, & hic habet calamum, & sic de singulis, quod non significat, quod omnes simul, quasi manibus communibus ferant vnum calamum. Aliquando eadem particula, omnes, habet sensum collectiuum, sic dicimus omnes Apostoli sunt duodecim, quæ prædicatio de singulis seorsim verificari non potest, sed de omnibus per descensum copulatum accipiendo singulos cum particula, &, & semel de illis omnibus sic acceptis prædicando prædicatum. Ratio huius rei est, quia particula, omnes, numero plurali prolata significat aliquam multitudinem, non solum materialiter, sicuti significat particula, omnis, sed etiam formaliter, hoc est, quod intellectus verè distinguat pluralitatem, itaut in ea possit accipere, et singulos per se, et omnes ad modum vnius.

Aduertendum secundò collectionem, et distributionem se tenere ex parte intellectus, et non ex parte obiecti, quare idem est realiter obiectum, cum dico, omnes discipuli, siuè distributiuè sumantur, siue collectiuè, non tamen hinc infertur, quod non possint fieri diuersæ propositiones de eodem obiecto, quæ si collectiuè sumantur, falsæ essent, si verò sumerētur distributiuè essent veræ, et è contrario. Ratio huius rei est quia ad veritatem propositionis affirmatiuæ requiritur identitas inter prædicatum, et subiectum, quādo ergo intellectus affirmat aliquam multitudinem de aliquo subiecto collectiuè, vt propositio sit vera, debet dari identitas adæquata inter totum subiectum, et totum prædicatum, et sic verificatur hæc propositio, omnes Apostoli sunt duodecim. Contra verò quando affirmatur aliqua multitudo distributiuè de subiecto, vt verificetur propositio, debet dari identitas à parte rei inter singulos terminos illius multitudinis, et prædicatum; talis est propositio, qua dico, omnes discipuli ferunt calamum, et idem dico de similibus propositionibus.

Obijcies

Obijcies 1. Materia, & forma vnitæ sunt partes, sed totũ non est materia, & forma vnitæ, ergo totum non sunt partes. Minor probatur, quia forma, & materia etiam vnitæ sunt causa totius, ergo nõ sunt totum, quia causa debet distingui ab effectu.

Respondeo distinguo maiorẽ. Materia, & forma vnitæ sunt partes, si distributiuè sumãtur, cõcedo; si collectiuè nego, similiter distinguo minorẽ, totũ non est materia, & forma vnitæ, si collectiuè sumantur, nego, si distributiuè concedo; ad probationem distinguo antecedens forma, & materia vnitæ, collectiuè acceptæ sunt causa totius nego; distributiuè acceptæ concedo. Ratio est, quia sensus huius propositionis forma, & materia unitæ sunt causa totius, si esset sensus collectiuus, significaret, quod daretur identitas inter istas tres entitates ex vna parte, nempe materiam, formam, & vnionem, & inter causam totius ex altera parte, quia intellectus conciperet illa tria indiuisibiliter ex parte subiecti, scilicet materiam, formam, & vnionem, ex parte prædicati conciperet causam totius, & coniungeret hoc subiectum cum hoc prædicato, adeòque ad propositionis veritatem requireretur identitas inter illa tria ex vna parte, & causam totius ex altera, quæ identitas est impossibilis, quia repugnat totum esse causã sui ipsius: at verò si distributiuè sumantur eædem partes, sensus esset, quod darentur plures identitates; nempe vna inter materiam, & causam totius, alia inter formam, & causam totius, tertia inter vnionẽ, & causam totius, quia tunc intellectus concipiens formam per se, eam vniret cum prædicato, nempe causa totius, et accipiens pariter materiam, cum ea coniungeret causam totius, et idem dico de vnione, vnde ad veritatem propositionis in sensu distributiuo requiruntur tot identitates, quot sunt partes subiecti, quæ identitates verè dantur à parte rei, cum realiter materia sit causa intrinseca totius, & idem dico de forma, & vnione, licet ergo ex parte obiecti in subiecto vtriusque propositionis veniat eadem realitas, non tamen sufficit ad verificandam propositionem in quolibet sensu, vnde diximus in logicis, quod est vera propositio, peccans est creatura Dei, et tamen non datur identitas inter prædicatum, et subiectum.

Dices, saltem hoc prædicatum causa intrinseca adæquata totius, debet prædicari de materia, et forma vnitis etiam collectiuè acceptis, sed causa adæquata distinguitur ab effectu, ergo materia, et forma vnitæ, quamuis collectiuè acceptæ realiter distinguuntur à toto, quod est ipsarum effectus.

Respondeo, negando maiorem, in causis enim intrinsecis implicat

car causam esse adæquatam, quia cum causent totum componēdo, essentialiter debent esse causæ inadæquatæ, semper enim conceptus compositi dicit omnes partes per modum vnius, et consequēter nihil potest componere totum, et simul esse adæquatè ipsum totum, quod componit, quia destrueretur conceptus componendi, esset enim ex vna parte cōponens, quia ita supponeretur, et ex alio capite non esset componens, quia totum adæquatè non componitur à toto adæquato.

Objicies secundò. Aristotelem pluribus in locis, nam 7. Metaph. textu vltimo dicit syllabam, ba, non esse b, et a, et 2. textu diuidit substantiam in materiam, formam, et compositum, et 8 pariter Metaphysicæ textu 18. sic loquitur, sed est quid ipsum totum præter partes, ex quibus constat, et 5 Metaph. textu 19. ait, sex non esse bis tria, sed semel sex.

Respondeo ad primum locum Aristotelem velle syllabam ba, non esse b. et a. quomodocumque, sed cum tali ordine scriptionis, seu prolationis, vt prius proferatur vel scribatur b. deinde a, & hæc prolatio, vel scriptio sit vna, hoc est non interrupta, quia debet dari vnio illa, quæ potest esse inter has litteras, vt constituant vnum sonum vnius syllabæ. Ad secundum locum respondeo bene diuidi substantiam in duas partes, et in totum, quia partes distributiuè non sunt totum, et ità datur hæc pars tamquam vna realitas, et altera pars tamquam alia, et ambæ simul cum vnione, nempe totum, quod est tertia realitas. Ad tertium respondeo, solum ibi dici, quod inter partes requiritur vnio, sine qua non est totum, vnde subdit Aristoteles, quod in aliquibus corporibus causa vnitatis est viscositas, per quam tamquam per vnionem vniuntur duæ res quantæ. Ad vltimum respondeo vnum numerum senarium haberi per suam collectionem formaliter, at verò bis tria habentur per duas collectiones, adeòque aliud est concipere per duas collectiones tot entitates, aliud est concipere eaidem per vnam; quod si loquamur à parte rei, datur fundamentum tam ad faciendas illas duas collectiones dicendo bis tria, quam ad faciendam vnam dicendo sex.

Objicies tertiò. Vera est hæc propositio, humanitas habet corpus, et animam vnita simul accepta, ergo humanitas non sunt illa tria etiam collectiuè accepta, quia non possent prædicari in obliquo de humanitate.

Respondeo illam propositionem esse veram in sensu formali, non in sensu reali, sicuti etiam est vera solum in sensu formali, hæc pro-

propositio, verum est habens veritatem, ens est habens entitatem; & tamen veritas non distinguitur à verò: & entitas realiter est ens, sed solùm per diuersum modum concipiendi; possumus enim eandem rem concipere per modum adiacentis alteri; v. g. quatenus æquialet formæ physicæ, quæ est pars adiacens materiæ, & tunc pronunciatur termino abstracto, & possumus eandem rem concipere per modum rei, per se stantis, quatenus æquialet materiæ, & tunc pronunciamus nomine concreto, ità dicimus de quacunque re, hæc est habens essentiam, & tamen essentiam non distinguitur realiter à re cuius est essentia.

Obijcies quartò. Bene potest dici totum est compositum, non autem potest dici, totum est vnitum, at verò è cõtrario partes possunt dici, sunt vnitæ, nõ autem sunt compositæ; ergo totum distinguitur à partibus.

Respondeo, quod vox compositum dupliciter accipi potest, primò quasi iuxta positum, & in hoc sensu dicimus componere duas res, hoc est simul ponere, & tunc idem sonat, ac vnire, vndè tunc compositum in adiectiuo idem sonaret, ac vnitum, seu positum cũ alio, atque in tali sensu non posset verè dici, totum est compositum, quia totum non ponitur cum alio, sicuti etiam dici non potest est vnitum. Secundò vox, compositum, magis propriè accipitur, tanquam habens. & tunc partes vnitæ distributiuè acceptę veniunt in obliquo, vnde idem sonat compositum, ac habens partes vnitas. Porrò si partes accipiantur in recto, & collectiuè etiam de ipsis debet prædicari, sunt compositum, & non potest prædicari, sũt vnitum, quando ergo dicuntur partes vnitæ, semper in tali conceptu pro subiecto vnionis veniunt in recto singulæ partes distributiuè connotantes alias compartes in obliquo; cum quibus vniũtur, hoc ipso enim, quod dico vnitum, intelligo habens vnionem cum altera parte, quare nunquam in tali prædicatione veniunt omnes acceptæ collectiuè, & in recto, quod est necessarium, vt possit de illis prædicari compositum.

Ex dictis colligitur, quod partes intrinsecæ etiam distributiuè acceptæ non sint causa rigorosa respectu totius, deficiunt enim in multis à ratione veræ causæ, primò, quia non distinguntur adæquatè ab effectu, cum totum dicat inadæquatè singulas partes: implicat autem, quod aliquid, vel adæquatè, vel inadæquatè se ipsum causet. Secundò, quia pars non dicit relationem transcendentalẽ ad totum, quia iam partialiter referretur ad se ipsam. Tertiò, vt vidimus, nec potest dari causa intrinseca adæquata, sicuti necesse est,

Digitized by Google

est, vt detur causa extrinseca adæquata. Quartò, neque datur vera prioritas naturæ inter causam intrinsecam, & totum, quia causa intrinseca non est sola vnitas partis, sed etiam partis in recto dicens in obliquo vnionem, & alteram compartem existentem, hoc enim ipso, quod concipitur pars vt causa, concipitur etiam existens vt tota entitas totius partim in recto, & partim in obliquo, quæ tota se tenet ex parte causæ: ergo entitas effectus, nempe totius non potest concipi, vt proueniens pro posteriori à tali causa, quia nullo modo verificatur ratio prioritatis supra assignata.

Non tamen negari debet, causam intrinsecam posse dici causam per aliquam proportionem ad veras causas: proportio autem est, quod sicuti vera causa se habet, vt determinatiuum ad existentiam effectus, sic etiam pars est aliqua modo determinatiua existentiæ totius: nam si Deus velit existere compositum, & ponat solam materiam adhuc non est adæquatè determinatum compositum, vt existat, sed debet vlterius ponere alias partes, ergo materia se habet aliquo modo, vt determinatiuum. Dixi aliquo modo, quia verè illa entitas non est rigorosè determinatiuum respectu totius, sed quia illa intelligitur, est totum partialiter determinatum, potest hoc explicari similitudine medij, & finis, nam etiam habito medio non sum contentus, sed quæro adhuc finem, pars tamen finis non est medium, quia habita parte sum partialiter cõtentus, et ita pars finis habet rationem finis partialiter. Vera causa se habet, vt medium, et effectus, vt finis, at causa intrinseca se habet vt pars finis, sicuti enim aliquo pacto pars finis ordinatur ad totum tamquam constitutiua ipsius sita etiã causa intrinseca. Argumenta P. Vasquez bene soluũtur à P. Arriaga, & Ouiedo, et nos ea afferemus agentes de formis partialibus viuentis, spectant enim ad eam materiam.

ARTICVLVS II.

Quid sit vnio, & an realiter distinguatur à partibus.

VNio ex ipsa voce pàtet, quod sit nexus ad faciendum vnum, siue substantiale, siue accidentale, hoc autem dupliciter fieri potest: primò, cum aliquod ens per suam entitatem vnitur alteri, tales sunt modi, qui faciunt vnum cum re modificata per se ipsos, sic vbicatio se ipsa vnitur rei vbicatæ, sic etiam materialiter se habens

duo anuli qui ad inuicem se ipsis vniuntur, eo quod alter intra alterum sit, hoc est habent ambo talem collocationem partium, cum tali duritie, &c. Secunda vnio de qua agimus est illa, quæ vnit duo in ordine ad faciendum vnum, sicuti materialiter funis colligat duo ligna, & gluten coniungit duas tabulas, hæc autem vnio non est quæcunque colligatio, sed talis vt sit vltima formalis determinatio, qua duo coalescant in vnum compositum, vnde actio, qua effectus dependet ab agente, est quidem aliquis nexus inter agens, & effectum, sed non faciens vnum compositum, sed solum vnum dependens ab alio. & visio intuitiua, qua Angelus, videt alium Angelum sibi intimè præsentem essentialiter quidem exigit intimam præsentiam illius intra se, sed non per modum nexus faciendi vnum, at verò vnio ex sua essentia formaliter facit, vt duæ res sint intimè præsentes, & exigit inseparabilitatem illarum, itaut si vna ex illis moueatur, necesse sit, vt altera etiam moueatur cum illa, quia vnio est exigentia immediata, vt vna pars nō separetur ab alia, vnde Theologi dicunt in materia de Sacramentis ex Tridentino, quod sanguis & anima Christi Domini veniunt concomitanter per verba consecrationis hostiæ ex vi vnionis, quam habent cum corpore, bene igitur definiri potest vnio, quod sit ratio formalis, qua fit vnum compositum, & partes sint inseparabiles. Ita docent Suarius disp. 15. metaph. sect 6. Hurtadus disp. 8. Physicæ sect. 1. & Card. de Lugo de Incarnatione quæst. 15. sect. 16. & de Sacramentis quæst. 8. sect. 2 nom 6.

Dices. Etiam actio eductiua formæ se ipsa vnitur cum materia, & facit, vt forma sit vnita cum materia, quia non potest esse talis actio, qua producitur forma, quin forma etiam sit cum materia, ergo hæc definitio conuenit actioni materiali.

Respondeo quod talis actio, qua producitur forma materialis, habet quidem aliquid de conceptu vnionis, quę essentialiter exigit, vt forma sit intimè præsens materiæ, & hoc exigit per suam entitatem immediatè; adeoque aliquo modo vnit formam cum materia, & præterea habet prædicatum actionis, quæ formaliter facit, vt forma pendeat ab agente, & materia: an autem hoc sit sufficiens ad vnionem, & ad compositum infra videbimus.

Hoc posito videndū est primò qualis sit vnio qua vniuntur partes substantiales, vt faciant totum substantiale: ad quam quęstionem. Dico primò, Vnionem, qua fit totum substantiale nō esse accidens physicum, sed modum substantialem. Probatur, quia substantia, vt dixi, est id, quod est principium primum operationum, & in-

or-

Digitized by Google

ordine ad quod quidquid in eo est, habet se, vel vt ornatus, vel vt dispositio, vel vt proprietas, vel vt aliquo modo efficiens id in quo est. vt substantia est primum ens intentum à natura, respectu cuius accidens dicitur entis ens, ergo illud, quod constituit intrinsecè tale principium operationum, non est aliquid physicè accidens, sed est partialiter substantia. Consequentia probatur, quia primum principium, quod est substantia debet contradistingui secundum totum esse intrinsecum ab accidente, aliter esset compositum accidentale, ergo nullum accidens physicum potest intrinsecè componere essentiam vnius substantiæ, sed vnio in composito substantiali est quid intrinsecè constituens primum principium adæquatum operationum, ergo est quid substantiale. Probatur subsumptum, quia primum principium operationum non est sola materia, neque sola forma, neque vtraque præscindendo ab vnione, sed est totum compositum, sed vnio est de essentia intrinseca compositi, & præscindendo ab ea non habetur compositum, ergo est de intrinseco conceptu primi principij; quamuis enim concipiãtur materia, & forma existentes, nisi concipiatur vnio, non habetur conceptus totius, neque illius, quod se habet vt primum principium operationum.

Dices. Possemus dicere, quod totum compositum sint partes substantiales in recto, & dispositiones accidentales in obliquo, & ita saluaretur, quod compositum sit substantia adæquatè, sicuti id, quod est album adæquatè, est substantia, licet album essentialiter dicat albedinem in obliquo, quæ est accidens. Sed contra est, quia sequeretur, quod homo formaliter esset compositum accidentale, quod est falsum. Probatur sequela exemplo albi, nam ideo album formaliter est compositum accidentale, quia album dicit intrinsecè accidens, licet dicat in obliquo, sed etiam per te homo diceret accidens in obliquo, ergo esset compositum accidentale. Secundò contra est, quia totum principium operationum debet assignari, quod sit contradistinctum ab omni accidente, vel ergo in tali principio venit vnio tãquam pars intrinseca illius constitutiua, vel non: si dicas primum, ergo vnio est substantia, implicat enim, quod primum principium dicat, vt partem constitutiuam sui aliquod non substantiale, illud enim esset prima radix partialiter, quia est pars substantiæ, & non esset prima radix, quia est accidens physicum. Si dicas secundum, nempe quod vnio non sit de intrinseco conceptu substantiæ, contra est, quia sequeretur, quod existente materia, & forma substantiali, & non existente vnione existeret realiter substantia, quia per te substantia intrinsecè nihil est aliud, nisi materia,

& forma, vnio enim se habet extrinsecè; hoc autem est apertè falsū, quia existente materia, & forma S. Petri, non tamen existit S. Petrus.

Secundò quæritur, an vnio distinguatur à partibus. Negant aliqui asserentes sufficere ad vnionem partium ipsas partes proportionatas, quarum vna se habeat, vt actus, altera, vt potentia, ita Caietanus 3 parte quæst. 2. art. 7. Capreolus in 3. distin. 5. quæst. 1. Gabriel in 1. dist. 3, quæst. 4 art. 1. Gregorius, & comuniter Nominales, quos citant Conimbricenses 1. Physicorum. & Suarius disp. 13. Metaph. sect 9. Communior tamen sententia admittit vnionem distinctam modaliter ab vtroque extremo, substantialem in substantiali, accidentalem in accidentali, ita Suar. loco citato: Vasquez tom. 1. in 3. partem disp. 15 sect. 6. Ruuius 1. Physicorum tract. 2. de causa materiali quæst. vnica, Hurt. Arriaga, & alij.

Dico secundò. Vnio est distincta modaliter à partibus. Probatur, quia possunt esse partes, & non esse vnitæ, ergo vnio non sunt solæ entitates partium. Consequentia est clara, nam si entitas partium est ratio formalis vniti, non potest existere hæc entitas, quin existat talis ratio formalis, vt sæpius diximus, ergo si datur à parte rei entitas partium, & esse vnitas formaliter est ipsamet entitas, certè datur esse vnitas. Primum autem probatur in homine, nam quando homo est mortuus existunt anima, & corpus, & tamen totus homo non existit, vt patet. Probatur secundo in rebus materialibus, nam de facto existit, materia huius cathedræ, & forma huius aëris, & tamen non existit totum constans ex materia prima ligni, & forma aëris, ergo tale compositum non existit, licet existant ipsius partes.

Respondebis primò. Vnionem esse partes in recto, & indistantiam in obliquo cum cæteris dispositionibus existentibus in materia. Sed contra est, quia hæc, quæ per te veniunt in obliquo, sunt tamen de intrinseco conceptu substantiæ completæ, sicut albedo est de intrinseco conceptu albi formaliter, sed hæc, quæ veniunt per te in obliquo, sunt accidentia, indistantia enim talis situs, & dispositiones materiæ sunt accidentia physica, quæ non possunt esse de conceptu intrinseco substantiæ, ergo non possent esse vnio, nec de intrinseco conceptu vnionis, vt probauimus. Secundò contra est quia de facto potest dari forma intimè præsens in materia bene disposita, & tamen non sequeretur, quod talis forma esset vnita materiæ, ergo formam esse vnitam materiæ dicit aliquid aliud præter ipsam materiam, formam, inditãtiam, & dispositiones, quod autem

possit

possit esse forma in materia disposita intimè præsens absq; eo, quod sit vnita cum illa materia, probatur, quia posset in Petro viuente poni anima Pauli intimè præsens, vel in eo instanti, quo est dispositum corpus Petri, posset Deus ponere duas animas intimè præsentes, & in tali casu vtraque anima per te esset vnita, quod est falsum, ergo si vna sola anima esset vnita, esset aliquid aliud præter dispositiones, & indistantiam.

Neque dicas tunc Deum determinare, quæ nam anima debeat facere vnum cum materia. Nam contra est, quia si Deus determinat, quod anima Petri faciat vnum cum materia, quidnam est hoc, quod determinat, vel est materiam formam indistantiam, & dispositiones existere, vel aliquid aliud, si secundum habeo intentum, si primum, ergo etiam erit vnita cum eadem materia anima Pauli, quia existunt materia, anima Pauli, indistantia, & dispositiones, quæ sunt id, quod vellet Deus, si determinaret animam Pauli facere vnũ cum ea materia.

Respondebis secundò. Præter supradicta requiri præterea ad vnionem, quod detur negatio impedimenti. Sed contra est primo, quia per te fieret vnum realiter per physicam negationem entitatis positiuæ, & sic vnum substantiale supra partes positiuas adderet negationem sibi essentialem, quod est contra rationem entis positiui realis, esse enim vnum compositum, non est non dari aliquam entitatem realem positiuam, quod conuenit solis compositis negatiuis, vt tenebroso, cæco, & similibus. Secundò contra est, quia hoc impedimentum nihil prorsus impediret, non enim impediret existentiam materiæ, & formæ, & intimæ præsentiæ, quid ergo impediret. Idem dico de dispositionibus, non posset enim assignari ad quod disponerent illæ dispositiones, non enim disponunt ad se ipsas, sed ad aliquid aliud, non quidem ad existentiam materiæ formæ, & indistantiæ, cum hæc omnia possint esse sine vnione, ergo male dicis, quod disponunt, quandoquidem, ad nihil possunt disponere.

Aliqui recentiores admittunt quidem vnionem inter animam & corpus propter argumenta suprafacta, sed negant dari vnionem distinctam in compositis materialibus; dicunt enim partes vniri se ipsis si coexistant, ponunt autem naturalem sympathiam, imo essentialem inter singulas formas materiales, & singulas materias, adeò vt hæc numero forma non sit proportionata, nisi huic numeromateriæ, adeòque non possit hęc forma facere vnum cum alia materia. hinc dicunt implicare contradictionem, vt existat hæc materia, & hæc forma eadem duratione, quin constituant vnum, licet possit es-

se

se materia hæc sine hac forma, & hæc forma, sine hac materia. Hæc sententia impugnatur primò, quia nullum habemus indicium, cur hæc numero materia appetat hanc numero formam, & non aliam, videmus enim, quod hæc numero materia facit vnum cum formis diuersis specie, erat enim prius sub forma ligni, deinde sub forma ignis, cur ergo non appetit æquè benè omnes formas ignis, certè nulla apparet ratio huius appetentiæ ita limitatę sine vlla maiori ratione boni, quæ sit in vna forma, & non in alia. Quod autem materia non appetat omnes formas patet, quia in tantum appetit formas, in quantum potest facere vnum cum illis, sed per te non potest facere vnum cum omnibus, ergo non appetit formas.

Secundò Impugnantur, quia hæc sententia ponit durationem tamquam partem intrinsecam totius substantialis, ponit enim vnũ substantiale consistere in existentia materiæ, & formæ pro eodem tempore, sed existere pro eodem tempore essentialiter inuoluit durationem vtriusque partis, ergo vnum substantiale constaret intrinsecè ex duplici duratione simul cum materia, et forma, hoc autem est absurdum vt infra ostendemus, quia semper variaretur cõpositum substantiale essentialiter in sua entitate.

Obijcies primò, frustra multiplicantur entia sine necessitate, ergo vnio non est distincta.

Respondeo iam assignatam esse necessitatem, quia non potest haberi conceptus vniti per solas partes indifferentes, vt actu sint vnum. Præterea vnio substantialis est necessaria ad compositum substantiale, at nisi daretur distincta ostensum est non posse assignari substantiam, cum qua identificatur, ergo debet dari distincta. Quod si loquamur de vnione accidentali inter accidens, et substantiam, necessitas est, quia potest dari accidens intimè præsens alicui subiecto, et tamen illi non vnitum, nam corpus Christi Domini, qnãdo ianuis clausis ingressum est cænaculum, fuit pro aliquo tempore penetratum cum ianua, vel cum pariete cænaculi, vel certè in hostia consecrata est penetratum cum albedine hostiæ, et tamen non potest dici album, neque tunc potuit dici vnitum cum accidentibus ianuæ, vel parietis, ergo aliud est duo esse simul localiter, aliud est esse vnita, et ita requiritur quidam nexus, ad quem sequatur indistantia localis. Præterea indistantia solum est in ordine ad locum, at vnde prouenit, quod si trahatur vnum extremum trahatur etiam, et alterum? certè possunt esse indistantia inter se, et tamen si vnum trahatur, aliud remanebit, ergo debet dari vinculũ præter indistantiam, ad hoc, vt vno moto, alterum moueatur.

Obij-

Obijcies secundò. Si vnio est nexus, sequitur, vt vbicunque sit vnum extremum, sit etiam alterum, sed hoc est falsum, ergo & antecedens. Minor probatur, nam vbicunque est tota anima, non est corpus totum, quia in capite est tota anima, & non est totum corpus. Præterea vbicunque est Verbum, non est humanitas Christi, & tamen Verbum est vnitum humanitati.

Respondeo, distinguo sequelam maioris, vbicunque sit vnum extremum tamquam in loco adæquato, ibi sit alterum concedo, tamquam in loco inadæquato nego; & in eodem sensu distinguo minorem; ad primam probationem dico locum adæquatū animę esse illum in quo potest habere organa ad operandum, in solo autem capite non potest habere omnia organa, & ideo ibi non est totum corpus. Ad aliam instantiam dico humanitatem Christi vbicunq; habere totam immensitatem Verbi, ad hoc autem, vt sit in immensitate satis est, si sit in aliquo loco determinato, licet Deus etiam sit in loco in quo non sit humanitas, quare est quidem in tota immensitate, sed non totaliter, quia locus adæquatus corpori est determinatæ magnitudinis.

Obijcies tertiò. Effectus formalis vnionis non potest separari ab effectu formali formæ, v.g. vnio albedinis cum pariete, non potest separari à dealbatione, ergo sunt idem vnio, & forma.

Respondeo negando consequentiam, quia satis est, quod albedo separari possit ab vnione, non est autem necesse, vt possit separari vnio, & remanere à parte rei separata à forma, præterea neque est necesse, vt possint duo separari realiter ad hoc, vt distinguantur inter se, vt diximus in logicis, quare dealbatio inuoluit duo, scilicet albedinem & vnionem, & hinc fit, vt non possit dari album, ni detur vnitum cum albedine.

Obijcies quartò. Vnum ens per se habetur à negatione diuisionis, ergo non habetur ab vnione.

Respondeo distinguo antecedens, habetur à negatione radicali diuisionis concedo, à negatione formali nego, & negatur consequētia: explicatur enim vnum per negationē aliarum rerum sibi identificatarum, quæ res sibi identificatæ essent chymeræ, quare explicatur per negationem chymeræ; quidquid sit talis negatio; licet augatio, sed exigentia negationis. Porrò talis exigentia formaliter constituitur per vnionem, & partes, quæ vniuntur, quia hæc exigētia est formaliter ipsum totum.

Obijcies quintò. Aristotelem, qui diuidit substantiam in materiam

riam, formam, & compositum ex his, non autem vnionem. Et 8. Metaphysices textu 16. et 15. et 2. de anima textu 1 docet inter potentiam, et actum frustra esse quærendam vnionem, et in eo reprehendit antiquos, ergo per Aristotelem non est distincta à partibus.

Respondeo ad primum locum Aristotelis, ibi diuidi substantiam in partes, vnio autem non est propriè pars, sed quid inter partes illas, vniens ipsas. Ratio est, quia licet vnio sit substantia, est tamen modus substantialis, quare participat naturam modorum, qui semper accipiuntur, vt afficientes aliud, et ita vnio semper venit, vt afficiens formam, quia forma connotans vnionem, habet rationem actus, et præscindendo ab ea non se habet vt actus, et forma, et consequenter loquendo de partibus distributiuè solùm numeramus materiam, et formam, et non ponimus per se acceptam vnionem, quod etiam facimus in enumeratione principiorum. Ad secundum locum dico negari ab Aristotele vnionem tanquam tertiam rem, inter actum, et potentiam, sicuti est gluten inter duas tabulas, quo pacto ponebatur ab antiquis tamquam quædam viscositas, et tertia pars intermedia, cum enim actus sit proportionatus potentiæ non debet inter hæc duo poni aliquid tertium, quod vniri debeat tamquam tertia pars intermedia cum vtroque extremo; hoc enim solùm requiritur in ijs rebus, quæ non sunt proportionatæ; non autem negauit vnionem, quę se haberet vt quo, ita S. Thomas ibi, Fōseca, et alij interpretes communiter.

Ex dictis colligitur, cur non sufficiat proportio inter materiam, et formam, vt faciant vnum; ratio enim est, quia ista proportio solum dicit vnum in actu primo, hoc est habilitatem, vt materia vniatur cum forma, non autem dicit esse vnita hæc duo, sicuti proportio causæ in effectum, non sufficit, vt causa sit actu causans formaliter, nisi superaddatur actio. Colligitur secundo vnionem se ipsa vniri partibus, est enim modus, et essentialis determinatio, qua partes actu vniuntur, determinatio autem non potest determinari in eo, in quo est determinatio, quamuis possit determinari in alia ratione, sic vnio inter animam, et Corpus Domini, licet se ipsa vniatur his partibus, tamen vnitur personæ Verbi per aliam vnionem, nempe per hypostaticam, quia illa vnio inter animam, et corpus est indifferens, vt vniatur cum Persona Verbi. Cæterum de vnione partium continui, et quantitatis suo loco dicemus.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

An vnio sit simplex, & distincta à causalitate, & à duratione.

POsito, quod vnio sit realiter distincta à partibus, dicunt aliqui dari duplicem vnionem in composito alteram ex parte formæ, alteram ex parte materiæ ita Hurtadus disp. 5. Physicæ sect. 1. & alij recentiores. Præcipua fundamenta sunt, quia vnio recipi debet in vtroque extremo, sed res, vel tota materialis, vel tota spiritualis recipi non potest in anima, aut in corpore, ergo debet esse duplex. Præterea sicuti in relatione Pater refertur ad filium per vnam relationem, & filius ad Patrem per alteram, sic etiam materia debet vniri formæ, per vnam vnionem, & forma debet vniri materiæ per alteram. Reliqua argumenta inferius proponemus. Alij communiter asserunt vnam esse vnionem, qua vtrumque extremum connectitur. Ita Suarius loco supra citato Vasquez prima parte disputatione 9. num. 23. Ruuius, Arriaga, & alij.

Dico primò. Vnica datur vnio in composito. Primò probatur, quia frustra multiplicarentur entia, si illud idem, quod præstant plura, posset vnum præstare, sed id, quod formaliter præstant duæ vniones, præstat vna, ergo vna solùm datur. Minor probabitur solutione argumentorum.

Secundò probatur, quia si necesse esset, vt eadem vnio subiectetur in vtroque extremo, vel adhæreat vtrique, nullum sanè est absurdum, quod aliquid materiale sit in subiecto spirituali simul cũ materiali, ergo ex hoc capite nulla est necessitas ponendi duas vniones. Antecedens probatur, nam visio, auditio, et cæteri actus sensuũ subiectantur tam in corpore, quàm in anima, pendent enim essentialiter ab vtroque, nec Deus potest facere, vt sola anima habeat visionem corpoream, neque vt eam habeat solùm corpus, ergo vtrumque debet illam habere in se, cur idem non dicimus de vnione?

Tertiò probatur, quia in rei veritate nõ est necesse, vt vnio subiectetur in vtroque extremo, ergo nulla est ratio, cur sit duplex. Consequentia patet, nam in tantum vna non sufficit, in quantum ad faciendum effectum formalem vniti, vnio debet esse in vtroque

extremo, ergo si probabo oppositum, nulla est ratio. Probatur autem oppositum, quia vnio per suam entitatem est nexus duorum, ergo vbicumque subiectetur, debet essentialiter denominare duo connexa, et constituentia vnum, cur ergo requiritur præterea, vt subiectetur in vtroque extremo?

Dices, connectet quidem vnio materiam cum forma, posito, quod subiectetur in materia, non autem connectet formam cum materia. Sed contra est primò, quia actio etiam per aduersarios nõ subiectatur in termino & tamen connectit terminum in ratione producti cum agente, & connectit extrinsecè agens cum terminõ, si ergo vnio est intrinseca in vtroque extremo, licet in neutro subiectetur, cur non connectet intrinsecè vtrumque. Secundò contra est, quia vnio hypostatica non subiectatur in Verbo. & tamen connectit Verbum cum humanitate, ergo non requiritur subiectatio ad hoc, vt vnio vniat extrema. Tertiò, quia duo esse connexa formaliter non dicit, quod illa subiectent aliquem nexum, sed quod intrinsecè habeant aliquam entitatem, quæ exigat essentialiter, vt vbi sit vna entitas vnius extremi, ibi sit etiam altera, ad quod non videtur necessarium, quod talis vnio sustentetur, sed satis est quod sit intrinseca, et vel adhæreat vtrique extremo, vel vni inhæreat, alteri adhæreat, quare etiam si vnio inter animam, & corpus Petri non sustẽtaretur ab vllo subiecto, sed miraculosè à solo Deo, sicuti est creatio tamen essentialiter essent per illam partes vnitæ, & Petrus esset idem homo substantialiter, quia nihil mutatur de substantia Petri, ergo nõ requiritur, vt vnio sit subiectata ab vtroque extremo. Denique contra est, quia sequeretur, quod aliquid accidentale ingrederetur in conceptum intrinsecum substantiæ, quia vnio per te intrinsecè inuoluit sustentari, et præscindendo ab hac sustentatione non habetur conceptus formalis intrinsecus vniti, sed sustentatio est aliquid accidentale, vt infra probabitur, ergo totum substantiale conflaretur intrinsecè in ratione totius ab aliquo accidente.

Dices secundò, requiri vnionẽ subiectatã in vtroq. extremo, quia vterq. terminus est perfectibilis intrinsecè, quod non valet in verbo Diuino, cũ intrinsecè perfici nõ possit ob infinitãperfectionẽ. Sed contra est primò, quia ad hoc, vt aliquid perficiatur intrinsecè duo solum requiruntur, primũ est, quod sit aliquid in illo, vel inhæsiuè, vel adhæsiuè; secundum, quod sit capax perfectionis respectu illius, non est autem necesse, vt id per quod perficitur, subiectetur in subiecto perfectibili, Patet hoc multis exemplis, primò in ipsa ma-

materia quæ non solum perficitur ab vnione cum anima, sed etiã ab ipsa anima, quæ tamen non subiectatur in materia. Secundò, quia anima perfecitur à materia, et tamen materiam non subiectat. Tertiò, patet in termino actionis, qui perficitur per actionẽ accipiendo esse formaliter per illam, et tamen eam non sustentat, ergo perfici ab aliquo intrinsecè non dicit sustentationem. Denique contra hoc militat quarta impugnatio suprafacta.

Dices tertiò. Omnis denominatio intrinseca est per formam intrinsecè inhærentem, sed animam esse vnitam corpori est denominatio intrinseca animæ, ergo est per formam illi inhærentem. Sed contra est primò, instantia de creatione, Angelus enim dicitur intrinsecè creatus, et tamen forma denominans creatum est ipsa creatio, quæ nullo pacto sustentatur ab Angelo, ergo falsum est quod omnis denominatio intrinseca habeatur per formam inhærentem rei denominatæ. Secundò, quia iuxta communem Theologorum locutionem, vt refert Card. de Lugo supracitatus Verbũ vnitum naturæ humanæ est denominatio intrinseca Verbo, & tamen vnio non inhæret Verbo, ergo falsum est, quod assumunt aduersarij: quare ad rationem denominationis intrinsecæ satis est, vt forma denominans sit in re denominata, vel inhærendo, vel adhærendo, vt patet in anima rationali, quæ denominat corpus animatum, et tamen illi non inhæret.

Dices quartò, SS. Patres admirantur mysterium Incarnationis, quia vnio non recipitur in Verbo, neque illud intrinsecè mutat, et tamen Verbum vnitur intrinsecè cum humanitate, sed idẽ hìc asseritur à nobis dicentibus animam vniri intrinsecè cum corpore per vnionem non receptam in anima, ergo dicimus rem valde admirabilem. Sed contra est, quia admiratio in Incarnatione prouenit ex eo, quod Verbum vnitur de nouo intrinsecè cum humanitate, et tamen non dicitur mutari intrinsecè, nec recipere aliquid intrinsecè de nouo. Nos verò solùm dicimus animam non sustentare in se vnionem, non autem dicimus non mutari intrinsecè, neque perfici, quare valde differimus ab eo, quod admiramur in Verbo, Verbum autem Diuinum non dicitur perfici, neque mutari intrinsecè, quia hæc verba sonant capacitatem perfectionis intrinsecæ; mutari enim dicit recipere intrinsecè aliquam denominationem, per quam diuersimodè se habeat, & hoc esse non potest, si entitas recipiens sit ita perfecta, vt nihil possit recipere, quod sibi sit bonum, vel malum, talis autem est entitas Verbi, & ideò nõ dicitur mutari intrinsecè, quod optimè potest dici de re creata, quæ est capax mutationis.

Adhuc autem vrget P. Hurtadus, quod ad hoc, vt aliquid perficiatur debet, vel actu, sustentare id, à quo perficitur, vel saltem posse sustentare, quia perfectiuum se habet vt actus. Sed contra est primò, quia verè anima perficit per suam entitatem corpus, & tamen corpus non potest sustentare animam rationalē. Neque dicas corpus sustentare, vel posse sustētare vnionem, qua illi vnitur materia, nam non solùm corpus perficitur ab entitate vnionis, sed etiā ab ipsa entitate animæ, ergo ad rationem potentiæ perfectibilis nō requiritur, vt sustentet. Secundò quia accidentia in Eucharistia sunt mutata intrinsecè in ratione dependentiæ, cum amplius à materia non pendeant, sed à solo Deo, ergo habent nouam perfectionem intrinsecam per actionem, quæ sustentari non potest ab ipsis accidentibus, quare hinc sequitur, quod ad hoc, vt aliquid mutetur intrinsecè, duo requirantur, primum est, vt aliquid de nouo fit illi intrinsecè quomodocumque: secundum, vt sit capax mutationis.

Ad probationem respondeo dupliciter posse dari potentiam. Primò receptiuam cum indigentia, seu capacitate nouæ perfectionis. Secūdò sustentatiuam. Prima respicit actum informantem, absque eo, quod ille pendeat à se, sicuti corpus respicit animā solùm: secunda respicit actum, non solum vt informantem, sed etiam vt dependentem à se. Ad recipiendam ergo intrinsecè nouam perfectionem, satis est altera ex his potentijs.

Secundum fundamentum erat paritas relationis in sententia eorum, qui ponunt illam distinctam à fundamento, & termino, in sententia enim nostra nullam habet vim, quia in duplici relatione veniunt in recto duo fundamenta, facilè tamen respondetur ad hāc difficultatem assignando claram disparitatem, quia relatio non facit formaliter, vt fundamentum sit intrinsecum termino, sicuti facit vnio, vnde Pater intrinsecè debet habere aliquod intrinsecum, à quo denominetur Pater. Similiter filius debet denominari per denominationem intrinsecam, adeòque debet habere relationem sibi intrinsecam. At verò vnio est intrinseca essentialiter vtrique extremo, adeòque vtrumque denominat intrinsecè.

Dices, Relatio indistantiæ dicit essentialiter terminum sibi intrinsecum, & tamē est duplex, ergo etiam vnio, quamuis sit intrinseca termino debet esse duplex. P. Arriaga disput. 4. Physicæ sect. 2. num. 59. arbitratur concesso antecedente non posse bene negari consequentia, & tamen numero antecedente dederat responsionē satis bonam ad hanc consequentiam negandam, quam eandem responsionem hic libenter adhibebo; dico ergo, quod licet daretur

argu-

argumento, quod duæ relationes indistantiæ, altera sit vbicata per vbicationem A. altera sit vbicata per vbicationem B, quæ vbicationes essentialiter habent, vt si ambæ existant, sint penetratæ, & consequenter ho habent etiam ipsæ relationes, tamen negatur consequentia, ratio est, quia quodlibet ex illis entibus indistantibus est sufficiēs subiectum relationis, vt patet in alijs relationibus, posito, quod sint modi distincti à fundamento, & termino, ex altero capite non esset maior ratio, cur talis relatio indistantiæ subiectaretur potius in vna vbicatione, quàm in alia, cum vtraque habeat idem ius, & eandem prorsus exigentiam, ergo ne fiat alteri iniuria ponenda est duplex, quæ responsio æquè valet in relatione indistantiæ, ac in alijs; at verò datur sufficiens ratio, cur vnio subiectetur potius in materia, quàm in forma, vt mox probabimus.

Dico secundò. Vnio non subiectatur in vtroque extremo; hæc conclusio est contra Arriag. eadem quæst. 4 sect 4. num. 118. & aliquos recentiores. Probatur, quia hoc duplex subiectum subiectans non requiritur, vt vnio præstet rationem suam formaliter, vt nuper probauimus, & idem Auctor concedit, imo probat initio huius sectionis 4. neque habemus vllam aliam necessitatem. neque indicium, quod vnio pendeat in genere causæ materialis à forma, ergo non debemus hoc gratis asserere.

Dices cum Arriaga. Non habemus specialem rationem, cur potius ponamus vnionem subiectari à materia, & non à forma, ergo non debemus hoc gratis negare: sed contra est, quia quod vnio pendeat à materia, omnes debemus admittere, quia agens naturale adiutus à materia, producit in ea quidquid intendit producere, vt patet in omnibus formis materialibus, & in ipsa vnione cum anima rationali, ergo est ratio propria, & peculiaris, quod vnio debeat à materia pendere, quam rationem non habemus, vt debeat pendere à forma; ratio autem positiua, cur nō debeat pendere à forma, habetur ex communi paritate aliarum formarum, quarum subiectum est sola materia; vnde sic argumentor, sola materia est sufficiens subiectum aliarum formarum, nisi datur ratio peculiaris talis perfectionis formæ, sed in vnione non datur talis peculiaris perfectio, ergo sufficienter pendet à sola materia tamquam à causa, adeoq. à sustentante. Secundò probatur etiam positiuè ex cōceptu materiæ, nam modus causandi materialiter est subiectum causare per modum determinabilis, & non per modum determinatiui, quod supra explicauimus cō-

sistere

sistere in eo, quod subiectum ex vi agentium naturalium possit trãsire ex vna specie, seu indiuiduo in aliud, sed optimè potest materia ex vi agentium naturalium transire de vnione cum forma ignis ad aliam vnionem cum forma aquæ, & forma ignis non potest naturaliter transire de hac vnione cum materia A, ad vnionẽ cum materia B, ergo non habet modum causandi materialiter, & vt subiectum. Confirmatur, quia ipsa forma in ijs formis, in quibus se habet vt subiectum potest transire de vna in aliam formam; v.g. anima, quia est subiectum, accidentium sibi propriorum potest naturaliter vnum accidens amittere, & aliud accipere; sic etiã in actibus vitalibus materialibus, qui ratione suæ perfectionis debẽt sustẽtari etiam ab anima, potest transire de vno in alium, ergo in reliquis omnibus, vbi habemus rationem subiecti, habemus etiam hanc determinabilitatem iam dictam, quam non habet forma respectu suæ vnionis cum materia, adeoq; non debet illam sustẽtare.

Instabis. Materia est subiectum quantitatis, & anima suarum potentiarum, & tamen non potest materia naturaliter transire de hac quantitate in aliam quantitatem, neque anima de hoc intellectu v.g. in alium; facilè soluitur hæc instantia, nam materia saltẽ conditionatè habet naturaliter posse transire in alium actum, nempe si corrumperetur hæc quantitas, quam habet, & per accidẽs est materiæ, quod quantitas non possit corrumpi, quia nulli agenti naturali est contraria: cæterum si miraculosè corrumperetur, emanaret à materia connaturaliter alia quantitas, sicuti corrupto in aqua frigore, emanat in se aliud frigus. Ad aliam instantiam de anima, in primis existimo potentias ipsius spirituales non esse distinctas realiter ab ea. Secundò dico, quod si ponantur distinctæ, valet eadem responsio de materia respectu quantitatis, si bene philosophari velint; qui eas distinguunt, non minus enim intellectus, v.g. se habet in hac sententia respectu animæ, quàm virtus aquæ nempe frigus respectu aquæ, sed frigus reproducitur ab aqua, si corrumpatur, ergo intellectus si miraculosè corrumperetur, reproduceretur ab anima.

Vrgebis hæc virtus in materia respectu quantitatis non esset naturalis, nam nulla virtus naturalis datur, quæ vt exerceatur, supponat miraculum, vt dictum est, cum egimus de corporis immobilitate, sed talis esset hæc virtus in materia, ergo non esset naturalis. Sed contra est nam materia, vel habet solum potentiam passiuam respectu quantitatis, vel etiam habet actiuam; certè quam, cunque habeat potentiam, illam exercuit in prima sui creatione, natu-

Digitized by Google

naturaliter enim tunc recepit in se quantitatem, hoc ipso ergo, quod datur potentia potens ponere naturaliter suum, actum consequenter, & ex necessitate habet, vt reparet illum actum casu, quo ipsum amittat, nisi aliunde obstet, quod multo magis valet in potentia mere passiua, de qua hic loquor, adeoque iam posset materia si spoliaretur quantitate concurrere ad productionem alterius, solùm vt potentia passiua, & Auctor naturæ facto eo miraculo deberet ponere aliam quantitatem in materia. ni velit facere aliud miraculum contra exigentiam naturalem materiæ, sed de hoc infra: neque hoc contradicit doctrinæ traditæ in quæstione de corporis mobilitate, solum enim ibi diximus non posse dari virtutem motiuam in stellis v.g. Vrsæ maioris, vt ascendant sursum, quia talis potentia numquam ponit suum actum, quia nunquam ascenderunt naturaliter in talem situm, cum semper ibi fuerint, adeòque solùm haberet actum omninò posito miraculo, quod vt dictum est hic non euenit, cæterum, quidquid sit de hoc, habemus saltem in causa materiali, vt si spolietur forma, vel transeat in aliam formam, vel saltem exigat naturaliter transire, quod non habemus in forma, quæ corrupta vnione cum subiecto, non trahit, nec exigit naturaliter transire ad aliam materiam, nec ad aliam vnionem, ergo vnio respectu formæ non se habet sicuti respectu materiæ, quæ est subiectum ipsam sustentans. Tertiò probatur eadem conclusio ex artic 5. vbi probabimus formam materialem pendere ab agente per eandem actionē, per quā idem agens producit vnionē materiæ cum forma, adeòque non potest ex ea ratione præcisè vnio pendere à forma. An denique forma sit subiectum recipiens vnionem, absque eo quod sustentet inferius dicemus.

Obijcies cum quodam recentiore. Si vnio esset simplex, haberet sibi oppositam vnam negationem, sed habet duas, ergo est duplex Minor probatur, quia mortuo Petro; viuente anima habet intrinsecam priuationem vnionis, quàm corpus, sed possunt esse distantia hæc duo, ergo priuatio, quæ est in anima, est diuersa à priuatione, quæ est in corpore, eadem enim priuatio non est in duplici loco.

Respondeo negationem oppositam vnioni esse vnam: ad probationem dico priuationem vnionis esse intrinsecam animæ, & corpori præscindendo à loco, hoc enim habetur per vbicationes, quare si corpus Petri viuentis hic Romæ, replicetur in India, licet haberet intrinsecè vnionem in se, non tamen haberet vnionem sibi intrinsecam in India, vnio enim illi intrinseca in India non habetur per solam vnionem, sed per vnionem vbicatam in India, quare

licet

licet detur vnio, si tamen non datur illa vbicatio vnionis, non potest dici in India, quãdo ergo post mortem partes separantur, vel considerantur vt separatæ, vel nõ, si secundũ habent sibi intrinsecã negationẽ vnionis, sed præscindũt ab omni loco, si autem considerentur vt separatæ, tunc anima, & corpus non habent vnionem, non per negationem vnionis separatim existentis, vnio enim separatim existẽs est chymera, quare habẽt negationẽ vnionis chymericè, quod nihil faitad rem, habent etiam negationẽ realẽ vnionis. i bi vbicatæ quæ negatio est mera negatio vbicationis negationis.

Secũda difficultas proposita erat, an vnio esset idem cum actione productiua formæ, & consequenter cum duratione. Sunt aliqui recentiores, qui ad maiorem naturæ parsimoniam docent idem esse. Mihi verò oppositum videtur dicendum, nempe vnionem realiter distingui ab actione, & duratione formæ.

Probatur primò, quia debemus ponere in subsstantijs, & omnibus permanentibus permanentiam, quam possumus maximam, in qua nuum appareat inconueniens, sed si vnio identificaretur cum actione, quam probabo suo loco esse successiuam, & idem cum duratione, non haberent permanentiam maximam, quam sinè inconueniente possent habere, ergo vnio non est identificata cum actione, & duratione. Maior probatur, quia permanentia est perfectio simpliciter simplex, adeoque competit essentialiter Deo, quia melius est ipsam habere, quam non habere, sed creaturæ debemus concedere omnem perfectionem, vbi nullum est inconueniens, & ex aliocapite apparet sensu, quod detur ea perfectio, ergo debet concedi perfectio hæc permanentiæ. Quod autem nullum sit inconueniens, quod detur omnimoda permanentia in essendo compositis tam in subsstantialibus, quam accidentalibus patet, quia nullum potest assignari inconueniens. Quod autem sensu appareat dari hanc permanentiam, probatur, quia sensus nullam animaduertit muationem in cõpositis tam subsstantialibus quàm accidentalibus, ergo quãtum est ex vi sensuum, ratio permanentiæ stat pro creaturis. quod autẽ non daretur hæc permanẽtia in creaturis, si vnio esset idem cum actione, et duratione. Probatur quia vnio semper variaretur, quia actio, & duratio semper variantur singulis momentis ergo semper variaretur compositum; ad adhoc enim vt varietur aliquod totum sufficit variatio alicuius partis, vel alicuius intrinseci essentialiter constitutiui compositi; talis autem est vnio.

Huic argumento respondeti potest primò assignando rationem, cur

cur non detur talis permanentia in esse compositis creatis; videlicet ne multiplicentur entia, quod absurdum euitatur, si vnio est idem cum actione, & duratione. Sed contra est, quia toties est absurda entium multiplicatio, quoties idem, vel æquiualens haberetur non posito aliquo ente v.g. non posita relatione realiter distincta à fundamento, & termino, habemus sufficientem denominationem patris, similis, æqualis &c. Hinc inferimus superfluam esse relationem distinctam à fundamento, & termino, quia sine illa habetur optime denominatio, quam illa præstaret; at verò quoties aliqua entitas dat denominationē alicuius perfectionis, quæ perfectio non haberetur sine illa entitate, certè talis entitas non datur frustra, nec sine necessitate, cum per eam entitatem naturæ reddat res perfectiores perfectione illis congrua, & non deneganda sine positiua ratione, aliter possemus dicere neque dari materiam, neque formam permanentes, sed esse essentialiter successiuas, & essentialiter dependentes à talibus agentibus, quia hoc pacto dicendo non multiplicaremus entia præter ipsam durationem, sed duratio materiæ esset materia, & duratio formæ esset forma, quod sanè nemo dixerit, & ratio est, quam supra attulimus in nostro argumento; quia scilicet vbicumque nulla apparet diuersitas ex vno capite, & ex alio perseuerantia in esse non transcendit limites creaturæ, nō debemus illam negare.

Secundo dicent simpliciter non variari compositum; quia hoc compositum dicit determinatè partes tales, & indeterminatè vnionem; quare remanentibus ijsdem partibus, etiam si succedat noua vnio, esset idem simpliciter compositum. Sed contra est ratio nostri argumenti, nam hoc pacto licet concederemus aliquam permanētiam, tamen aliquam negaremus, cur autem illam negemus? certē nullum habemus indicium illam negādi, sed potius illam ponendi, quia nullam animaduertimus variationem in composito, ergo malè negant hanc omnimodam perseuerantiam, quæ est perfectio naturæ, nisi ratio positiua adducatur.

Dices tertiò, de facto variatur materia, & tamen dicitur perseuerare idem homo, ergo etiam si varietur vnio, poterit dici perseuerare idem homo. Sed contra est, quia perseuerantiam eiusdem hominis in essendo debet admittere aliquam mutationem materiæ, quia hoc euidenter probamus ratione positiua, homo enim augetur, et ex paruo fit magnus; præterea nutritur, et deperdit aliquas partes suæ materiæ, et acquirit nouas, quæ varietas non potest negari omnibus viuentibus ex nutritione, quare non possumus ponere

re hanc permanentiã propter has rationes positiuas; at vero, quod non detur perpetua successio vnionis physicè diuersę, aliunde à nobis probatur, nempe quia est perfectio, permanẽtia vnionis, et quia nulla datur positiua ratio in oppositum, ergo sicuti ibi debemus ponere varietatem propter euidentem rationem positiuam, ita hìc debemus negare, quia nulla datur ratio positiua.

Secundo probatur conclusio, etiam si actio sit permanens: nam variato agente variatur actio sed variatur agens post primam productionem v.g. formæ ignis, nam in prima productione est ignis, et Deus, in conseruatione est solus Deus, cum ignis non pendeat in conseruari à causa creata efficiente; ergo est valde diuersa prima productio à conseruatione, nec differt solo numero, sed etiam specie adeoque esset diuersus essentialiter ignis, qui conseruatur, ab eo, qui fuit primo productus, quod est falsum. Idem posset probari, posito quod actio sit terminatio decreti liberi Dei, et consequẽter habeat essentialiter esse propter aliquem finem, vt supra declarauimus, at verò substantia est indifferens, vt sit propter hunc, vel alium finem, ergo hæc numero substantia non debet esse connexa essentialiter cum fine particulari determinato, at si vnio esset idem cum actione hæc entitas substantiæ non posset esse propter alium finem; quia inuolueret essentialiter hanc actionem tamquam quid constitutiuum sui, ergo esset alligata huic fini, quod videtur absurdum, Deus enim potest facere hanc substantiam propter quemlibet finem. Similiter videtur etiam durum, quod hæc numero substantia non possit esse nisi ab hac causa, quod sequeretur in sententia aduersariorum, hęc enim actio, quæ per ipsos est vnio, esse non posset nisi ab hac causa.

Obijcies, ipsa actio materialis habet de se prædicata essentialia vnionis, ergo frustra superadditur alia distincta.

Antecedens probatur, quia præcisè per ipsam entitatem actionis materialis, connectitur forma materialis cum materia, quia vt supradiximus, illa actio essentialiter exigit, vt materia sit vbi forma, & forma vbi materia, nec potest existere eadem actio, quin vtramque intrinsecè afficiat, ergo habet sufficientia prędicata vniendi formam cum materia; neque dicas actionem esse accidens, nã ob hanc ipsam rationem potest optimè dici, quod actio materialis in formas substantiales sit modus substantialis, alia in formas accidentales sit accidens.

Respondetur tamen negando, quod actio materialis, quæ sit etiã causalitas materiæ in formam materialem habet prædicata sufficientia

tia ad vnionem requisita, ob rationes adductas; quamuis enim aliquo modo vniat, tamen non vnit cum ea permanentia debita compositis permanentibus, nam si eadem est duratio, semper variabitur, si non est duratio, saltem debet variari variato agente, talis autem variatio debita actioni materiali reddit illam ineptam ad constituenda composita tam substantialia, quàm accidentia, quibus, vt diximus, debetur naturalis permanentia in essendo. & consequenter non possunt constitui per vnionem variabilem modo dicto.

Ex dictis infertur, quo pacto sit intelligendum axioma, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sensus enim est, quod quando ponimus aliquam entitatem distinctam ab alia, debemus assignare rationem, cur illam ponamus, sufficiens autem ratio est, quod sine illa entitate distincta non habetur perfectio congrua naturæ, debet enim natura non solum facere res quomodocumque, sed debet facere perfectas iuxta earum rerum capacitatem: quare si ad explendam perfectionem alicuius rei, ponitur aliqua res, certè datur sufficiens necessitas ad rem illam ponendam.

ARTICVLVS IV.

Quid sit subiectum, quid terminus.

EX occasione superioris articuli, in quo vidimus, an vnio sit in forma tanquam in subiecto, videtur congruum semel examinare in quo consistat ratio subiecti, & termini, de quibus sæpissimè fiunt quæstiones. Subiectum tripliciter accipi potest. Primo pro subiecto denominationis ab aliqua forma, siue sit physica, siue metaphysica, solum ab eo distincta, siue sit intrinseca siue extrinseca, hoc autem subiectum potius dicendum est esse Logicè subiectum, quàm physicè, est enim id, quod in propositione venit tamquam subiectum, ad quam rationem subiecti non est necessaria vlla causalitas, vt patet in denominationibus extrinsecis, nec requiritur vlla imperfectio, quare præscindit à perfectione et imperfectione, & ita potest etiam conuenire Deo, vt cum dicitur, Deus est Omnipotens, Deus est amatus à B. Virgine &c.

Secundò. Subiectum accipitur pro subiecto maximè rigoroso, nempe pro subiecto inhæsionis, & est illud, quod materialiter concurrit sustentando formam, ita concurrit materia ad omnes formas substantiales, materiales, & ad ipsarum dispositiones. P. Arriag. dis.

4. Phys. sect. 4. num. 102. format eius definitionem hoc pacto. Subiectum sustentationis est, quod aliquid causat cum naturali exigentia, vt illud idem in se media vnione recipiat, & ab ea physicè perficiatur. Verum in primis hic auctor disp. 2. sect. 3. n. 19. impugnat has particulas, quas hic vltimo loco ponit, quod videlicet, subiectum debeat perfici ab vnione cum forma; sic enim ibi ait, multa subiecta non perficiuntur, sed potius fædantur aliquibus formis, Intellectus v g. errore, voluntas peccato, aqua calore, & in vniuersum omnia subiecta per formas contrarias; hæc ille; quare vel impugnatio auctoris nō erat bona, vel falsa est hæc definitio, quod subiectum debeat perfici ab vnione cum forma. Secundò displicet hæc definitio, quia non dum explicat, quid sit recipi, non enim est solum vniri, quia Verbum Diuinum vnitur cum humana natura, & tamen eam non recipit. Tertiò, quia subiectum causat actus vitales cum essentiali exigentia, vt cum ipsis vniatur sine vlla media vnione, & tamen respectu illorum est verum subiectum, ergo hæc definitio non explicat essentiam subiecti sustentantis in communi. Quartò denique quia hæc definitio competit aliquibus causis efficientibus, nempe causis vitalibus, quæ vt tales efficientes sunt, exigunt vniri cum suis effectibus, à quibus perficiuntur, vt superius diximus, ergo non est definitio propria causæ sustentantis.

Melius ergo explicatur ratio subiecti iuxta ea, quæ superius diximus de materia nempe subiectum sustentans esse illud quod causat aliud sibi intrinsecum per modum determinabilis ab efficiente, vt ab eo intrinseco naturaliter saltem constituatur in determinata specie; in hac explicatione ponitur quasi pro genere, id in quo conuenit subiectum sustentationis cum efficiente, nam efficiens, vt diximus est primum mouens per existentiam suam, nec est indifferens, si adæquatè accipiatur ad hanc, vel illam speciem effectus, sicuti est indifferens subiectum prout subiectum, quod concurrit indifferenter ad omnes formas, prout determinatur ab efficiente, & potest naturaliter transire de vna specie in aliam ex vi agentium naturalium, vt supra explicauimus; Addidi ita vt ab eo intrinsecè naturaliter actuetur in specie determinata, quia hæc est quasi proprietas consequens ad essentiam subiecti, quæ melius explicat eius naturam; ab effectu enim, quem sustentat, subiectum determinatur saltem naturaliter; aliquando enim determinatur essentialiter, vt euenit in actibus vitalibus qui essentialiter vniuntur subiecto in specie determinata, siue substantiali, si forma sustentata est substantialis, siue accidentali, si est accidentalis, quę petit vniri cum suo effectu vnione permanente, vt nuper explicauimus articulo

Digitized by Google

ticulo superiori. Quare hæc explicatio, & sufficienter explicat rationem subiecti sustentantis, & eam bene distinguit à modo causandi aliarum causarum: immo eadem explicatio adhuc est bona, & vera etiam in sententia admittente mutuam causalitatem inter formam, & materiam, quia videlicet forma, si quid causat, non causat per modum determinabilis, sed determinatiui impotentis transire in aliam speciem, vt dictum est supra, adeoque habet diuersum modum causandi, si quid causat à se contradistinctum in aliquorũ sententia.

Maior difficultas est in explicanda ratione subiecti, non quidem subiecti sustentantis, sed solùm recipientis formam, absq; eò quod ipsam sustentet, vt est corpus respectu animæ spiritualis; & etiam esset respectu vnionis, quam non sustentaret, in quo casu, vt probauimus, verè corpus faceret vnum per se cum anima sic vnita, quia ad rationem vnius per se non requiritur, quod forma, vel vnio sustentetur à materia, sed sufficit vt forma per veram, & realem vnionem vniatur, quæ sit modus substantialis.

P. Arriag. vbi sup. n. 104. definit subiectum prout præscindit à sustentante, & à mere recipiente sine sustentatione hoc pacto. Subiectum est quid incompletum, & præuium ad eam rem, cuius vnionẽ petit, vt ab ea perficiatur. Displicet hæc definitio non solum ob aliquas rationes suprapositas contra aliam descriptionem subiecti sustentantis, sed quia in vniuersum falsum est omne subiectum esse quid incompletum, quis enim dixerit Angelum sine cognitione A, esse incompletum, & tamen respectu illius cognitionis est verè, & rigorosè subiectum; quod si hoc intelligit de sola materia, definitio non est vniuersalis de ratione subiecti vt sic præscindentis à ratione particulari. Secundò falsum etiam est omne subiectum, quòd informatur, & recipit, aliquid absque eo, quod illud sustentet esse, præuiũm respectu illius; nam creatio, cum sit accidens, est verè in eo, quod creatur tamquam in subiecto adhęsiuè, non inhęsiuè, & tamen creatio tantum abest, vt habeat suum subiectum præuium sibi vt potius ipsa sit præuia subiecto, cum sit causalitas agentis creantis respectu rei creatæ. Neque dicas creationem se habere, vt purè terminum; nam contra est, quia creatio est accidens, & consequenter est forma accidentalis, quæ verè, & propriè de subiecto dicitur, tamquam vera forma, non solùm capax perfectionis, sed omnino indigens essentialiter ipsa re creata, quare vnitur essentialiter subiecto in genere causæ formalis, quod per ipsum Arriag. non potest competere purè termino, vt mox videbimus.

Me-

Melius ergo definietur subiectum præscindens à sustentante, & non sustentante, si dicatur quod sit illud, cui agens aliquid vnit, vel formaliter, vel radicaliter tamquam determinabili, & capaci nouæ perfectionis, & imperfectionis, à quo actuetur saltem naturaliter in specie determinata. Patet definitio ex dictis, nam si subiectum sit sustentans, saltem debet vniri radicaliter cum forma, quam sustentat, quia ipsa sustentatio exigit vnionem formalem, si non sustentet debet vniri formaliter per realem vnionem. Præterea debet esse determinabile, vt differat à forma, quia est determinatiua impotens naturaliter transire de specie in speciem, debet esse capax nouę perfectionis, & imperfectionis, vt distinguatur à purè termino, qui hoc non requirit, vt dicemus: reliqua patent ex dictis.

Denique vt definiatur subiectum non sustentans, sufficit solùm tollere à prædicta descriptione radicaliter, sed solùm apponatur formaliter, quia est de essentia talis subiecti, vt formaliter vniatur alteri extremo, similiter tollatur à definitione prædicta saltem naturaliter, quia semper habet tale subiectum, vt ex vi illius quod ipsi vnitur, collocetur actu in specie determinata, & ita habemus sufficientem explicationem ad omnes rationes subiectorum.

Terminus ex notione vulgari significat id, quod respicitur ab aliqua tendentia, seu ordine, & connexione, sic dicitur terminus viæ id, quod est vltimum, & respicitur a via vt finis, sic extrema propositionis dicuntur termini, quia sunt ea, quæ connectuntur à prepositione tamquam extrema quæ ipsa respiciet, & intendit.

Difficultas est in assignando discrimine inter terminum intrinsecum, & extrinsecum, & rursus inter terminum intrinsecum, qui se habeat vt purè terminus, & non se habeat simul vt subiectum, neq; sustentans, neq; non sustentans.

P. Ouied. hic controu. 4. p 3 §. 4. agens quid sit ratio intrinseci, postquam impugnauit P. Hurt. Arriag. et alios denique num. 17. affert suam definitionem dicens, illa ergo sunt inter se mutuo intrinseca, quæ pertinent ad constitutionem vnius per se; appellat vnum per se totum physicum, siue integrale, siue essentiale, siue substantiale, siue accidentale. Verum hæc ratio intrinseci, nisi inuoluat circulum vitiosum, est falsa; nam Deus vere pertinet ad talem constitutionem vnius per se. Si dicas, Deus pertinet, sed vt quid extrinsecum, ergo circulum inuoluis; nam declaras rationem intrinseci per pertinentiam non extrinsecam, qua vt idem auctor bene superius dixerat, idem valet ac intrinsecè; quare nisi ponatur in explicatione, quæ pertinent ad constitutionem intrinsecè, non est vera ex-

Digitized by Google

explicatio, si apponis intrinsecè, restat explicanda quid sit ratio intrinseci, cum per te ratio intrinseci nō habeatur per intimam præsentiam localem, quare nisi aliud assignes, restat æquè obscura in tua definitione ratio intrinseci, ac erat prius.

P. Arriag. hìc disput. 4. sect. 4. num. 112. postquam etiam impugnauit alios modos dicendi; tandem affert definitionem suam de termino intrinseco, nempe quod sit ille, qui verè, & per se vnitur alteri, & non in genere causæ materialis, vel formalis. Hæc definitio displicet primò, quia creatura per suam entitatem essentialiter est vnita Deo, habet enim essentialiter esse intra Deum per suam entitatem creatam, & non in genere causæ materialis, nec formalis; & tamen nō est terminus intrinsecus respectu Dei, neque Deus est terminus intrinsecus creaturæ, ergo hęc definitio conuenit alteri à definito, secundò, quia Angelus; v. g. intuitiuè cognoscit vbicationem sui intellectus, certè talis intuitio essentialiter est vnita cum ea vbicatione, quia per suam entitatem exigit essentialiter inseparabilitatem ab ea vbicatione, & tamen nec vbicatio illa, neque intuitio se habent ad inuicem vt termini intrinseci, quamuis ita vniantur, & non in genere causæ materialis, vel formalis, ergo deficit hæc definitio. Denique displicet, quia nunquam explicauit hic auctor, quid sit ratio formæ contradistincta à termino adeòq. restat obscura illa particula causæ formalis, quippe quæ æquè ignoretur, ac ratio termini intrinseci. Ex his impugnatur alius dicendi modus, quod scilicèt terminus intrinsecus sit illo, qui ex conceptu suo ita attingit aliud, vt petat sibi intimè penetratum. Militāt enim contra hunc dicendi modū duo argumenta facta contra P. Arriag. Præterea in sententia probabili datur vnio continuatiua, quæ vel est intrinseca vni extremo, & alteri extrinseca, vel est contigua, & extrinseca vtrique extremo, & tamen respicit vel vtrumque, vel alterum extremum, vt terminum intrinsecum, ergo ad rationem termini intrinseci non requiritur intima præsentia vtriusque extremi.

Ex his patet vnde oriatur ratio difficultatis in assignando termino intrinseco; non enim sufficit, neque requiritur intima penetratio, nec sufficit vnio etiam vera, & propria; præterea si ponatur talis vnio, quæ constituat vnum compositum, difficulter assignatur discrimen inter purè terminum, & subiectum non sustentans de quo diximus.

Possumus tamen sufficienter explicare rationem purè termini intrinseci per hoc, quod terminus intrinsecus vnitur verè cū alio,

cum

cum quo constituat vnum principium primum, & prætcrea ab ea vnione nulla recipiat perfectionem, vel imperfectionem in se. Per primas particulas excluduntur termini extrinseci, vt est. Deus respectu creaturæ, & obiectum respectu visionis, quamuis enim creatura, vt diximus, essentialiter per suam entitatem vniatur Deo, nõ tamen per hanc vnionem constituit vnum compositum, & principium operationum constans creatura, et Deo, sicuti constituitur per hypostaticam, per quam verè persona Verbi ita vnitur cum humanitate, vt constituat vnum compositum, et principium operationum, quæ sunt propriæ Christi Domini, et idem dico de intuitione respectu vbicationis Angeli, quia certe nullum principiũ constituitur cum ea vt patet. Suppono enim quod illa vbicatio non sit vbicatio ipsius cognitionis, quia tunc respicit illam, vt formam suam, non vt terminum extrinsecum, per vltimas particulas habetur discrimen inter subiectum, formam, et purè terminum, nam tam forma, quàm subiectum accipiunt ad inuicem perfectionem, siue imperfectionem aliquam, sunt ambo capacia perfectionis, et imperfectionis. & ideo non sunt purè termini intrinseci; at persona Verbi, et vnione hypostatica nullam accipit perfectionem, nec imperfectionem, cum vtriusque sit omninò incapax ob infinitam perfectionem, quam habet de se essentialiter.

Similiter si datur vnio continuatiua, quæ non sit in vtroque extremo, certè alterum ex illis respiciet vt purè terminum intrinsecum, quamuis enim non sit intimè præsens cum eo, quod non requiritur ad rationem termini intrinseci, vt bene probat P. Quiedus loco citato, tamen constituit cum eo aliquod principium operationum, nempe tale continuum, ad quod concurrit, et illa vnio, et vtrumque extremum tamquam partes constituentes totum, præterea illud extremum nullam in se acoipit perfectionem, entitas enim ipsius iuxta hanc sententiam remanet in se ipsa sicuti prius, quare licet extra se habeat vnionẽ, per quam facit quid perfectius in ratione continui, in se tamen nihil perficitur; Non ita euenit in forma, quæ cum sit ens incompletum intrinsecè perficitur à materia, eaque naturaliter indiget, vt existat, sic etiam res creata indiget creatione in se, à qua pendeat à Deo, et creatio indiget essentialiter ipsa creatura, at illud extremum, quod per talem vnionem continuatiuam vnitur alteri, potest in se æquè bene existere sine hac vnione; præterea subiectum perficitur in se accidente, vel si sit noxium fœdatur, vt patet, at vero hoc extremũ, neque in se perficitur, nec fœdatur ea vnione,

sed

Digitized by Google

sed remanet in se, vt prius erat, adeoque habet solùm rationem termini intrinseci.

Obijcies primò. Hæc ratio termini intrinseci est ad libitum, nã in rerum natura non habemus aliam rationem intrinseci, quam in ordine ad locum, cum vna res est intra aliam; quomodo ergo explicatur nunc ratio intrinseci per hoc, quod vniatur cum alio, cũ quo constituat vnum principium.

Respondeo negando esse ad libitum confictam talem rationem termini intrinseci. Et quidem, quod non possit consistere in intima præsentia locali argumenta suprapositа satis ostendũt; quod vero rationabiliter explicatur à nobis hoc modo ratio intrinseci, probatur. Nam quoties vnio vnit aliquid cum alio, vt constituat cum eo vnum principium, tunc id, quod ita vnitur, intrat in intentum principale, quod per talem vnionem intenditur, per eam siquidem intenditur constitutio vnius principij, in quo ipsamet vnio intrinseceè se habet, vt quid essentialiter constitutiuum illius, partes enim & vnio sunt intrinseca toti, cum ergo vnio ita attingit aliquid, vt intendat cum ipso componere aliquod totũ, quod sit principium operationum, meritò dicitur illud attingere, vt quid intrinsecum sibi, cum ita attingat, vt illud reddat partem, seu tamquam quid componens totum, quod intenditur, & constituitur ab vnione formaliter, explicatur hoc melius per terminum extrinsecum; Nam intuitio Angeli, qua intuetur suam vbicationem, licet sit essentialiter intrinseca localiter ipsi vbicationi, non tamen intendit cum ea vbicatione constituere aliquod principiũ, nec vnire secum illam vbicationem, vt formaliter existat aliquod totum, et sic dicitur vbicatio illa terminus extrinsecus, quia cum ea nihil intendit componere; ergo è contrario cum vnio intendat formaliter componere aliquod principium; bene potest dici, quod respiciat terminum intrinsecum.

Obijcies secundò. Dictum est superius, quod vnio consistit in eo, quod vbi sit vnum extremum, sit etiam aliud, nunc verò admittitur vnio inter duo extrema non penetrata, sed solum contigua.

Respondeo, vtrum detur talis vnio in continuo à me hìc non determinari, sed solùm loquutus sum ex suppositione, quod detur. Cæterum ea, quæ diximus de vnione, dicta sunt de vnione intrinseca ipsis entitatibus extremorum, ad cuius proportionem loqui possumus de alijs vnionibus, si dentur; Potest ergo dici, quod vnio continuatiua sit exigentia, vt extrema se habeant eodem modo,

quo ad locum, nempe sit contigua, adeoque ad motum vnius aliud moueatur seruando semper eandem contiguitatem cum altero, sed de hoc suo loco.

ARTICVLVS V.

Quæ sit causalitas materiæ respectu formæ, & vnionis.

CErtum est primò. In hominis generatione animam nō produci ab agente creato, sed à solo Deo, solùm autem produci ab agente creato vnionem, ad quam debent concurrere tam causa efficiens, quàm materia. Certum est secundò, materiam esse causam respectu formæ materialis, quia si materia physicè non concurreret ad formam, agens creatum procul dubio illam crearet, quia produceret nullo concurrente subiecto, ergo materia, quæ fuit in composito corrupto, remaneret in genito, nihil tamen adiuuaret agens, si ipsa non concurreret, & per consequens non habemus amplius rationem ponēdi materiam, cum tota ratio, cur materia detur, sit ne agens se solo producat formam.

Difficultas est in explicando quomodo materia concurrat physicè ad existentiam formæ, & tamen differat ab agente. Ad quam difficultatem dico, materiam cōuenire cum efficiente in hoc, quod sit in rigore causa formæ, & non solùm conditio, vnde effectus dicit essentialem ordinem dependentiæ ad materiam per causalitatem, per quam ab ea fit, sicuti dicit ad causam efficientem. Differt per aliquos in eo, quod materia exigit per illam actionem, per quam causat effectū vniri cum ipso effectu, quod non exigit causa efficiēs ex genere suo, nisi ea sit etiam causa materialis, vt est anima respectu actuum vitalium, quos producit, & sustentat. Quod autem hoc discrimen sit verum, dicunt patere, quia agens satis est, si sit applicatum passo, & non debet penetrari, neque intrinsecè vniri cum effectu, ergo per hanc exigentiam vnionis cum effectu, quam habet materia in causando, bene distinguitur ratio causæ materialis ab efficiente. Verum hoc discrimen vt suprauidimus, non videtur sufficiens, quia aliqua causa efficiens, etiam vt efficiens exigit vniri cum effectu, vt euenit in potentijs vitalibus. Secundum discrimen est, quod causa materialis est indifferens ad hanc, vel illam speciem effectus, & debet determinari ab efficiente, quæ est primū prin-

principium operationis. Tertium discrimen est, quod causa materialis debet intrinsecè perfici ab effectu per physicam mutationẽ, vnde licet Verbum Diuinum causet humanitatem Christi, & habeat vnionem cum illa, tamen non est causa materialis humanitatis, tum quia non exigit vniri cum ea per actionem qua producit humanitatem, sicuti exigit materia vniri cum forma per eã actionem, qua illam producit, tum etiam quia Verbum non est intrinsecè perfectibile, & mutabile; Hæc autem, quę dico de materia physica, intelligenda sunt de qualibet causa materiali, licet sit spiritualis, vt est anima respectu accidentium quæ recipit, de quo fusius dictum est.

Petes cur non dicimus materiam esse solùm cõditionem respectu formarum, vt videtur dicere P. Lessius lib. 3. de summo bono, & alij recentiores?

Respondeo rationẽ esse primò, quia productio formæ materialis non esset diuersa à creatione animæ rationalis, nam etiam materia se habet vt conditio requisita ad creationem animæ. Deus enim ex eo, quod videat materiam dispositam, quasi ad ipsius petitionem creat animam in homine, ergo se habet vt conditio, sed ita se haberet respectu omnium formarum, nisi ipsa tãquam causa concurreret, ergo tolleretur de medio productio naturalis. Secundò, quia huic sententiæ repugnat illud principium ab omnibus receptum. Ex nihilo nihil fit, si enim materia non concurreret, forma verè fieret ex nihilo subiecti, & licet requireretur materia vt conditio, tamen res non fieret ex conditione. Tertiò, quia cum ex vno capite semper videamus formas operantes dependenter à materia, & ex alio capite nullum sequatur absurdum, ex eo, quod materia sit vera causa, non est, cur recedamus à communi modo loquendi siue philosophandi.

Dices si materia physicè concurreret ad omnes formas materiales esset perfectior agente creato, quod non potest concurrere efficienter ad omnes formas, ergo ne ponatur tanta perfectio in materia debet dici solum, quod sit conditio.

Respondeo, quod licet materia possit concurrere ad omnes formas, non tamen potest illas determinare, agens autem potest determinare formas, quas producit, maiorem autem perfectionem requirit posse determinare aliquam speciem formarum, quàm posse ad omnes concurrere ex determinatione alterius, sicuti posse inseruire ad opera centum artificum, minor est perfectio, quàm posse determinare vnicum opus.

Loquendo iam de causalitate materiæ duplex est sententia. Prima dicit causalitatem materiæ respectu formæ esse vnionē, ita Suarez loquendo de causalitate materiæ in facto esse, non autem in fieri, vt aliqui recentiores putant. Secunda sententia dicit causalitatem materiæ respectu formæ materialis esse eandem actionē, per quam forma dependet ab agente, ita vt eadem actio comparata cum agente dicatur actio, comparata cum materia dicatur sustentatio. Ita P. Hurt. disp. 15. Metaph. sect. 2. Arriaga disp. 8. sec. 3. Ouied. hìc pun. 2. & alij recentiores.

Dico primò. Modum, per quem forma dependet à materia esse eundem modum, per quem dependet ab agente, siue primò producente, siue conseruante, nō autem esse vnionem. Et primò, probatur quo ad secundā partē negatiuam conclusio, quia vnio depēdet ab agente non per se ipsam, sed per actionem à se distinctam vt supra probaui, ergo etiam vnio dependet à materia per eandē actionem, per quam dependet ab agente. Consequentiā probatur, quia illa actio, qua producitur vnio, essentialiter per se ipsam pendet à materia, si enim per se ipsam non penderet, illa actio esset creatio, & sic vnio crearetur, quia illud creatur, cuius actio se ipsa pendet solum ab agente, & non à causa materiali; quare actio productiua vnionis debet essentialiter pendere à materia, ergo illa actio est causalitas, per quam causatur vnio non solùm ab agente, sed etiam à materia.

Hæc vltima consequentia probatur, quia illa entitas est causalitas respectu alicuius causæ, quæ se ipsa pendet ab ea causa, & quę est determinatio, & positio effectus, sed vtrumq. habet actio productiua vnionis, ergo est causalitas ipsius. Minor probatur, quia actio, qua fit vnio, essentialiter per se ipsam pendet à materia, & est determinatio, & positio vnionis, ergo habet vtrumque requisitum ad hoc, vt sit causalitas materiæ in vnionem.

Dices mediante vnione agens adiuuari à materia, quia videlicet eandem formam ponit agens per suam actionem, & materia per vnionem, quare actio agentis non esset adæquata determinatio, sed solum partialis exigens consortium vnionis, quæ tanquam causalitas materiæ concurrit ad eandem formam. Sed contra est, & probatur secunda pars conclusionis, quia si forma educitur à materia per vnionem formæ, certè pendet à materia per duas causalitates, nempe per causalitatem agentis, & præterea per vnionem, quod est superfluum. Sequela probatur, quia causalitas agentis, nempe actio, qua agens producit formam essentialiter

pendet

Digitized by Google

pendet à materia per se ipsam, aliter, vt nuper probauimus de actione vnionis, illa actio esset pura creatio, & sic forma crearetur ab agente, quare ipsa causalitas agentis debet essentialiter pendere per suam entitatem à materia, & consequenter etiam forma, quæ ponitur, per eandem entitatem actionis dependet à materia, sed per te etiam dependet forma à materia per vnionem, ergo dependet per duplicem causalitatem

Dices secundò. Causalitatem agentis se ipsa pendere à materia, quiá nimirum exigit essentialiter vnionem tanquam causalitatē materiæ in eandem formam, at creatio non exigit vllam causalitatem materiæ in terminum, quem producit ipsa creatio, & in hoc bene distinguntur creatio, & generatio naturalis. Sed contra est quia, vel causalitas agentis naturalis ex sua entitate causatur à materia, vel non, si primum habeo intentum, quia hoc pacto forma dependet à materia per causalitatem agentis. Si secundum, verè est creatio, parum enim facit, quod illa entitas exigat aliam, dummodo non pendeat ab illa, sic creatio essentialiter exigit productionem vbicationis, ex quo non fit, quo minus sit creatio. ergo disparitas assignata non est ad rem. Præterea iam supra probatum est vnionem pendere à materia per causalitatem, ergo ipsa non potest esse causalitas respectu materiæ, causalitas enim habet per suum esse pendere à causa, & non per causalitatem à se distinctam.

Nostro argumento supra facto censet P. Arriag. responderi facilè posse, si dicatur eam actionem pendere à subiecto, non vt viâ, & causalitatem ipsius, imo neque vt terminum productum ab eo subiecto, sed solum, vt à subiecto adhæsionis ad modum quo dicitur de creatione. Sed contra est, quia de facto illa actio esset creatio, illa enim actio est creatio, ad quam non concurrit vllo concursu subiectum, sed iuxta hāc responsionem ad eam actionem agentis nullum concurrit subiectum per te, ergo est verissima actio per suam entitatem. Secundò contra est, & magis explicatur nostrū argumentum; nam si per actionem nullo pacto materia cuncurrit ad effectum agentis, debet cōcurrere per aliam causalitatem: peto iam ista alia causalitas, quæ communiter dicitur passio, habet ne causam efficientem, an non? secundum dici non potest, quia nihil est non factum ab agente aliquo. Si primum certè pendet ab agēte per suam entitatem, ergo sufficit causalitas agentis, frustra ergo ponis aliam causalitatem, quæ sit actio distincta ab hac causalitate materiæ.

Hanc

Hanc secundam impugnationem conatur reddere inefficacem idem Arriag. num. 11. dicens eam causalitatem materiæ pendere à Deo tamquam ab efficiente, sed non pendere, vt viam, seu causalitatem Dei ad formam, sed vt terminum, quare Deus habet aliã actionẽ, qua formam producat, nec ait, absurdum videri, vt quæ est actio respectu vnius causæ, sit terminus respectu alterius, vt dicũt omnes illi, qui actionem creaturæ distinguunt ab actione Dei. Sed contra est quia aliquid pendere, vt terminum, & pendere vt viam, seu vt causalitatem sunt quædam vocabula, quæ debent aliquid in re diuersum significare; peto ergo, per quid differt realiter aliquid pendere à causa vt causalitatem, & pendere vt terminum, hæc enim differentia non est solum per intellectum, sed in rebus ipsis. Certè pendere aliquid vt causalitatẽ causæ A. non est aliud. quàm per suam entitatem pendere essentialiter à causa A, & esse determinationem, seu positionem, seu influxum in effectum.

Respondebis, non sufficit hoc, sed debet esse determinatiuum, seu influxus in effectum, nomine illius à quo essentialiter pendet. Sed cõtra est, nam explica hoc ipsum prædicatum, nempe quid sit esse influxum in effectum, nomine causæ A, numquid causa debet aliquid in aurem dicere suæ causalitati, vt sit sua causalitas, & nomine illius determinet effectũ Profecto non potest assignari *alius* conceptus causalitatis alicuius causæ, nisi quod ea causalitas per suam entitatem pendeat ab ea causa, & ipsa causalitas sit positio effectus, in tantũ enim effectus, pendet à causa A, in quantũ causalitas, qua ponitur effectus essentialiter pendet à causa A, nec aliud in re potest assignari amplius præter hoc, si ergo illa causalitas materiæ essentialiter pendet a Deo per te, & essentialiter est positio effectus, non potest intelligi talis effectus non pendens ab ipso Deo per hanc entitatem, tanquam per causalitatem Dei operantis per ipsam simul cum materia effectum; cur ergo dicis, quod nõ pendeat a Deo, vt causalitas, sed vt terminus? Nec vrget exemplũ de ponentibus duas actiones alteram a solo Deo, alteram a creatura, nam hæc sententia laborat eodem vitio, & redarguitur eodẽ argumento, quia scilicet actio creaturæ est creatura in sua entitate, ergo immediatè pendet a Deo, est enim de essentia creaturæ pendere a Deo tanquam à causa immediata, vt probabimus in primo de Generatione.

Aliud effugium aperit P. Ouied. ad finem num. 6 nempe si dicatur, quod causalitas materiæ pendeat ab agente non per suam entitatem, sed per actionem distinctam; sed in primis de hac ipsa

actione

actione redit argumentum supra factum, nam deberet esse creatio, cum ad ipsam actionem per te non possit concurrere materia. Secundò contra est, nam sequeretur, quod respectu eiusdem causæ efficientis media pars causalitatis in effectum esset posterior posterioritate effectus, & media solùm posterior posterioritate causalitatis, quod est absurdum. Explicatur, & probatur sequela; potest comparari cum causa ipse effectus, qui dicitur posterior posterioritate effectus, seu vt aliqui dicunt, posterioritate in quo superius explicata, rursus potest comparari cum eadem causa causalitas, seu positio eiusdem effectus, & hæc habet minorem posteriioritatem respectu causæ, cum aliquo modo sit prior effectu prioritate causalitatis; cum ergo per te causalitas materiæ sit terminus, & effectus respectu agentis concurrentis ad ipsam per actionem distinctã, certè talis causalitas materiæ habet respectu agentis omnimodam posterioritatem. Rursus causalitas ipsius agentis, per quam determinat, & ponit formam, cum sit causalitas, & non effectus eiusdem agentis, habet respectu illius solam posterioritatem causalitatis, & non effectus, seu termini producti; & quoniam adæquata causalitas à forma materiali conflatur per te, & ab influxu, & agentis in formam, & ab influxu causalitate materiæ, sequitur, quod dimidium causalitatis in formã eandem sit posterius simplici ter respectu agentis, nẽpe posterioritate termini, & alterum dimidium, nempe eiusdẽ immediata causalitas sit solùm posterior posterioritate causalitatis. Quod autẽ sequela sit absurda, Probatur, quia implicat concipere existentiam effectus non pro eodem signo pendentem ab vtraque causa, sed ab altera pendentẽ aliquo modo prius, ab altera aliquo modo posterius, vt eueniret in tua responsione, nam pro eo priori intelligeretur existens, quia intelligeretur formalis positio efficientis, & non intelligeretur existẽs, quia non intelligeretur pro eodem signo determinatio, & positio proueniens à materia, quare si negaretur mutua causalitas, vt ab hoc auctore negatur, hæc responsio non potest subsistere.

Denique probatur conclusio communiter argumento negatiuo, quia nulla est necessitas ponendi duplicem causalitatem, alteram ex parte agentis, alteram ex parte formæ, ergo sufficit vna. Antecedens patet ex argumentorum in oppositum solutione.

Ex dictis colligitur per eundem modum, per quem forma materialis pendet ab agente, pendere etiam à materia, & prout hic modus respicit agens, dicitur actio, prout respicit materiam, dicitur passio, eductio, & sustentatio. Dicitur passio, quia id, quod

ecipit a liquid in se, dicitur propriè pati, Dicitur sustentatio, & eductio, quia materia per illam causalitatem educit, & sustentat formam materialem, propriè enim voces explicantes modum causandi materiæ sunt sustentare, & educere.

Dico secundò, per eandem actionem produci, & educi formam materialem & vnionem; forma enim spiritualis creatur. Probatur conclusio, quia frustra ponitur causalitas in forma distincta à causalitate in vnione, ergo vna sufficit ad vtramque. Antecedens probatur, quia semper producuntur simul vnio, & forma materialis, ergo nullum habemus indicium distinguendi illarum causalitates, cum superius probauerimus, necesse non esse, vt vnio subiecteatur, & sustentetur ab vtroque extremo.

Probatur secundò, quia quoties duo prædicata semper reperiuntur simul, & aliunde non arguitur oppositum, debent illa prædicata identificari inter se, vt diximus in logicis, sed in omnibus productionibus, & conseruationibus naturalibus videmus, quòd semper sint simul tam productio, quàm conseruatio formæ materialis, & vnionis cum materia, & aliunde non habemus vllum indicium distinctionis, ergo debemus asserere esse eandem vtriusq. causalitatem; Cur enim agens naturale, quod semper intendit formam vnitam, & sinè vnione nunquam producit formã *materialem*, cur inquam per duas actiones eas producet?

Obijcies primò, alium esse conceptum, quod forma causetur, alium, quod vniatur materiæ, ergo per eandem actionem non potuit forma causari, & vniri.

Respondeo, quod vniri dupliciter accipi potest. Primò formaliter. Secundò causaliter; formaliter habetur per vnionem, quæ est distincta ab actione, vt dixi, causaliter verò habetur per ipsam causalitatem vnionis quæ est actio; quare idem est conceptus causari modo naturali formam materialem, & causari vnionem; in anima vero rationali, quia non causatur à materia, actio materiæ solum terminatur ad vnionem.

Dices, si Deus se solo causaret formam materialem, & vniret materiæ, in tali casu materia causaret vnionem, & non formam, ergo alia est causalitas vnionis, alia formæ.

Respondeo in tali casu dari duplicem causalitatem, & ideo est miraculosus, naturaliter autem sufficit vna causalitas.

Dices, sustentatio materiæ, quæ est illius causalitas in formam, est id, per quod forma inest in materia, sed hoc formaliter dicit vnionem, ergo causalitas materiæ in formam, formaliter consistit

in

in vnione. Minor probatur, quia præscindendo ab vnione forma, non intelligitur esse in materia, & materia sub forma, ergo vtrumque præstat vnio.

Respondeo in primis hoc argumentum etiam habere instantiã contra Aduersarios, debent enim omnes fateri aliud esse vniri, aliud sustentari, vt patet in anima rationali, quæ vnitur corpori, & non sustentatur, ergo forma materialis debet habere duas res, per quarum vnam vniatur, & per alterã sustentetur, hanc ergo dependẽtiam, quam habet in se forma materialis à materia, dicimus non esse præcisè vnionem, sed aliquid aliud.

Respondeo secundò, sustentationem naturalem formæ materialis esse causalitatem in formam, & vnionem, non autem vnionẽ in se, ex eo enim quod forma producatur per causalitatem materiæ, quæ etiam causat vnionem, dicitur forma sustentari: Quod si Deus miraculosè faceret, vt forma materialis penderet à materia, non autem ab ea dependeret vnio, in tali casu causalitas materiæ esset aliquo modo imperfecta, quia non haberet illa causalitas pro termino totum id, quod naturaliter debet habere, quia non haberet vnionem tanquam suum terminum, imò tunc neque fieret totum modo naturali, & cum concursu naturali materiæ cũ enim vnio cõstituat vltimo totum, & hæc ponatur esse à solo Deo, certè materia non concurreret ad totum, sed solum concurreret, vt causa passiua imperfecta, diceretur tamen pati formam in se, quia illa causalitas materiæ in formam vniret licèt imperfectè formam cum materia, exigeret enim per suam entitatem, vt vbicumque esset materia, esset etiam forma, sed hoc non sufficit ad perfectam vnionem, ad quam, vt supradiximus requiritur, vt sit substãtialis, & permanens, quod vtrumque deficeret illi causalitati, esset enim causalitas essentialiter successiua, & omninò accidẽtalis. Totum autem in se ipso formaliter esset, sicuti est nunc, quia esse ne eædem partes, & eadem vnio, licet à materia independens.

Restat agere de causalitate materiæ respectu totius, dicunt aliqui dari causalitatem distinctam ab vnione, et causalitate formæ, per quam materia causat totum. Ita Conimbricen 2. physicor. c. 7. quæst. 6. & 8. Alij dicunt causalitatem materiæ in totum esse inexistentiam eiusdem materiæ in composito: alij denique esse ipsam vnionem, ita Suarius disp. 15. Metaph. sect. 9. Hurtad. de sect. 3. Arriag. et alij communiter.

Vt melius quæstio intelligatur aduertendum est, non hìc quærere quomodo causa materialis hoc est, quomodo pars quæcunq.

causet totum : certum enim est partes aliquo modo esse causam totius, esse autem partes in toto nihil aliud est, quàm dari partes, et vnionẽ, ex eo enim, quod vna pars sit vnita alteri, intelligitur esse in toto; quare inexistentia nihil est aliud, quàm quod existentia partis sit vnita cum altera parte, per quod habetur formaliter inexistere in toto.

Dico causalitatem immediatam materiæ, respectu totius esse vnionem materiæ cum forma. Probatur, quia causalitas materiæ respectu totius est id per quod materia vltimo constituit intrinsecè totum, sed hoc est vnio, ergo vnio est causalitas materiæ in totum. Maior patet, quia causalitas est vltima determinatio, qua existit effectus. Minor probatur, quia præscindendo ab omni alia re, posita materia cum vnione ad formam, existit totum, neque potest quidquam assignari per quod resultet totum magis immediatè, quàm vnio, ergo vnio est id, per quod vltimo materia constituit intrinsecè totum.

Dices primò. Vnio tendit formaliter, et immediatè ad vnieudam materiam cum forma, sed materia vnita formæ non est totũ, ergo materia per vnionem non causat totum. Sed contra est, quia vnio causat materiam vnitam non tanquam causalitas materiæ, sed tanquam causalitas vniti, sicut albedo causat album, vt ratio formalis ipsius, quare materia non causat se ipsam prout vnitam per vnionem, sed potius per actionem, qua producit vnionem, quæ actio optimè appellatur vnitio; at verò respectu totius bene dici potest, quod materia ipsum causet per vnionem, quia totum non est materia, vel forma vnita, sed aliud tertium, vt diximus, quod sequitur, ad vnionem.

Dices secundò. Materia, vt vnita formæ immediatè constituit totũ tanquam causa intrinseca, ergo est causalitas, sed materia vt vnita formæ est materia in existens in toto, ergo in existentia est causalitas. Sed contra est, quia materia, vt vnita dicit duo, nempe partem, & causalitatem eiusdem partis in totum, dicit enim entitatem materiæ, quæ est pars, et vnionem, quæ est causalitas in totum: nos autem hìc quærimus de causalitate præcisè, quidnam illa sit, non autem quærimus de causa, et causalitate, quare sufficienter, assignatur vnio pro adæquata causalitate.

Secundò probatur conclusio, quia inexistentia materiæ in toto, vel est sola materia, vel sola vnio, vel vtraque simul. Primum dici non potest, quia potest esse materia sine forma, et consequenter sinè hoc toto, implicat autem, quod causalitas possit esse sine

suo

Digitized by Google

suo effectu; si causalitas est sola vnio, iam habeo intentum, si est vnio, & materia simul: contra est, quia quæro, per quid materia, sit causa totius tamquam per causalitatem, certè non debes respondere per ipsam causam, & aliquid aliud, sicuti si petam, quæ sit causalitas solis in lumen, malè respondes dicendo esse solem, & actionem, sed debes respondere esse solam actionem, nisi velimus facere quæstionem de vocibus.

Obijcies primò. Prius est materia vnita formæ, quàm totum, quia est bona causalis, ideo est totum, quia est materia vnita formæ, ergo vnio non est causalitas materiæ in totum.

Respondeo, distinguo antecedens. Est prior prioritate causæ, nego, prioritate causalitatis impropriæ concedo, & negatur consequentia; quare illa causalis est vera in sensu improprio, significat enim, quod pars vt vnita præcedat totum, vt causalitas impropria ipsius non autem, vt causa propria de qua est quæstio.

Obijcies secundò. Omnis causalitas denominat effectum, sed vnio non denominat totum, ergo non est causalitas. Maior probatur inductione, nam creatio denominat creatum, productio productum, sustentatio sustētatum, & sic de cæteris. Minor patet, quia vnio non denominat totum vnitum, sed solum partem vnitam alteri.

Respondeo, distinguo maiorem, denominat effectum causatum per talem causalitatem, concedo, denominat effectum qualibet denominatione, nego. Similiter distinguo minorem, vnio non denominat totum vnitum, concedo, non denominat causatum intrinsecè, nego, & negatur consequētia. Ad probationem dico, quod causalitas denominat effectum ea denominatione, quæ illi competit, vnde actio agentis in formam materialem est eductio per quā etiam fit totum, non tamen denominat totum eductum, semper enim debemus videre, quo pacto possit comparari forma cum subiecto denominato, & illud afficiat: quare vnio licet denominet formam vnitam, & non denominet totum denominatione vniti, denominat tamen habens vnionem: totum enim habet vnione m in se inter suas partes, habere autem vnionem inter suas partes, certè est aliqua denominatio desumpta ab vnione, quæ competit toti, licet eidem toti non competat esse vnitum, quia esse vnitum non significat habere vnionem inter suas partes, sed habere vnionem in se cum altero, quæ denominatio competit singulis partibus, quare ab eadem forma respectu diuersorum possunt haberi denominationes diuersæ.

QVAESTIO VIII

De causa formali, & finali.

ARTICVLVS I.

Quid sit causa formalis, & eius effectus. Vbi an materia possit existere spoliata omni forma.

PAuca sunt, quæ supersunt de causa formali, eaque hic breuiter absoluemus. Eius definitio fuit allata superius ex Aristotele hic textu 28. nempe est ratio ipsius quod quid erat esse, quæ ab obscuritate phrasis græcæ translata in clariorem formam significat; quod forma sit ratio illius, quod declarat, quid sit essentia rei, illud autem cuius essentia declaratur, est compositum, quod simpliciter est res, et ens completum. Appellatur ratio totius, quia est pars determinatiua in toto ad differentiam materiæ, quæ ast pars determinabilis. Dupliciter potest accipi forma, & causa formalis. Primò metaphysicè, secundò physicè, forma metaphysica est tota entitas totius concepta per modum abstracti, sicuti esset humanitas respectu hominis: forma physica est pars totius actuans alteram partem, & dans principaliter denominationē & speciem composito. Dixi principaliter, quia non dat adæquatè, speciem, vt diximus, cum etiam materia sit pars speciei constituiuá, sed hæc in hoc ordine rerum eadē est specie in omnibus compositis, at forma nō est eadem; hinc simpliciter dicitur forma dare speciem, et essentiam composito.

Nec obstat Arist. tex. 31. dicens, quod totum se habeat vt forma, et quidditas, solum enim ibi comparat totum cum partibus distributiuè et dicit totum se habere, vt perfectum, partes vero vt materiam, quia partes habent rationem causæ materialis intrinsecè componentis totum, quatenus partes.

Dices, superius dictum fuerat, quod forma causet compositum componendo, sed quidquid componit est causa materialis, ergo etiam forma erit causa materialis.

Respondeo tam formam, quàm materiam in eo præcisè, quod sint partes componentes esse causam materialem lato modo acceptam,

Digitized by Google

ceptam, hoc est causam intrinsecam, differt autem causa materialis propria à formali, quod illa componit, vt pars perfectibilis, & determinabilis, forma verò componit, vt pars perfectiua, & determinatiua, vt supra diximus agentes de materia.

Iam verò loquendo de effectu primariò formæ, omnes consentiunt illum esse totum, forma enim intrinsecè componit totum, tanquam pars illius principalis afferens determinatum esse, quod verum est tam in composito substantiali, quàm accidentali, album enim sumit suã determinationem ab albedine principaliter. Causalitas formæ in ordine ad totum est vnio modo supra explicato, ex eo enim, quod forma intelligatur vnita materiæ, resultat totum, ergo vnio est causalitas tam materiæ, quàm formæ respectu totius. Secundarius effectus, sed valde improprius est ipsa materia nõ quidem in ratione existentiæ, vt infra dicemus, sed in ratione informatæ, forma enim veré informat materiam, eamque determinat in tali specie, & huius effectus causalitas est etiam vnio, quia per vnionem forma se vnit materiæ, cum enim vnio accipiatur ex parte materiæ terminata ad formam est receptio, seu subiectio, cum verò sumitur ex parte formæ terminata ad materiam dicitur informatio, sic solet communiter dici, quod effectus causæ formalis est forma in subiecto, qui effectus non distinguitur adæquatè ab ipsa forma.

¶ Restat hìc controuersum, si tollamus quæstiones de solo nomine, an effectus formalis sit ipsa entitas formæ, & vnionis, an includat aliquid aliud, siue in recto, siue in obliquo, per quod vnus effectus formalis differat essentialiter ab alio.

Dico effectum formalem esse aliquid aliud præter formã, & vnionem nempe esse aptitudinem subiecti ad talem denominationem. Probatur primò conclusio, quia eadem forma, v. g. intellectio si vniatur lapidi non facit intelligentem, sed solum facit lapidem habentem cognitionem. Similiter si vniretur gratia sanctificans ligno, non faceret lignum sanctum, nec filium adoptiuum Dei, sed solum faceret habens gratiam, sed hoc solum proueniret ex incapacitate subiecti ad talem denominationem, ergo capacitas subiecti ingreditur essentialiter effectum formalem.

Probatur secũdò, quia vt sæpè notat Arist. simus essentialiter differt à curuo solùm ratione subiecti, curuitas enim in naso constituit denominationem simi, & curuitas in ligno non facit simũ, sed curuum, ergo subiectum concurrit ad effectum formalem simi: fateor tamen posse esse aliquas formas, quæ faciant eandem denomi-

nã-

minationem cum quocunque subiecto, quod euenit quando effectus formalis non requirit determinatam capacitatem talis subiecti.

Dices, si subiectum ingreditur rationem formalem, quoties subiecta differunt specie, etiam effectus formales erunt specie diuersi, consequens est falsum, ergo, & antecedens, nam in ratione albi equus albus, & canis albus non differunt specie.

Respondeo primò, quod effectus formalis albi non inuoluit determinatam capacitatem albi, sed solum sufficit, vt subiectum sit materiale.

Respondeo secundò, quod subiectum in quo inhæret albedo tã in æquo, quàm in cane est eiusdem speciei, est enim, vel materia prima, vel quantitas. Tertiò, quia quando dicitur album in ratione albi, iam non consideratur principaliter nisi albedo, quia propositio facit sensum reduplicatiuum.

Instabis, cognitum in ratione cogniti differt specie à cognoscente etiam in ratione cognoscentis, et tamen cognitio est eadem, et venit principaliter in vtroque, ergo denominatio cogniti etiam reduplicatiuè non sumitur à sola forma, sed etiam à subiecto.

Respondeo, distinguo consequens, nõ sumitur à sola forma præscindẽdo à modo, quo efficit subiectum, concedo, connotando modum talem afficiendi hoc, vel illud subiectum, nego: sunt enim aliquæ formæ essentialiter respectiuæ, quæ per suam entitatem habẽt diuerso modo afficere diuersa subiecta, talis est cognitio, quæ per eandem entitatem diuerso modo afficit parietem, diuerso modo afficit cognoscentem, et quamuis hic modus sit idem in cognitione, tamen idem acceptum cum pariete in obliquo nõ denominat, sicuti denominat idem acceptum cum cognoscente, vt dicemus de passione lib: 3.

Secunda Controuersia est, an materia possit existere sine forma, ad quam communiter dicimus non posse existere naturaliter sine aliqua forma substantiali, & accidentali, tum quia nunqam visa est existere de facto sine forma, tum quia est ens incompletum naturaliter exigens complementum, nempe formam, ergo natura non debet illam negare: potissima tamen ratio est, quia agens naturale non spoliat materiam omni forma, in tantum enim corrumpit vnam formam permanentem, in quantum intendit inducere aliã, ergo numquam datur actio naturalis, quæ corrumpat formam substantialem, nisi in quantum illa actio introducit aliam formam substantialem, quare nunquam materia spoliatur qualibet forma

substan-

Digitized by Google

substantiali. Quod, si loquamur de potentia absoluta, plurimi ex Thomistis negant posse existere materiam spoliatam omni forma substantiali. Idem sentiunt alij citati à Suario disp. 5. meph. sect. 9. fundamentum præcipuum est, quia materia non habet propriã existentiam. Oppositum omninò videtur verum, tum quia falsum est materiam non habere propriam existentiam, tum quia hoc admisso posset Deus producere aliquem modum substantialem per quem materia existeret sine vlla forma ex ijs, quæ de facto possunt dari.

Dices, in tali casu materia non esset in vlla specie, cum hoc habeat à forma.

Respondetur in tali casu materiam fore in specie substantiæ incompletæ perfectibilis per modum subiecti, quod esse specificum materia habet à se, & non ab existentia formæ.

Secunda sententia communior concedit de potentia Dei absoluta posse materiam existere sine omni forma substantiali, ita Scotus, & Scotistæ communiter, quos sequuntur Suarius loco citato num. 3. & Hurtad. disput. 2. Physicorum sect. 8. num. 9. Dico ergo cum communiori sententia posse existere materiam spoliatam omni forma substantiali, saltem miraculosè, vnum miraculum debet esse iuxta omnium sententiam, in eo, quod materia spolietur qualibet forma substantiali, hoc enim vt nuper diximus fieri non potest ab agentibus naturalibus. Secundum miraculum esset in sententia eorum, qui ponunt materiam pendere à forma, tunc enim Deus deberet supplere concursum formæ in materiam, at verò in sententia nostra, quæ negat materiam pendere à forma non requiritur hoc secundum miraculum, quare spoliata iam materia miraculosè omni forma substantiali existeret per concursũ subiecti connaturalem, & connaturaliter debitum: patet, quia quidquid non est effectus alterius neq. illud exigit essentialiter eo ablato debet existere, ita se habet materia respectu formæ ergo ablata forma materia exigit adhuc existere.

Obijcies primò. Materia exigit connaturaliter formam, ergo sinè illa esset in statu violento, ergo Deus faceret contra exigentiam materiæ, si illam conseruaret sine forma.

Respondeo verum esse totum argumentum, si accipiatur in sensu debito; violentia videlicet est non in conseruatione materiæ, sed in alia parte, nempe sine forma, adeoque totum miraculum esset, quod in ea non daretur forma; ceterum negatio formæ non trahit secum ablationem materiæ, sicuti si Deus impediret ignem

ne

ne combureret corpus combustibile applicatum illi, vt fecit in fornace Babylonis, miraculum esset in ea negatione combustionis, non autem in conseruatione ignis, licèt enim aliquam patiatur violentiam, non idcirco exigit non esse, melius est enim illi esse sine aliquo sibi bono, quàm omninò non esse.

Obijcies secundò. Materia non potest existere sinè aliquo accidente, v. g. sine aliqua vbicatione, & duratione, ergo neque sine forma substantiali.

Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quia nō pendet ab ea, pendet autem à duratione; de vbicatione est magis controuersū, sed si sinè ea nō potest existere, prouenit ex eo, quod habeat essentialem connexionem cum aliqua vbicatione, quæ connexio aliunde probanda est, at verò inter existentiam materiæ, & formæ non est essentialis connexio, nec materia pendet à forma.

Ex dictis infertur Deum non posse supplere causalitatem materiæ, vel formæ in ordine ad compositum, quia ipse Deus deberet euadere materia, vel forma, vt esset pars componens totiùs, similiter propter eandem rationem, neque potest supplere effectum formalem. Secundò colligitur, quo pacto materia sit medium in ordine ad formam; nam in primis *falsum* est materiam esse in rigore medium naturæ, vt habeatur forma, quia natura non intēdit per se solam formam, sed totum, quare materia habet rationem finis partialis. Præterea si consideretur tanquam mediū respectu formæ, exigit quidem naturaliter esse medium ad formam, sicuti ignis exigit esse medium naturaliter ad combustionem, non tamen ita exigit, vt si Deus velit illa non vti, vt actuali medio ad formam, idcirco exigat corrumpi, quia non exigit esse medium formæ, etiā posito miraculo, quod Deus illā spoliat omni forma.

Denique infertur actionem, qua Deus conseruaret materiam sinè forma, esse omninò naturalem, & debitam illi, licèt fortasse non habeat eadem prædicata, quæ habebat alia actio conseruans materiam vnitam cum forma, illa enim actio explicabat finē Dei volentis hìc, & nunc materiam, vt sustentantem formam; alia autem actio non respiceret hunc finem, & idcirco esset diuersa: verùm hæc diuersitas non extrahit actionem à statu naturali, quia vel ista, vel illa est debita materiæ, altera non posito miraculo, altera posito, sed de hoc articulo sequenti.

A R-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Melius examinantur causæ, cur debeat materia existere si spolietur omni forma substantiali.

TRia debemus examinare, primum cur materia posito, quod non dependeat vllo modo à formis substantialibus, aliquando non fuerit sine illis etiam connaturaliter. Secundum, an possit dari dependentia à posteriori. Tertium, qualis sit concursus Dei, quo concurreret cum materia posito, quod spoliaretur omni forma substantiali.

P. Arriag. hìc disp. 11. sect. 6. subsec. 3. postquam proposuit aliquorum sententiam, qui dicerent aliquando existere materiam spoliatam omni forma substantiali, & fundantur in loquutione Gen. in initio: Tetra autem erat inanis, & vacua, & citauit Patres, & Scholasticos quos fusius citant PP. Conimb. l. 2. phys. cap. 9. q. 6. art. 2. refutat cum communi hanc sententiam, & explicat Patres sicut explicant Conimbr. Conatur tamen postea soluere omnia argumenta, quibus probatur non posse naturaliter existere materiam sine vlla forma substantiali; denique asserit non posse communem sententiam defendi, nisi ex eo, quod esseratur materia pendere à forma tanquam à posteriori.

Conabor probare dari argumenta sufficientia, quibus suadetur non posse naturaliter materiam existere spoliatam omni forma substantiali, quamuis nullo modo ab ea pendeat, & in ptimis quod spectat ad locum geneſis, nomine terræ, non potest venire materia, sed vera terra præsertim cum ibi Moises loquutus sit historicè, vt optimè notauit ibi noster Pererius; quod si dicatur esse inanè, & vacuam, propriè significat esse tunc sine herbis, & plantis, & animalibus, & hoc aliqui SS. PP. intelligunt, cum dicunt esse informem, imo Tertullianus reprehendit Hermogenem, qui nomine terræ vsurpauerit materiam primam, eo quod detorserit, & deprauauerit vocum ipsarum significationem; videatur Pererius, qui hanc rem eruditè tractat.

Impugnat Arriaga primam rationem, quod nempe materia sit substantialirer incompleta, ergo non potest existere naturaliter sinè forma afferendo instantiam de anima rationali, quæ est etiam

ſubſtantialiter incompleta, & tamen naturaliter exiſtit ſine forma.

Sed hæc inſtantia de anima rationali nullo modo debilitat hãc primam rationem. Nam, vel loquimur de prima productione animæ rationalis, & hæc non fit niſi ad diſpoſitionem materiæ, vt ipſemet Arriag. bene probat diſput. 1. de anima ſect. 10. Vndè damnatur erroris Origines dicens animas fuiſſe productas à Deo ante illarum vnionem cum corpore, vnde miror, quod hic Auctor dixerit hìc num. 117. non eſſe adeo certum animam non poſſe primò produci extra corpus naturaliter. Verum hoc eſſe certum probatur ratione tam de anima, quàm de materia, quia Deus, vt auctor naturæ ſemper operatur iuxta finem naturæ, ita vt ſi vnaquæque res eſſet intellectu prædita, faceret iuxta rationabilem inclinationem ipſius, & quando ita nõ agit, ſe gerit vt dominus abſolutus naturæ, & dicitur agere miraculosè, cũ ergo, & anima rationalis, & materia ſint ſubſtantialiter incompletæ, exigunt alterã compartõ, vt habeatur finis naturæ, qui eſt habere totum, quod ſit prima radix operationum, niſi aliunde ab agentibus naturalibus impediatur, ergo Deus, vt auctor naturæ non potuit creare materiam, velanimam ſinè diſpoſitionibus ad alteram compartem, quia tũc ob libitum ſuum feciſſet contra inclinationem vtriuſque ſubſtantiæ eſſentialiter incompletæ, nec vlla fuiſſet naturalis ratio priuandi illas ſuo fine naturali, ergo miraculum fuiſſet.

Quod ſi loquamur de conſeruatione animæ rationalis eſt magna diſparitas inter ipſam, & materiam, nam quod corrumpatur vnio inter animam, & corpus habetur ex vi agẽtium naturalium, vt ſuppono, intendentium producere in materia ſuas formas ſubſtantiales, quæ ſimul cum anima ſibi vnita ſtare non poſſunt. At nullum eſt agens naturale, quod ſpoliet materiam forma ſubſtantiali, quin aliam introducat, totus enim finis in corrũpenda vnione formæ præcedentis eſt, vt alia introducatur, vnde dixit optimè Ariſtoteles, quod corruptio vnius, ſit generatio alterius, poteſt ergo euenire caſus naturalis, in quo corrumperetur vnio materiæ cum anima rationali, & nullum ſit agens, quod producat aliam vnionem inter eandem animam, & aliam materiam, & tunc Deus debet conſeruare ipſam animam ſeparatam, quia non pendet in eſſe à materia, & ex alio capite poteſt naturaliter ſeparari, vt diximus à materia. At materia in nullo caſu poteſt ità ſpoliari naturaliter vna forma, quin aliam recipiat, ergo naturaliter non poteſt in rerum natura reperiri ſine aliqua forma ſubſtantiali, quod ſi mira-

Digitized by Google

miraculosè spoliaretur, tunc deberet connaturaliter à Deo conseruari.

Secunda ratio, quam impugnat, est, quia materia esset valde deformis, & turpis si esset sine vlla forma substantiali; deridet autem hanc rationem perinde quasi materia, euaderet monstrum, ac spectrum, à quo refugeret natura perterrita. Verùm hæc ratio est satis bona, sed coincidit cum superiore. Deformitas enim materiæ in tali casu non esset talis, vt melior esset eius negatio, quàm ipsa, sed quia esset quid incompletum in rerum natura sinè vlla ratione naturali positum quamuis enim monstra per accidens ponantur, tamen dantur causæ ipsorum in ipsa natura, vt non fiant à Deo miraculosè; at cum in natura nullum detur agens potens totaliter spoliare materiam, est sufficiens ratio, quod ob informitatem, quam haberet, non possit à Deo poni naturaliter, sed vt dixi, hæc ratio est fere eadem cum superiore.

Tertia ratio, quam impugnat, est, quia materia esset quid otiosum, sed nomine otiosi debet intelligi, quod non posset operari, vt prima radix in composito per se, quod est naturæ intentum, quare hæc tertia ratio vix etiam differt à prima ratione si eius vis expendatur. Quarta ratio impugnata, est, quia materia numquam exiſtit sine forma, ergo signum est non posse naturaliter spoliari; impugnat autem dupliciter primo, vnde sciamus nunquam extitisse materiam sine forma, numquid habuimus de hoc reuelationem à Deo? cum præsertim illam oculis non discernamus: secundò ex eo, quod nunquam ita extiterit, vnde scimus non posse contingere? multa enim accidunt, quæ nunquam contigere.

Verùm hæc impugnatio solum probat hanc rationem non esse demonstrationem certam, & euidentem, & multo minus esse de fide. Cæterum non probat non esse valde probabilem rationẽ, cui possumus valde fidere; & in primis communiter Philosophi cum Aristotele ex eo, quod in cœlo non fuerit visa corruptio dicunt esse incorruptibile, & tamen nemo vidit omnes partes cœli ab initio mundi hucusq; secundò, peto ab auctore, an lacti debeatur naturaliter albedo, certè affirmabit; at vnde scit? numquid Deus reuelauit? dicet, quia semper obseruatum est lac sua natura esse albũ, esto, an ab initio mundi visa sunt omnia indiuidua lactis in toto terrarum orbe? ergo hæc ratio habet tantam certitudinem, quantam habet, quod lac sit album naturaliter, quod autem naturaliter non discernatur sensibus immediatè, non facit ad rem; supponimus enim hic probatum esse, quod in compositis substantialibus

bus detur materia; cum ergo hucusque à nemine fuerit obseruatum, ex accidentibus, quæ sensu percipiuntur defuisse sub illis formam substantialem valet inferri, ergo nunquam fuit obseruata materia sine forma, habetque tantam vim, quantam habet quod sub hac charta detur forma substantialis chartæ, quod est idem, ac dicere hæc res est charta; & ratio à priori est, quia nos non cognoscimus formas substantiales, nisi per accidentia, ergo vbi reperiuntur talia accidentia, asserimus ibi esse talem formam; quod si in hoc falleremur, pessimum nobis omninò fuisset consultum à natura, vt per sensus, qui dati sunt in ordine ad veritates cognoscendas, sinè vllo remedio deduceremur in falsum. Confirmatur, quia omnes dicimus esse magnum miraculum in Sanctissima Eucharistia, quod sensus perinde se habeant in videnda hostia consecrata, ac si esset ibi substantia panis; ergo hoc supponit non posse sensus nostros videre inuariata accidentia sensibiliter, si mutetur substantia rei, certè autem mutaretur, si sola materia sine vlla forma substantialiter daretur.

Refellitur similiter secunda impugnatio; hoc nunquam accedit; ergo naturaliter esse non potest. Dico enim, quod hic modus argumentandi est valde probabilis in ijs rebus, in quibus militat eadem ratio, non autem vbi est diuersa ratio, v. g. non valet dicere nunquam fuit inuenta talis demonstratio, vel tale instrumentū, ergo nunquam reperetur, quia hominum ingenia varia sunt, & longioribus experimentis plurima de nouo obseruantur, adeoque in his non militat eadem ratio semper. At si quis dicat ignis semper obseruatus est valde calidus, valebit consequentia, quia semper ratio eadem militat, nam agentia naturalia semper sunt eadē, ergo si nunquam habuere tantam vim, vt efficerent ignem non calidum, & ignis nunquam obseruatus est conseruari sine magno calore, hinc dicimus rationabiliter ignis naturaliter non potest existere nisi valde calidus; Eadem autem est ratio de materia; nam si nunquàm visa est spoliata omni forma substantiali, neque vnquam naturaliter spoliabitur, cū agētia naturalia nō habeant virtutem nouam spoliandi materiam forma substantiali sine introductione formæ nouæ, quia non expelluntur dispositiones formæ, quæ perit ex ipsarum defectu, nisi ob introductionem aliarum dispositionum, quæ nouam formam substantialem introducunt. Impugnat autem hanc optimam rationem primo, quia licet ad summum probet postquam materia habet vnam formam, non tamen probat, quod naturalitet non potuerit produci siuè vlla forma.

Digitized by Google

ma. Sed contra est, id quod superius diximus, nempe, quod Deus non potest vt Auctor naturæ non se conformare ipsis rerum naturis, quare non potest facere ignem, qui pro aliquo tempore non comburat stupam, quia eius natura exigit tale exercitium suæ virtutis, ergo multo minus potuit creare materiam, & illi denegare id, quod naturaliter ipsa exigit, nempe formam, cum qua faciat vnum, cum tunc nullum agens naturale talem productionẽ formæ impediret, sicuti de facto agentia naturalia impediunt perseuerantiam vnionis inter corpus, & animam, vnde naturaliter remanet anima, quamuis sit quid incompletum, quippe naturaliter impedita ab agentibus potentibus, ne amplius sit corpori vnita, non potest autem hæc ratio impugnari ex hoc capite, quia nõ intendit probare pro prima productione formæ, sed solum ne possit spoliari; aliunde enim probatur, vt patet de necessitate naturali productionis primæ formæ quando primum creata fuit materia.

Secundò. Impugnat, quia nihil prohibet, quod possint dari dispositiones requisitæ ad formam substantialem, quæ pereant sinè vlla noua productione aliarum dispositionum, sicut perit lux, & alia accidentia sinè introductione aliorum accidentium, certè in eo casu periret forma substantialis sinè vlla introductione nouæ formæ. Sed contra est, quia lux, & accidentia, quæ pereunt, vt sunt species, in tantum pereunt, in quantum deficit causa, si ergo ipsa essent debita formæ, emanarent ab ipsa forma, vt patet in reliquis accidentibus, quæ sunt passiones substantiæ, ergo non possent ipsæ perire, nisi prius supponatur causa perire, vt patet in flamma cuius proprietas est lux, certè nunquam lux perit, nisi quia perit ipsa flamma, quo pacto ergo possent hæc accidentia perire? non à se ipsis, quia omne ens permanens exigit naturaliter sui conseruationem, non ex defectu causæ, quia ipsa forma esset causa sufficiens illa cõseruare, ergo talis casus est naturaliter impossibilis, vndè Aristoteles vniuersaliter dixit, quod generatio vnius est corruptio alterius.

P. Ouied. hìc controu. 11. puncto 7. num. 19. & 20. hanc eandem rationem alio modo impugnat, primo, quia non habemus, quod forma debeat perire pereuntibus dispositionibus, ex quo solo fundamento asserimus, quod dispositio sufficiens ad formam suam substantialem, v.g ignis sit destructiua dispositionis sufficientis ad formam ligni, cum videamus non quamcumque dispositionem formæ ligni esse necessariam ad eius conseruationem.

Sed contra est, nam nulla est alia ratio cur agens disponat materiam

teriam, nisi vt formam substantialem introducat, vt patet, aliter ignis statim introduceret formam ignis in lignum, non expectando, quod per calorem, & siccitatem paulatim disponatur, ergo omnis introductio nouæ formæ habet mensuram quandam dispositionis sibi debitæ, qua posita statim cum ea producitur noua forma, illa autem mensura, quæ sufficit ad nouam formam corrumpit mensuram dispositionis sufficientis formæ præteritæ, quare concedo libenter, quod corruptio formæ prioris, sit pro posteriori natura ad introductionem nouæ formæ, sed non percipio cur argumëtum de dispositionibus non habeat vim, imo Ouied. ad finem nu. 20. asserit formam antecedentem semper expelli à forma subsequenti, subsequens autem in primo saltem fieri dependet à dispositionibus introductis, quod sufficit ad vim argumenti, quod ipse tamen impugnat.

Secundò probat dispositiones non requiri ad conseruationem formæ, & consequenter ex eorum destructione non perire formã, exemplo generationis viuentis, cum enim viuens exigat determinatam magnitudinem in materia, vt ipsius forma introducatur, nõ potest tamen illa materia simul habere dispositiones requisitas ad formam viuentis, quia agens prius producit intensionem in particula sibi viciniore, quàm in remotiore, quare in aliqua particula illius materiæ non erit forma embrionis quia desunt dispositiones ad ipsam, neque erit forma viuentis, quia non habet totam materiam sibi necessariam vltimo dispositam, sed solum partem illius, adeoque existet materia sinè vlla forma substantiali.

Sed contra est, quia in sententia ponente formas partiales in viuente, potest dici, quod prius disponitur vna pars, vt informetur, verbi gratia forma carnis, & alia vt informetur forma ossis, & sic de alijs, in quo casu introductis in materia dispositionibus ad formam carnis, perit forma prior embrionis imperfecti, & producitur forma carnis, cum complemento embrionis perfectioris iuxta principia illius sententiæ, quæ hìc non examino; si negentur formæ partiales adhuc benè respondetur ad hoc, dispositiones requisitæ ad animam non esse talia accidentia ita intensa solùm in hac particula materiæ, sed in tota ferè materia, adeoque dispositiones necessariæ ad conseruationem formæ embrionis non esse talia accidentia in tota sua materia, sed solùm in medietate suæ materiæ dummodo in alia medietate sint aliquanto minus intensa; dum ergo in medietate suæ materiæ existunt accidentia sua intensa v. g. vt quinque, & alia solum intensa, vt quatuor, adhuc habet accidentia

Digitized by Google

dentia sibi necessario requisita ad sui conseruationem, suppono etiam minus requiri ad conseruationem formæ, quàm ad eius primam productionem, similiter animа, vt producatur, non debet habere dispositiones æquè intensas in omnibus partibus suæ materiæ, sed in maiori parte, magis intensas, quàm in minori; & ratio est quia formæ, quæ exigunt materiam determinatam, vt producãtur non debent habere perfectissimè dispositas omnes minimas particulas ipsius, sed maiorem partem, dummodo in alijs sit aliqua saltẽ incompleta dispositio, quæ simul completa secundum maiorem partem est sufficiens dispositio ad animam, quamuis se sola non esset sufficiens. Cæterùm quamuis esset vera sententia P. Ouied, quod nempe forma non pereat ex defectu dispositionum, sed ex introductione alterius formæ substantialis, nihil certè hoc facit ad præsens intentum argumenti, quod solum intendit probare ex introductione nouarum dispositionum non corrumpi formam priorem nisi producta altera forma, quod ipse non negat; verum quia falsum puto, quod remaneret forma substantialis, si materia spoliaretur à Deo dipositionibus debitis ad ipsius conseruationem, idcirco ostendi solutionem ipsius impugnationum.

Manet ergo sufficienter probatum ex solutione impugnationũ contra nostra, & communia argumenta, quod materia non possit naturaliter esse spoliata omni forma substantiali, nec in prima sui creatione, nec postquam semel fuit informata prima forma.

Pro secundò pũcto proposito videndum est diligentius an materia pendeat à posteriori à forma posito quod non detur mutua causalitas inter formam, & materiam, ea enim posita euidens est materiam pendere à forma tanquam à priori saltem secundum quid. P. Arriag. loco citato soluit prædictam quæstionem, quod materia non possit naturaliter esse sinè vlla forma per hoc quod materia pendeat à posteriori ab ipsa forma. Censet enim non materiam solùm pendere à posteriori à forma, sed etiam essentias pẽdere à suis passionibus à posteriori, quare si Deus destrueret miraculosè formas in materia, & passiones in essentia, deberent connaturaliter perire, at si impediat ignem, ne quid producat, non debet ignis perire, quia non pendet à posteriori à suo effectu Explicans deinde num. 128. quid sit hæc dependentia à posteriori dicit materia pendet à forma, & essentia à passionibus tanquã à complemento naturali, sine quo imperfectæ essent, & quasi, si liceat id explicare, indignæ, vt in rerum naturæ existant; hæc ille. Sed primò contra est, ipsius doctrina supra allata, qua deridet eos, qui dicunt

cunt materiam non posse existere spoliatam omni forma, quia esset turpis, & fœda in rerum natura, ipse autem explicat nunc totam hanc dependentiam consistere, quia esset imperfecta materia sine forma, & indigna, vt existeret in rerum natura, ergo asserit id ipsum; quod impugnat. Secundò contra est, nam pendere à posteriori ab aliquo est per te exigere illud, vt naturale complementum sibi debitum: sed multa sunt verè complementa alicuius rei, & tamen potest res esse sine illis, ergo aliquid aliud dicit pendere à posteriori, & non benè explicatur solùm; quod sit complementum naturaliter debitum. Minor probatur. Nam aqua calefacta caret aliquo complemento intrinsecè sibi naturaliter debito, nempe tãto frigore, & tamen non perit ex ipsius carentia, ergo quod aliquid sit complementum debitum alicui rei, non facit, quod ab eo res pendeat, quod sonat esse non posse sinè illo in nullo casu naturaliter possibili.

Dices non quodlibet complementum debitum alicui esse tale, vt ab eo res pendeat à posteriori, sed quoties est tale, vt reddatur sinè eo valde imperfecta, & indigna, vt existat quippe priuata ornamento necessario. Certè hæc non repugnat vlli principio, quod res possit exigere aliquod ornamentum, vt sine eo non possit existere; sed contra est, quia conceptus causæ, & conditionis consistit in hoc, vt probauimus, quod sit aliquid requisitum, vt res existat, vel vt vult ipse Artiag. sine quo non possit intelligi res existens, sed per te non potest existere, nec intelligi, vt existens materia naturaliter sine forma, ergo se habet, vt causa, vel conditio, adeoque se habet pro priori, & non posteriori, nisi detur mutua prioritas. Explicatur hoc ipsum; nam calor v. g. & siccitas sunt ornamentũ debitum igni, & tamen sunt causa, vel conditio, vt ignis producatur, quia sine ipsis ignis fieri non potest, vt supra fusius diximus, quo modo ergo aliquod se habet, vt ornamentum necessarium ad esse rei sine, quo naturaliter esse non possit, & tam se habet pro posteriori, & non vt causa?

Dices secundò. Quando aliquid requiritur, vt causa, implicat, quod res existat, nisi Deus suppleat per suam omnipotentiam influxum illius causæ. At verò si desit id quod requiritur à posteriori non debet Deus supplere defectum illius, sed eodem planè concursu influere in rem ipsam, in quo est maxima disparitas.

Sed contra est, nam ponamus dari causas adæquatas in hoc instanti ad producendum A, à quo pro posteriori sequatur eius ornatus B, à quo per te pendeat à posteriori; Peto si Deus in tali

casu

casu faciat hoc solum miraculum, vt nolit producere B, & de reliquo velit se conformare rerum naturis, quãtum ipsæ exigunt, produceret ne ipsum A, vel non produceret? si primum ergo nullo pacto pendet A ab ipso B, nam hoc non posito per vnum miraculum, adhuc sequitur sufficienter, & naturaliter existentia ipsius A. Pendere enim est, quod eo non posito, à quo res pendet, neque ponatur naturaliter res. Si dicas secundum, ergo causæ adæquatæ ipsius A, non sunt adæquatæ, nam non sufficiunt, vt determinent existentiam effectus per se solas, ipsæ namque existunt adæquatę, vt suppono, & tamen Deus posito illo vno miraculo non faceret amplius contra ipsarum exigentiam non producendo effectum A, ergo inter adæquatam exigentiam naturalem, quæ exigit ipsũ A, intrat etiam existentia ornatus B, adeoque etiam B est partiale determinatiuum ipsius A, & consequenter erit, vel causa, vel conditio, cui debetur influxus in A, & ipso B ablato non debetur amplius, seu non ponitur influxus in A, quamuis aliæ causæ existant, quo pacto, ergo existentia ipsius ornatus B. non participat rationem causæ, vel conditionis, si sine ea, exigentia aliarum causarum est naturaliter inefficax, & insufficiens, vt ponatur earum effectus A?

Respondebis in hoc casu, exigentia causarum adæquatarum exigit naturaliter vtrumque nempe, & A, & B. indiuisibiliter, si ergo Deus non poneret B. cessaret ex hoc illa exigentia vrgere Deum, sicuti si quis petat à Rege indiuisibiliter duas gratias, vna negata non curat de alia.

Sed contra est, nam vt suppono, effectus immediatus causarum adæquatarum est ipsum A, non autem A, & B, aliter enim B. non esset posterius ad A, sed in eodem signo; quare causæ producunt solum A, ipsum verò A, produceret B, posito ergo miraculo, quod Deus nolit concurrere cum A. ad producendum ornatum B, faceret quidem contra ipsum A, non autem contra causas adęquatas ipsius A, quæ de se non exigunt aliud nisi A, si ergo per te non perseueraret illa efficax exigentia causarum adæquatarum non posito B. ergo in ea exigentia includitur etiam existentia ornatus B. adeoque esset causa, vel conditio.

Tertiò probatur, quia hoc ipso, quod res habet totum suum esse, esset insana, si exigeret non esse ex defectu alicuius ornatus sibi debiti, melius est enim pati violentiam carendo aliquo naturaliter debito, quàm non esse, vt patet in multis violentijs. quas patiuntur res naturales, dummodo res illæ quibus carent nõ sine

causæ, vel conditiones debitæ ad existendum, semper autem restat vis intrinseca in rebus, quæ vel sibi producunt ornatus debitos quibus carent, vel certè restat exigentia, vt alia agentia producãt rem sibi debitam, vt eueniret in materia, si spoliaretur omni forma; vt autem melius percipiamus, quid exigat materia, fingamus materiam habere perfectum intellectum, & voluntatem; tunc si haberet totum suum esse, & careret aliquo ornatu consequenti ad suum esse, qui ipsam magis perficeret; peteret ne rationabiliter potius non esse, quàm carere eo ornatu consequenti, an potius peteret existere cum ea carentia? Certè secundum est rationabile, non primum: semper enim res amat, & exigit alias propter se ipsã, ergo potius deberet amittere omnia alia, quæ non sunt causa, nec conditiones, vt existat, quàm petere ne existat, quia careret aliqua perfectione superaddita sibi.

Quartò denique probatur, quia materia est causa formæ, & essentiæ sunt causæ passionum, ergo debent existere pro priori ad hos effectus, ergo pro illo priori debet illis præstare suum concursum Deus non intuitu existentiæ effectus, si enim Deus moueretur ab existentia effectus ad dandum illis concursum, iam existentia effectus se haberet pro priori, quidquid enim, vt existens mouet Deum ad aliquid ponendum, certè rationem habet prioris, dixi vt existens, quia si solùm moueat intentionaliter, vt finis, tunc potest esse posterius, quoad existentiã; vt explicabimus mox in causa finali, sed de hoc non curo, quod nempe materia pendeat à forma tanquam à fine connaturaliter intento; nam potest in casu miraculoso non intendi talis finis, & tamen datur sufficiens ratio conseruandi materiam; sicuti quando in fornace Babylonis ignis non combussit, desiit, quod erat finis naturaliter intentus ad existentiam ignis, nempe combustio, per quam ignis propagat suam speciem, & tamen naturaliter ignis tunc existebat, quia dabatur sufficiens finis, & ratio etiam naturaliter, cur Deus deberet conseruare illum ignem, de quo clarius agemus in tertio puncto.

Multis modis conatur P. Ouied. hìc controuersia 2. pun. 7. §. 2. hanc dependentiam à posteriori defendere in gratiam, vt ipse dicit, communis sententiæ, quæ tamen apud nos non est communis, postquam ergo difficultatẽ tetigit, quod repugnare videatur hæc dependentia, affert primum modum, quomodo ea potest admitti sine inconueniente; videlicet si dicant, quod entitas materiæ, & alicuius causæ sit talis, vt naturaliter non possit conseruari à Deo, nisi per hoc decretum condi tionatum, si produxero, vel conser-

uauero

dauero hanc causam, producam effectum ipsius consequenter, quo posito non poterit naturaliter produci sinè hoc decreto materia, vel causa, vndè valet, non est forma, vel efficiens, ergo non est causa, & tamen causa se habet adæquata pro priori, & consequenter solum pendebit pro posteriori ab effectu. Hic modus dicendi multa inuoluit, & in primis fingit in materia, & causis quandam exigentiam impossibilem, quæ nempè se habeat pro priori ad ipsarũ existentiam, sed cum omnis exigentia cuiuscunque rei sit idem cum re, sicuti res non potest esse pro priori, quàm intelligatur esse, neq. poterit esse exigentia ipsius, solùm ergo potest videre Deus pro priori exigentiam vt possibilem, nempe quod si res sit, exiget, non autẽ potest moueri ab vlla exigentia, quæ se habeat pro priori, & sit identificata cum existentia rei, quæ erit in signo posteriori; Quare exigentia, quæ se habet pro priori, sunt ipsæ causæ, & conditiones rei producendæ, vel conseruandæ, hæc autem exigentia exigit immediatè existentiam effectus, & nihil aliud immediatè exigit, at pro posteriori ad hãc exigentiam in eo signo, in quo erit effectus, intelligitur alia exigentia identificata cum effectu exigẽs sua perfectiua; quamuis ergo Deus sit paratus per suam omnipotentiam facere contra hanc secundam exigentiam non producendo hæc perfectiua, non idcirco non debet se naturaliter conformare cum prima exigentia causarum, adeoque faceret aliud miraculum diuersum, quod non deberet facere, si velit naturaliter procedere etiam posito miraculo contra secundam exigentiam rei, ideoque valet bene, non est vlla forma substantialis, ergo materia non existit sinè miraculo, quia iam Deus faceret contra exigentiam materiæ, at non valet, ergo materia existit per aliud miraculum, quod operetur contra exigentiam, per quam natura exigit, vt non existat, nulla enim datur exigentia in natura etiã posito miraculo de non ponendis formis, quæ exigat, vt non ponatur materia, sed potius datur exigentia naturalis, vt ipsa conseruetur. Secundò etiam si daremus argumento, quod ipsa materia pro priori exigat aliquid, falsum est, quod exigeret non esse sine forma, sed solum exigeret esse cum forma simpliciter, vt enim supra probauimus, non debet entitas rei exigere non esse, quia deest sibi aliquis ornatus, quem exigit, sed potius debet rationabiliter pati aliquam violentiam, quare materia licet simpliciter peteret, vt si sit ipsa, Deus sit paratus ad formam producendam tamen exigeret intentione secundaria, vt si Deus miraculosè nolit concurrere ad formam producendam, saltem ipsã conseruaret,

sicut ignis Babylonicus petebat, vt saltem ipse conseruaretur, posito quod Deus nollet concurrere ad ipsius exigentiam, qua exigebat propagare suam speciem comburendo corpora combustibilia sibi proxima, quare non valeret non existit forma, ergo connaturaliter non existit materia, cum adhuc detur sufficiens exigentia naturalis exigens, vt materia existeret non existente forma, & causa etiam existeret non existente effectu, quem intendit.

Secundus modus dicendi est, quod materia exigat naturaliter conseruari per voluntatem Dei, quæ supponat scientiam conditionatam, si erit materia erit forma; si ergo non erit forma, fit contra naturalem exigentiam materiæ adeoque si existat, miraculosè existet.

Sed contra hunc dicendi modum militant eædem impugnationes quæ factæ sunt contra primum, tum quia materia non potest exigere quidquam pro priori, antequàm sit, tum quia, etiam si exigeret prædictum actum voluntatis Dei, qui præsupponat scientiá conditionatam de obiecto, adhuc tamen ètiam conditionatè exigeret eadem materia naturaliter, vt si Deus nolit ponere formá, saltem habeat alium actum voluntatis, qui simpliciter ipsam velit, quare licèt concederetur argumento, quod primariò materia, & causa exigat talem actum, non est tamen negandum. quod secundariò exigant alium actum, si Deus nolit ponere quæ posteriora sunt, vt saltem ipsæ habeant suum esse. Verùm hic dicendi modus valde laborat ex alio capite, nam hæc scientia conditionata, quæ videt Deus, si erit materia, erit forma, si erit causa, erit effectus, nõ potest præcedere omnem actum liberum Dei, poterit enim esse materia sine forma, & causa sine effectu de potentia Dei, vt ipse Auctor concedit; ergo scientia conditionata, quæ præcedit omnẽ actum voluntatis erit, si erit materia, & nõ fecero miraculum, seu, & conformabo me eum ipsa materia, & causis secundis, erit etiam forma, quæ scientia conditionata semper præcedit actum voluntatis Dei volentis facere materiam, vel causas etiam quando non est paratus concurrere ad formam, neque ad effectus, quia talis scientia cum sit necessaria semper verificatur, & non facit ad rem. At illa alia scientia supponit actum liberum Dei, quo nolit facere miraculum, sed procedere, vt Auctor naturæ se conformando rebus, & causis secundis, quare sinè recursu ad scientiam conditionatam sufficisset dicere, materia exigit actum antecedentem voluntatis Dei, ne velit facere miraculum non producendo formam, si producat materiam, hæc enim scientia in tantum habet vim, in quan-

Digitized by Google

quantum supponit talem actū, quare hic secundus modus est prorsus idem cum primo, & solis vocibus differt, vt rem reddat speciosiorem afferendo scientiam Dei.

Reliqui modi explicandi patiuntur easdem difficultates, & soluuntur ijsdem argumentis, quibus soluti sunt supradicti, adeoquè ne idem repetam, omitto. Cæterum admitto res aliquas exigere alias essentialiter sic posito, quod implicet creaturam existere nulli, omnis res essentialiter exigit aliquam vbicationem non quia sine illa esset deformis, vel careret aliqua perfectione. sed quia sequerentur duo contradictoria quæ nulla res potest admittere, cum sint contra diuinam omnipotentiam.

Ad tertium punctum de concursu Dei, quo concurreret cum materia, si spoliatet illam omni forma, dico esse omninò naturalē in se quo ad substantiam, & quo ad modum, & ipsam voluntatem, qua velit materiam conseruare esse naturalem, sed coniunctam cum alia volitione supernaturali de non ponenda forma. Explico conclusionem, quando Deus facit aliquod miraculum supernaturale, certum est, quod non se conformat in eo exigentijs naturalibus rerum, adhuc tamen in tali casu possumus quærere posito, quod Deus velit facere tale miraculum, si de reliquo velit se conformare cum ipsis causis secundis, quid deberet facere; v. g. posito, quod Deus nolit in hoc instanti concurrere cum igne ad stupā comburendam, si de reliquo velit se conformare cum causis secūdis debet ne ignem conseruare in hoc instanti? omnes respondemus debere quidem conseruare ignem, & hanc conseruationem, quatenus terminatur ad ignem esse præcisè naturalem, licèt sit coniuncta cū volitione supernaturali de stupa non cōburenda. Ita dico de voluntate Dei, qua vellet conseruare materiam in eo casu, in quo nollet, vt in ea esset vlla forma substantialis, esset enim talis volitio præcisè. vt est volens materiam conseruare, debita, & & iuxta exigentiam naturæ, licet esset coniuncta cum alia volitione contra exigentiam ipsius naturæ.

Dices cum P. Arriaga, Deus in eo priori, in quo vult existere materiam volitione naturali, vult etiam ponere formam pro posteriori ad materiam, quod si præscindat à positione formæ ea voluntas non est amplius naturalis, ergo non potest negari quod saltem ille concursus in materiam subest volitioni supernaturali, adeoque est secundum modum saltem volitionis diuinæ, supernaturalis.

Respondeo negando simpliciter antecedens, nam pro eo priori

solùm

solùm Deus videt exigentiam naturalem, vt existat materia, quæ prius existit, & non videt exigentiam ipsius materiæ, quæ solùm erit pro posteriori, & non pro priori, esset enim pro priori ad se ipsam; quare illa volitio prout est naturalis præcisè pro eo priori est solùm volitio circa materiam, & præscindit etiam naturaliter à formæ positione, at pro posteriori cum intelligimus existentē materiam, videt Deus exigentiam ipsius, vt detur forma, & tunc nolens eam ponere intelligitur ea nolitio supernaturalis.

Replicabis, saltem ea volitio pro priori, vt sit naturalis, deberet velle pro fine ipsam formam, cum ergo, vel illam nolit, vel saltem ab ea præscindat, erit supernaturalis.

Respondeo primò per instantiā, nam etiā volitio naturalis conseruandi ignem habet pro fine naturali combustionem corporum approximatorum combustibilium; ergo illa volitio, qua conseruauit ignem in fornace Babylonica, erat supernaturalis, quia carebat tali fine naturaliter appetibili.

Respondeo secundò, finem naturalem sufficientem in vtroque non inuoluere neque formam, neque combustionem, sed alia bona, quæ sunt in natura ex existentia materiæ, & ignis; sufficit etiam pro fine, vt satisfiat exigentiæ causarum, quæ exigunt ipsum ignē, & materiam, aliter si deberent pro fine intento venire semper ea, quæ naturaliter consequuntur, quando Deus antecedenter vult ignem, deberet per eam volitionem velle existentiam effectuum ignis, & consequenter etiam existentiam eorū effectuum qui consequentur naturaliter ad effectus, vt sic in infinitum. quare si millesimus effectus, qui sequetur ab effectu istius ignis post mille annos, quamuis essent intermedij mille effectus deberet esse naturaliter volitus à volitione, qua naturaliter Deus vult istum ignem, sequeretur quod si illum effectum millesimum nollet miraculosè ponere, omnes illas causas mediatas talis effectus, qui nō ponetur, supernaturaliter Deus poneret per volitionem non naturalem ab initio mundi, quod est manifestè absurdum. Ratio ergo à priori est, quia toties Deus habet finem sufficientem ponendi aliquid, vt auctor naturæ, quoties dantur causæ, & conditiones adæquatæ, vt illud ponatur, tunc enim debet Deus se conformare illarum exigentiæ immediatæ, quamuis nolit se conformare cum exigentia illius, quod haberetur pro posteriori. Finis ergo naturalis existētiæ materiæ, & causæ est disiunctiuus nempe, vel forma, & effectus, vel si Deus vult facere miraculum non ponendo formam, nec effectum, erunt alia bona naturalia, quæ habentur ex ipsa existentia

tia materiæ, & causæ, qui finis est sufficiens, & connaturalis posito miraculo, nam potest adhuc de sua natura inseruire postea ad multa composita facienda, & ad multos effectus præstandos, quãuis pro aliquo tempore in quo Deus non vult connaturaliter operari, nihil producat.

ARTICVLVS III.

Quid, & quotuplex sit causa finalis.

FInis potest accipi pro extremo, ita punctum est finis lineæ, & talis sonus campanæ finis scholæ. Secundò accipitur in proprio sensu pro eo, quod agens operando vltimo intendit, ita lapis descendendo intendit finem, nempe quietem infra leue, vnde dicitur ab Aristotele hìc finis esse primus in intentione, & vltimus in executione, quia operans mouetur à fine ad operandum, & eo bene acquisito quiescit.

Definit Aristoteles finem hìc textu 31. 33 & 39. & secundò de anima textu 36. & 3. Metaph. textu 2. finis est id cuius gratia aliquid fit, hoc est finis est illud ob cuius bonitatem, vel amorem agens operetur; duo ergo requiruntur ad finem. Primum est, vt ipse ametur propter se ipsum, si enim amatur propter aliud, certè agens non operatur gratia illius, sed gratia alterius: vt autem finis talis sit, debèt habere in se bonitatem, quia semper voluntas, & inclinatio naturæ feruntur in bonum suum, & non in malum. Secundum est, vt propter illum fiant reliqua tanquam media ad ipsũ consequendum, id expresè docet Aristoteles 1. Ethic. cap. 2. dicẽs finem esse, quem propter se ipsum, & propter quem alia volumus.

Quoniam autem bonitas est necessaria in fine. Sciendum est, tria esse bonitatis genera, honestum, vtile, & delectabile. Honestũ est, quod rectæ rationi per se conuenit. Delectabile est, quod affert iucunditatem, siue conueniat, siue non conueniat naturæ rationali, vt est delectatio cibi, & aliarum rerum. Vtile est, quod conducit, vel ad bonum honestum, vel ad delectabile. Hinc fit finem nõ esse bonum vtile, quia vtile ordinatur essentialiter ad aliud bonũ, adeoque amari non potest per se, sed propter connexionem, quam habet cum bono, ad quod conducit, sic dicitur cibus vtilis ad sanitatem, cum ergo finis sit vltimum, propter quod motus, ideſt

ope-

operatio fit, vt docet Aristot. hìc tex. 23. non potest bonum vtile esse finis quatenus finis est. Dixi quatenus finis est, quia aliquando potest idem finis esse medium respectu alterius finis. V.g. bibo aquam frigidam propter delectationem, & etiam, quia vtilis est ad refrigerandum hepar; in quo casu aqua habet rationem finis, quia sisto in ea delectatione, eamdem etiam biberem, si non esset vtilis ad sanitatem, & præterea eam amo tanquam medium sanitatis, ita vt si non esset delectabilis, adhuc eam vellem.

Diuiditur finis ex doctrina Aristotelis secundò de anima textu 37. & hìc textu 33. in finem cuius gratia, & in finem cui, finis cuius gratia, qui etiam finis qui dicitur, est illud, quod habet in se bonitatem, vel honestam, vel delectabilem, & intenditur tanquam forma acquirēda per media vtilia, talis est sanitas, ad quam acquirendam p onimus media proportionata. Finis cui est illud, cui amamus finem qui, & se habet tanquam subiectum illius, sic v g. amamus sanitatem Petro, Petrus est finis cui sanitas finis qui, seu cuius gratia: id autem quo vnitur sanitas cum Petro, potest dici finis quo, sic auarus amat sibi diuitias, sibi, vt fini cui, diuitias vt finem qui, possessionem diuitiarum, vt finem quo, tamen communiter finis quo inuoluitur cum fine qui.

Ex hac diuisione communi oriuntur duæ difficultates. *Prima* est, quia finis qui amatur in ordine ad finem cui, ergo non se habet vt vltimum bonum, sed potius, vt medium. Amo enim sanitatem, vt bonam Petro, ita opinantur Gabriel, Ochamus, & Henricus citati à Suario disp. 23. Metaph. sect 2. num. 3 communiter tamen dicunt finem qui, non esse medium respectu finis cui, ratio est, quia finis qui, non est bonus fini cui, quia afferat illi aliquam aliam bonitatem diuersam à sua, quam habet in se idem finis qui, & sic non potest dici vtilis respectu finis cui, sed est, vel honestus, vel delectabilis, hoc autem idcirco est, quia est in se aliquod bonū per se appetibile, non verò quia solùm conducit ad bonum. At contra medium, vt medium ideo solùm est bonū, quia affert aliud bonum à se distinctum ratione cuius boni dicitur medium appetibile, quare posito, quod ametur sanitas Petro vt finis qui, si petas cur amem sanitatem Petro, non possum respondere, quia sanitas affert aliud bonum Petro, quia tunc non amaretur, vt finis qui, sed vt medium, debeo ergo respondere, quia sanitas est in se bona, & præscindendo à tali bonitate sua non potest assignari, vt finis qui, at verò si quis petat, cur amas medicinam Petro. Respondeo, quia medicina est bona ad sanitatem, & sanitas est in se bona Petro.

Secun-

Digitized by Google

Secunda difficultas est, num conueniat ratio causæ finalis potius ne fini cui, an fini qui? Ad quam breuiter dico vtrumque finem integrare vnam causam finalem, alterum verò ex ipsis esse quod in abstracto, sed in concreto, quis enim appetat sanitatem, vel beatitudinem in abstracto, ergo finis qui per se sumptus non est adæquatè finis, sed neque intendimus finem cui per se acceptum, quia finis intenditur à nobis, vt ipsum consequamur. Nemo autem intendit consequi se ipsum; cum intendit consequi sanitatem sibi, neque ponit media ad se ipsum habendum; at finis est vltimus in executione, & mouet nos ad ponenda media, vt ipsum consequamur, ergo finis cui solitariè acceptus non est adæquatè finis. Restat igitur, vt ex vtroque componatur integer finis adæquatus, & sic, quod vltimo intendimus, est totum cõcretum ex fine cui, & fine qui v.g. Petrum sanum.

Diuiditur secundò finis in finem operantis, & in finem operationis, finis operantis est, quod intenditur per ipsum opus factum, & dicitur etiam finis operis, ita bona habitatio est finis domus, quę est opus; finis operationis est ipsum opus: ita finis ædificationis est bona domus.

Tertio diuiditur finis in vniuersalem, & particularem, vniuersalis est, qui intenditur communiter à pluribus, vt est conseruatio vniuersi; particularis est, qui intenditur ab vna causa particulari.

Quarto, diuidunt finem in vltimum, & non vltimum, sed hæc diuisio non est rigorosa. quia finis non vltimus potius habet rationem medij, quàm finis, cum essentialiter ordinetur ad finem vltimum.

Ex dictis colligitur qualis sit bonitas mediorũ intrinseca ne an extrinseca; si enim loquamur de vtilitate secundũ id, quod dicit in recto est intrinseca medijs, nam propositio illa, quam habẽt media in ordine ad finem consequendum, est illis intrinseca, & solùm habet terminationem extrinsecam, quæ est bonitas, vel honesta, vel delectabilis, in tantum enim amantur media, in quantum causant illam bonitatem vltimam, vnde dicitur, quod eadem est bonitas mediorum, & finis, loquendo videlicet de bonitate vltima, quæ per se ipsa appetitur, licèt vtilitas sit in ipsis medijs intrinsecis, verbi gratia, cum quis se suspendit ob desperationem, habet pro fine liberationem malorum præsentium, quæ nequit tolerare, & ita amat laqueum, quia intrinsecè habet proportionem cum suspensione, quam apprehendit, vt habentem proportionem cum libe-

ratione malorum præsentium, liberatio ergo se habet vt finis, laqueus, & suspensio, vt media.

ARTICVLVS IV.

Quæ sit ratio finalis causæ in actu primo.

PAtet lumine naturæ, quod omne agẽs moueatur ad operandũ ab aliqua bonitate, nihil enim fertur in malũ suũ. vt malũ est; hæc autẽ bonitas, vt ametur ab agente intellectuali (agẽs enim nõ intellectuale, neq. aliquo pacto cognoscitiuũ natura sua fertur in bonũ suum sinè vllo actu) debet esse cognita; idem dico de agente cognoscitiuo non intellectuali, vt sunt bruta. Ratio autem est clara, quia bonitas debet applicari voluntati ad hoc, vt ipsam trahat, nulla autem alia potest excogitari applicatio nisi per cognitionẽ, vt experientia certum est. Hinc oritur duplex difficultas. Prima, an cognitio sit ratio formalis constitutiua causæ finalis in actu primò. Secunda, an bonitas debeat esse realis.

Circa primam difficultatem asserit prima sententia, quod cognitio finis, vel adæquatè, vel inadæquatè sit tota ratio finalis mouens voluntatem. Ita Auicena 6. Metaph. c. 5. Soncinas 5. Metaphys. q. 3. citatur etiam S. Thomas, sed immerito pro rei veritate, videatur Suarius disp. supracitata sect. 8. num. 2. Secunda sententia negat cognitionem esse rationem motiuam formaliter, sed solum esse conditionem finis; ita Auerroes 12. Metaph. c. 36. Scotus in 1: dist. 4. & alij communiter.

Pro solutione difficultatis, ne fiat mera quæstio de nomine, aduertendum est, nos hìc non quærere, an cognitio in genere causæ efficientis physicè influat in actum voluntatis, hæc enim quæstio erit fusius examinanda in libris de anima, & est valde probabilis sententia, quod cognitio sit causa physicè influens in actum volũtatis, sed in genere causæ efficientis. Quod ergo hic quærimus est, an cognitio in genere causæ finalis sit id, quod moueat voluntatẽ, vt ratio finalis motiua, quidquid sit an efficienter causet actum voluntatis, quo finem amamus.

Dico primò, cognitionem finis non esse rationem formalem causæ finalis, sed illius conditionem necessariam. Prima pars conclusionis probatur, quia ratio formalis causæ finalis est illa, quæ vim habet impellendi voluntatem ad finem consequendum, sed

sed talis non est cognitio, sed sola bonitas finis, ergo cognitio non est ratio formalis. Maior est certa quia continet definitionem causæ finalis. Minor probatur, quia illud habet vim impellendi volũtatem, quod habet in se bonitatem, sed quando, verbi gratia amo sanitatem, tanquam finem delectabilem, cognitio sanitatis non habet in se illam delectabilitatem sanitatis, ergo non est vis impellens voluntatem ad amorem finis. Minor probatur, quia hæc delectabilitas sanitatis est aptitudo quædam corporis ad exercendas operationes, sed cognitio in se non habet talem aptitudinem vt patet, ergo non habet talem delectabilitatem. Confirmatur, quia nõ accipitur medicina gratia cognitionis, nec vt assequamur cognitionem sanitatis, sed finis est, cuius gratia exequimur media, ergo cognitio non habet vim causatiuam causæ finalis.

Probatur secundò, quia finis est illud, quod amatur, sed cognitio non amatur, ergo non est finis. Minor probatur, quia vt ametur cognitio, debet cognosci, sed per te id, quod cognoscitur non est causa finalis, sed est cognitio illius, ergo vel debes dare processum in infinitum cognitionum actualium, vel debes fateri, quod cognitio vt habeat vim impellendi voluntatem, finaliter etiam ipsa non cognoscatur, adeoque tota ratio motiua finis non esset cognita voluntati, & consequenter impelleretur à ratione finis prorsus sibi occulta, quod videtur omninò absurdum, id enim, quod finaliter impellit, differt à causa efficienti, etiam per hoc, quod operetur, vt cognitum, quod non conuenit causæ efficienti; quomodo ergo potest intelligi, quod res non cognita, nempè cognitio ipsa alliciat voluntatem, vt vis allectiua? Quod causet actũ ipsius in genere causæ efficientis, non facit contra nos, neque de hoc disputamus, sed an concurrat per modum virtutis finalis prout est causa diuerso modo causans ab efficienti, ne modos causandi confundamus.

Secunda pars conclusionis probatur; quia cognitio finis omnino requiritur non vt causa motiua finalis, vt probauimus, ergo vt conditio finis, quidquid enim requiritur ad effectũ, & non est virtus causæ, debet se habere, vt conditio, seu applicatio virtutis causæ ad effectum. Confirmatur sicuti approximatio, quia vnit virtutem agentis cum subiecto dicitur conditio, sic etiam quia cognitio vnit bonitatem finis cum voluntate debet etiam dici conditio.

Obijcies primò. Variata cognitione variatur effectus causæ finalis, ergo cognitio est ratio motiua finis. Antecedens probatur,

quia posita clariori cognitione finis, magis finis amatur, vnde Beati habent amorem necessarium Dei ob perfectissimam visionem ipsius. Præterea potentia appetitiua sensitiua differt specie à volitiua rationali propter diuersam cognitionem sensitiuam, seu rationalem, vt docet S. Thomas 1. parte quæst 80. art. 7. & alibi.

Respondeo, verum esse variari amorem pro diuersitate cognitionis; omnis enim cognitio habet hoc, vt si mèlius applicet virtutem causæ, meliorem sortiatur effectum: sic ignis magis approximatus melius calefacit; non tamen ex hoc præcisè sequitur diuersitas specifica in effectu, & ita potentia appetitiua sensitiua ipsa per se differt specie à rationali, quia diuersæ potentiæ cognoscitiuæ sunt principia diuersarum potentiarum appetitiuarum. Præterea si vera est sententia, quod cognitio in genere causæ efficientis influat in actum voluntatis, mirum non est, si ea variata variatur effectus, quia variatur causa efficiēs, quamuis finalis nō varietur.

Obijcies secundò, finis causat secundum esse cognitum, & vt cognitus, ergo cognitio est ratio formalis motiua finis, & non conditio.

Respondeo negando consequentiam: nam particula, prout, & similes non semper significant rationem formalem causandi, sed aliquando significant etiam conditiones, vt patet ex *communi locutione*, qua dicimus ignis causat, vt approximatus, & tamen approximatio est conditio.

Obijcies tertiò, finis est causa, ergo debet præexistere ad effectum, sed non potest præexistere nisi secundum esse cognitum, ergo existentia in ratione cogniti, quæ formaliter habetur per cognitionem est verè ratio causandi.

Respondeo, distinguo primum consequens, debet præexistere grammaticaliter concedo, realiter nego: existentia grammaticalis est quoties solùm realiter datur cognitio. & ex parte obiecti venit id. quod requiritur ad formandam cognitionem, verbi gratia sanitas veniens grammaticaliter est vis causatiua sūptionis medicinæ, certè à parte rei nihil aliud datur nisi cognitio in intellectu de sanitate, & ex parte obiecti id, quod requiritur ad talem sanitatem concipiendam, nempe possibilitas ipsius sanitatis, siue sit identificata cum Deo, siue sit extra Deum, illud ergo, quod mouet voluntatem, vt ratio finalis non est, quid distinctum ab obiecto intento, nempe à sanitate, sed est ipsa sanitas; quare id, quod mouet voluntatem, est id, quod non est, neque est absurdū, vt id, quod nō est, moueat, quia non est absurdum, vt id, quod non

non est ametur, sicuti neque est absurdum, vt cognoscatur.

Dices, id, quod venit grammaticaliter contradistinctum à tota realitate cognitionis, & cuiuscunque rei actualiter existentis, siue negatiua sit, siue positiua, quid est actu quando mouet voluntatem? Respondeo hanc petitionem supponere id, quod negamus, sicuti si diceremus Petrus non est in schola, & aliquis à nobis peteret quid est Petrus nunc existens in schola, sic nos negamus, & omnes debent negare, quod id, quod venit grammaticaliter solùm actu sit existens, & deinde si petitur, quid sit illud actu existens: simpliciter debemus respondere, illud non esse, & nos amare, & cognoscere id, quod non est; experientia enim constat, quod optamus durationem crastinam etiam nunc, & tamen nunc illa non existit, cur ergo ex eo, quod non existat obiectum debet negari, quod ipsum prout contradistinctum aliquo modo ab omni existente cognoscatur, & ametur. Quid autem sit, quod determinet ad hoc, vt ita cognoscatur, & ametur illa bonitas, alibi dictum est, nempe totum id à quo determinatur intellectus ad faciendam talem cognitionem.

Dicunt aliqui obiectum cognitionis non esse, quid distinctum à Diuina omnipotētia, quia nihil datur actu de sanitate, quæ nunc est, sed solùm datur Deus, qui illam continet, & denominat possibilem. Hæc doctrina semper mihi visa imperceptibilis, non enim nunc facimus quæstionem de eo, quod determinat ad talem cognitionem, nam etiam species determinat, & Deus, vt speculum creaturarum posset determinare ad cognitionem creaturæ, quæ in eo apparet tanquam in medio cognito, sed quærimus de obiecto, cuius est imago ipsa cognitio, & quod ipsa exprimit, certè ipsa non exprimit solùm Deus, si enim solum Deum exprimeret, voluntas amando sanitatem, & amando peccatum amaret solum Deum, & nihil aliud, neque dicas amare tunc Deum, vt potentem facere sanitatem, nam Deus, vt potens facere sanitatem, nisi in obliquo importaret sanitatem, non amaretur ab hac voluntate, si enim cognosceret Deum, vt potētem facere infirmitatem, certè non amaret; da mihi distinctionem inter obiecta, alterum amatum, alterū non amatum, quando cognosco Deum, vt potentem facere sanitatem, & quādo cognosco Deum, vt potentem facere infirmitatem? sanè ex parte recti euenit semper idem, nempe entitas diuina, sed præter entitatem diuinam concipitur ne aliquid aliud veniens in obliquo, quod non sit Deus? Si nihil aliud cognoscitur, ergo est

idem

idem prorsus obiectum, adeoque cum amo sanitatem, & odio prosequor infirmitatem, idem prorsus amarem, & odio haberem; si aliquid aliud certè hoc non est ipse Deus, sed in vno actu erit sanitas, in alio infirmitas, ergo non potest negari, quod res amata, & consequenter per actum aliquo modo representata sit aliquid, quod non est Deus.

Neque dicas per vnum actum cognosci Deum cum quadam diuina formalitate, quæ sit sanitas, per alterum actum cognosci Deum cum alia formalitate, quæ sit infirmitas; nam *istæ* duæ formalitates obiectiuæ, vel sunt idem realiter cum Deo, vel non? Si secundum habeo intentum, quod nempe cognoscatur, & ametur aliud obiectum expressum præter Deum. Si primum contra est, quia in primis non dantur istæ formalitates in Deo, neque realiter, neque virtualiter distinctæ, vt vidimus in logicis; secundò etiã si darentur, non sunt ad rem, nam ego non amo formalitatem diuinam, cum amo sanitatem, illa enim formalitas non potest esse in me, nec potest à me requiri, sed amo, & procuro ex eo amore ponere in me ipso aliquid creatum, quod appello sanitatem, & obiectum cognitum, & amatum, ergo etiam datis quibuscunque formalitatibus in Deo, non potest negari, quod cognitio, & voluntas debeant habere vim cognoscendi, & tendendi in obiectum, quod de facto non est.

Obijcies tertiò, Id quod non est non potest realiter causare, sed finis realiter causat, ergo non potest dici, quod non sit.

Respondeo negando maiorem, id enim quod nõ est, si applicetur per cognitionẽ intentionaliter potẽtiæ appetitiuæ potest illam mouere, sic patet experiẽtia, qui enim mouetur à delectatione comestionis, ad illam consequendam, certè mouetur ab eo, quod nõ est, amat enim comestionem, & non cognitionem comestionis; ab eo autem, quod amamus trahimur, & allicimur ad ipsum consequendum; quare potest esse effectus realis à causa, quæ reater non existat, si illa solùm moueat appetitum, seu voluntatem, aliæ causæ hoc non habent, quia non causant mouendo appetitũ, & voluntatem, sed physicè influendo per præsentiam approximatam passo.

Alia quæstio erat, an possit bonitas ficta voluntatem mouere. Pro qua suppono posse cognosci aliquod ens impossibile absque eo, quod discernatur impossibilitas ipsius, si enim cognoscitur esse impossibile nullo modo potest esse finis: quæstio itaque est, an posito, quod cognoscam chymeram ex parte obiecti, & falso existimem

Digitized by Google

nem esse possibilem, possim moueri ab aliqua bonitate ficta, & impossibili ad ponenda media, vt eam adipiscar, an verò semper mouear à bonitate reali, quæ tamẽ falsò applicetur à me illi chymæræ.

Negant aliqui recentiores bonitatem impossibilem esse posse causam finalem: citant P. Suarium disp. supra citata sect. 6. sed immerito, nam ille videtur loqui de falsa bonitate existimata vt falsa, dicit enim num. 2. quare si falsa existimatio non intercedat, nunquam hæc (nempe ficta) possunt causalitatem finalem exercere, & idem planè obseruat num. 8. Hæc sententia negans quantum obseruare potui, nullum habet fundamẽtum, sed semper probat idem per idem, dicit enim, quod voluntas non possit moueri nisi à bonitate reali, sed hoc ipsum est in quæstione, ergo non debet assumere pro argumento. Dicunt potentiam realem debere habere rationem motiuam realem, sed de hoc quærimus an verum sit; & qua ratione probatur? dicunt verificatiuum debere esse reale, sed de primario, transeat, de secundario cur assumunt, cum in hoc sit controuersia? Alij affirmant posse bonitatem fictã esse causam finalem, si tamen non existimatur, vt impossibilis, sed vt possibilis, ita Hurtad. & Arriag. & alij.

Dico secundò bonitatem fictam, & impossibilem in se effecausam motiuam voluntatis, si existimetur vt possibilis. Probatur primò conclusio, nam hæreticus, vel Iudæus, qui putat Deum non esse trinum in personis, amat Deum propter bonitatem, quæ essentialiter est in negatione Trinitatis diuinæ, sed talis bonitas est in se impossibilis, ergo potest moueri voluntas à bonitate impossibili. Maior probatur, quia ille iudicat tanquam absurdum, et imperfectum Deum esse trinum, ergo si moueretur ab eo, quod iudicat perfectionem, mouebitur à negatione Trinitatis.

Dices, hæreticum in tali casu solum applicare malè bonitatem realem negationi Trinitatis, illa autem applicatio nõ est ratio motiua, sed conditio. Sed contra est primò, quia hæreticus fecit hãc propositionem, negatio Trinitatis est bonitas diuina, ergo non solùm applicat bonitatem realem, sed facit aliquid aliud, nimirum concipit identitatem inter personam diuinam, & negationem Trinitatis, & mouetur à tali identitate, quæ procul dubio est ficta. Consequentia probatur, quia non amat Deum per simplicitatem in communi, sed per talem simplicitatem in personis; putat enim hoc prædicatum esse constitutiuum perfectionis diuinæ, vt talis est, ergo mouetur à tali perfectione, vt talis est, quo pacto ergo dici potest, quod hoc prædicatum impossibile non ametur?

Con-

Confirmatur, quia talis bonitas, vt talis est, mouet illum ad amorem, & non bonitas in communi, sicut amo Petrum, non propter bonitatem animalis, vel hominis, sed propter talem perfectionem, sed talis perfectio inuoluit prædicata contradictoria, ergo illud impossibile mouet voluntatem, & non sola bonitas realis.

Contra est secundò, quia finis adæquatè mouens voluntatem non est bonitas in abstracto, sed in concreto, nempe bonitas finis cui, & bonitas finis qui, sed in tali hæretico finis cui est Deus fictitius, ergo in tali casu adæquata bonitas mouens voluntatem, est fictitia.

Probatur secundò. Conclusio, quia per voluntatem inefficacem volumus impossibilia, verbi gratia non peccare, postquam peccauimus, ideo autem hæc nolumus inefficaciter, quia nobis apparent esse impossibilia, si ergo aliquid impossibile non appareat, vt tale, cur illud velle nō possumus etiam efficaciter? Suppono enim, quod eadem bonitas, quæ mouet ad volitionē inefficacem, dum cognoscitur vt impossibilis, remaneat prorsus eadem, sed non animaduertatur esse impossibilis, quod oritur ex cognitione obscuriore, profecto non potest afferri ratio, cur voluntatem simpliciter mouere non possit.

Probatur tertiò, quia voluntas quando vult efficaciter in Deo potentiam faciendi aliquid, quod putat non implicare contradictionē, quod tamen re vera implicat, tendit talis voluntas in obiectum impossibile, ergo ratio formalis motiua voluntatis potest esse obiectum impossibile. Antecedens, probatur, quia omnis actus, quo aliquis solum vult Deo potentiam faciendi creaturas, quæ non implicāt, differt essentialiter ab hoc actu, quo vult in Deo potentiam ad chymeram, ergo non per aliud differt, nisi quia talis actus habet pro obiecto motiuo aliquid impossibile. Antecedens probatur, quia si hic actus non differret à quocunque actu, qui vellet in Deo potentiam faciendi creaturas possibiles, sequerentur duo, quod vellet in Deo solam potentiā ad creaturas possibiles, & vellet etiam potentiam ad chymerā, quæ duo omninò repugnant. Consequentia probatur, quia nisi ille actus ferretur in impossibile, ferretur solum in creaturas possibiles, ergo illi actus non differrent, si ergo non potest aliunde haberi differentia nisi ex eo, quod impossibile sit volitum ab vno actu, quod non est volitum ab alio, negari non potest esse volitum ipsum impossibile.

Denique est expressa sententia Aristotelis hic textu 31. vbi loquēs de bono, quod est motiuum, in causa finali, sic dicit: differat autem

Digitized by Google

autem nihil idem dicere bonum, vel apparens bonum. Idem habet 5. Metaphys. textu 4. & 8. Moral. cap. 2. Nec sufficit respondetum motiuum non est bonitas in abstracto, sed bonum in concreto. Neque est ad rem exemplum de fure, qui intendens furari aurum, quod verbi gratia est in arca Petri, furatur aurichalcum, nam in tali casu, quod mouet voluntatem furis, verè non est id, quod iacet in arca, sed aliquid aliud: at verò in casu nostro voluntas fertur in rem chymericam ex dictis.

Aliqui conantur effugere vim argumentorum distinguendo tria in fine, nempe finem cui, finem qui, quem appellant adæquatum motiuum, nempe rationem formalem in fine, & coniunctionem, seu applicationem illius rationis formalis ad finem cui: His positis concedunt aliquando finem cui posse esse chymeram, sicut etiam potest esse chymera ipsa applicatio bonitatis ad finem cui, sed omninò negant ipsam bonitatem, quę malè applicatur fini cui, esse vnquam fictam, sed semper esse realem. Sed in primis, vt ad initium difficultatis vidimus, nullam habent rationem positiuam hoc negandi, sed petunt principium in assignanda ratione.

Secundò contra est, quia id, quod appellas applicationem nullo modo est conditio, sed conflat saltem partialiter rationem motiuam, seu formalẽ, ergo si applicatio est chymera, etiam ratio formalis motiua inuoluet chymeram. Antecedens probatur nam id, quod venit ex parte obiecti in cognitione finis, & requiritur, vt impellens ipsam voluntatem, non est conditio, sed vis motiua formalis, sed talis est applicatio bonitatis, ergo est ratio formalis saltẽ partialis. Maior videtur per se patere, definitur enim virtus finaliter motiua, quod sit ratio obiectiua alliciens ipsam voluntatem per sui cognitionem. Minor probatur, nam si cognoscam bonitatẽ sanitatis, & præscindam à coniunctione sanitatis, certè illa bonitas obiectiua non impellit voluntatem meam, ergo illa non est adæquata ratio motiua, quamuis sit optimè aplicata potentiæ nempe voluntati per ipsius cognitionem, ergo illa applicatio sanitatis mecum non est melius aplicatiua sanitatis ad potentiam volitiuam, nam hæc applicatio totaliter habetur ab ipsius sanitatis cognitione. Sed ipsamet applicatio sanitatis mecum obiectiuè cognita impellit me, vt tota bonitas sanitatis, quamuis applicatio voluntatis ipsa non moueret, ergo ipsa applicatio sanitatis mecum per suam bonitatem allicit, & trahit voluntatem, cuius rei signum est, quia interrogatus quid me moueat ex parte obiecti, vt capiam medi-

cinam, non respondeo, sanitas præscindens ab eo, quod mihi vniatur, sed sanitas mihi vnita.

Hinc patet malè vti aduersarios exemplo cognitionis, quod scilicet, sicuti cognitio, quæ est applicatio bonitatis ad voluntatē se habet, vt conditio, sic etiam ipsa applicatio bonitatis ad finem, cui se habeat, vt conditio; est enim apertissima, & maxima disparitas, primò quia cognitio non venit vt cognita, & consequenter non potest impellere obiectiuè voluntatē. Secundò, quia nos non amamus cognitionem, nec operamur propter eam, vt amatam, at amamus coniunctionem sanitatis nobiscum, & operamur propter eam amatam, imo sicuti agens naturale non curat de forma per se, sed de forma, vt vnita, & mouetur à bonitate talis, vnionis ad operandum, ita etiam agens finaliter mouetur ab ipsa vnione, quæ cum bonitate constat integrā rationem formalem motiuā.

Tertiò. Contra est licet aliquando vnio bonitatis cum fine cui, sit distincta ab ipsa bonitate, aliquando tamen non est distincta; sed ipsa bonitas per se ipsam essentialiter vnitur cum fine cui, aliquando neque distinguitur à fine cui. in quibus casibus si vnio est ficta tota etiam bonitas est ficta. E. g. putat quis esse in foro chymeram, & eò pergit ad ipsam videndam, certè mouetur à delectatione, quæ est in visione chymeræ. Suppono ex aduersarijs, quod veniat ex parte obiecti chymera ficta, & impossibilis, si enim negent posse concipi ex parte obiecti impossibile diuersum ab omni alio ente reali non possunt facere præsentem quæstionem. Certum est in horum sententia, quod quidquid cognoscitur sit ens reale. Finis ergo est ipse videns, & visio se habet, vt ratio formalis. Peto ergo, venit ne visio realis an non? Dicunt venire visionē realem malè aplicatam chymeræ; sed contra est, quia visio non applicatur chymeræ per aliquam vnionem distinctam, qua visio vniatur chymeræ, ergo non poterit tunc intellectus concipere aliquam vnionem realem distinctam à visione, & chymera, per quam vnitur cum chymera visio realis, quia cum concipimus visionem alicuius obiecti, non concipimus visionem realiter vnitam per aliquam vnionem distinctam illi obiecto, concipiet ergo illam visionem vnitam extrinsecè chymeræ per prędicatum identificatum cum ipsa visione, per quod prædicatum essentialiter ea visio tendat in ipsam chymeram, quia tota vnio, & applicatio visionis ad aliquod obiectum est prædicatum identificatum cum ipsa visione, per quod exprimat essentialiter Illud obiectum, quo pacto ergo in tali casu dices visionem esse realem, & applicationem

tionem esse fictam, si in ipsamet visione concipis ex parte obiecti hoc prædicatum chymæricum, per quod exprimat ipsam chymæram?

Obijcies primò, finis est causa, ergo debet esse realis.

Respondeo, distinguo antecedens; finis est causa, & realiter influens, nego, influens impropriè, & metaphoricè concedo, & negatur consequentia: ratio est, quia finis debet allicere voluntatem ad operandum, non tamen debet physicè facere actum illum voluntatis, qui sufficienter fit ab ipsa voluntate, & cognitione, solum ergo finis allicit obiectiuè, ad quam allectionem, quæ non fit per existentiam, tam valet bonum apparēs, quàm verum, imo tota hæc difficultas soluenda est ab omnibus, nam finis quantumuis realis non influit physicè in voluntatē, cum non existat, quando allicit ergo ratio causandi finaliter, non est realiter influere in actum.

Obijcies secundò. Voluntas specificatur à bonitate finis, sed specificatiuum debet esse reale, ergo bonitas finis debet esse realis.

Respondeó negando minorem, potest enim potentia specificari ab ente fictο, vt alibi explicauimus: specificari enim nihil aliud est nisi esse institutum, & factum in ordine ad aliquod, quod sanè duo inuoluit; primum est esse expressiuum alterius, sed hoc non sufficit, Deus enim exprimit leonem per suam omnipotentiam, & tamen non dicitur specificari à leone. Secundum quod requiritur, est, vt illud quod specificatur, fiat, & instituatur à suis causis in ordine ad exprimendum id, à quo specificatur, quod non habet locum in Deo, quare volitio circa chymæram potest dici, quod solum obiectiuè specificetur à chymæra, hoc est fiat in ordine ad illam.

ARTICVLVS V.

Quænam sit effectus, & causalitas finis, & quo amore ametur finis.

Effectus finis respectu agentis cognoscitiui possunt ad tres classes reduci. Primus possunt esse ipsa media, seu executio mediorum, qui fit amore finis. Secundus possunt esse ipsi actus interni, vt est amor finis, electio determinata mediorum, gaudium

de possessione finis,& alij similes. Tertius denique effectus est ipsa finis consecutio. Certum est apud omnes effectionem mediorum esse propter finem,adeoque esse effectum finis, si quid enim facit finis,certè facit, vt ponantur media ad ipsum consequendū. Magis controuersum est: an actus interni,qui directè tendunt in finem,vt est amor finis,gaudium,& similes sint effectus finis:affirmant Suarius quæst.33. Metaph.sect.3. Ruuius in tractatu 5. q. 3. & alij. Negat P. Vasquez 1. tom. in 1, 2. disp. 8. & alij communius.

Quæstio hæc est fere tota de nomine, nam si nomine finis intelligatur id propter cuius bonitatem aliquid fit,cum amor finis fiat per bonitatem ipsius, erit effectus finis; si verò nomine finis intelligatur id cuius amore aliquid fit,nec amor,nec alius actus directè tendēs in finē erit effectus finis. Ex his duabus acceptionibus melior videtur,& magis distincta acceptio secunda, quàm prima; quod scilicet effectus finis in rigore sit illud, quod fit ex amore finis,vnde omnes actus directè tendentes in finem non sunt effectus finis. Probatur primò,quia illud est effectus finis, quod fit gratia finis,sed amor ipsius non fit in rigore gratia finis, ergo non est effectus finis. Maioreſt definitio.Minor probatur,nam vox illa gratia finis, potius significat amorem, quàm bonitatē,bonitas enim est ratio formalis obiectiua voluntatis, sicuti sonus est ratio obiectiua auditus,color visus,& veritas intellectus, ergo bonitas finis non est ratio constituens vltimò causam finalem, nisi intelligatur amor ipsius bonitatis,& consequenter gratia finis significat etiam amorem, non autem solam bonitatem. Hæc consequentia probatur,quia causa finalis debet habere modum diuersum causandi à modo specificandi,quem habet, vt obiectum specificans voluntatem,esse autem obiectum specificans est,quod actus fiat in ordine ad obiectum & sit essentialis tendentia in illud, cum ergo voluntas feratur in bonum,vt suum obiectum specificatiuum, dū actus amoris tendit præcisè in obiectum,nō habetur alius modus causandi illum actum,nisi in ratione specificatiui, sicut cognitio dum tendit in obiectum,specificatur ab ipso.Dicitur verò amari obiectum propter bonitatem, non quod illa particula, propter,significet causalitatem finis, sed obiecti, sicuti assentimur vero propter veritatem: quarè ne confundamus modum causandi causæ finalis cum modo specificandi, qui est communis omnibus obiectis potentiarum,debemus accipere in causa finali particulam illam, gratia finis, pro amore finis potius, quàm pro bonitate. Secundò

pro-

Digitized by Google

probatur cum P. Vasquez, quia actus directus in finem non alio modo causatur ab obiecto, quàm actus amoris in bruto, cum in vtroque casu actus immediatè tendat in obiectum, in bruto quidem necessario, in homine operante cum aduertentia liberè. Sed in bruto obiectum non exercet causalitatem finis, quia formaliter bruta non operantur propter finem in rigore loquendo, non enim cognoscunt proportionem, quam habent media in finem, ergo obiectum non exercebit in homine causalitatem finis per suam bonitatem solum, sed propter amorem, qui amor supponit cognitionem finis rationalem. Confirmatur, quia deneget Deus concursum Petro, ne propriè, & formaliter operetur propter finem, certè non negabit concursum ad actum amoris respectu boni, quod sibi repræsentatur, cum hoc habeant etiam bruta, ergo amor finis non est propriè effectus finis.

Dico secundò. Consecutio finis, eiusque possessio non sunt effectus finis in rigore: probatur, quia finis est cuius gratia cætera fiunt, vox autem, cætera significat alia diuersa à fine, ergo ipse finis, & eius consecutio non sunt effectus ipsius; nec valet responsio Suarij de fine cui, & fine qui; nam vt probauimus, id cuius gratia cætera fiunt, neque est solus finis qui, sed vterque simul, ergo consequtio finis nullo pacto est diuersa ab ipso fine.

Dices. Consecutio finis fit ex amore ipsius, ergo est effectus eiusdem.

Respondeo. Consecutionem finis non esse ex amore finis transitiuè, sed intransitiuè, hoc est non est ex amore alterius, nec in ordine ad aliud; sed totum hoc est quæstio de voce, an scilicet effectus finis intelligatur esse id, quod est diuersum à fine.

Dico tertiò. Electio mediorum non est effectus finalis regulariter loquendo nisi fiat cum reflexione in ordine ad finem. Explicatur conclusio: dupliciter possum eligere media ad finem. Primò, vt accidit regulariter eligendo media, & considerando proportionem ipsorum in ordine ad finem, nihil reflexè considerando an ipsa electio sit proportionata ad finem consequendum. Secundò, cum reflectimus supra ipsam electionem, & considera-mus illam benè conducere ad finem. Dico ergo, quod in primo sensu electio non est effectus finis, est autem in secundò. Probatur, quia actus, quo eligo medicinam in primo casu, vt bonã ad sanitatem non est gratia alterius, ergo non est effectus finis. Antecedens probatur, quia vt aliquod sit gratia alterius, debet cognosci,

gnoſci, vt tale ad illud; debet enim amari tanquam bonum vtile, ſed hoc fieri non poteſt, niſi ille actus reflexè cognoſcatur, vt vtilis ad ſanitatem, ergo non poteſt fieri gratia alterius, niſi reflexè cognoſcatur in ordine ad finem. Confirmatur, quia ad hoc, vt aliquod ametur tanquam medium, debet cognoſci, vt bonum, ergo quidquid non cognoſcitur non poteſt appeti, vt bonum, ergo quando actus electionis reflexè non cognoſcitur, non poteſt amari, vt medium.

Obijcies primò, qui vult efficaciter finem, vult etiam omnia neceſſaria ad illum, ſed inter neceſſaria ad finem eſt electio mediorum, ergo vult etiam illam, non propter ſe ipſam, ergo propter finem.

Reſpondeo diſtinguo vltimum conſequens propter finem, hoc eſt propter bonitatem finis, concedo, propter finem, vt amatum, nego: bonitas enim finis cauſat amorem in voluntate, qui amor directè tendit, & in finem, & in media confusè: quare talis amor non oritur ex alio amore finis, ſed oritur immediatè à bonitate finis, quare ille amor mediorum non fit in rigore gratia finis.

Obijcies ſecundò. Concluſio eſt propter præmiſſas, & tamen non datur genus cauſæ finalis in intellectu, ergo *licet media* fiant ex amore finis non debet dari cauſa finalis reſpectu voluntatis.

Reſpondeo negando conſequentiam, diſparitas eſt, quia præmiſſæ ſolùm cauſant aſſenſum concluſionis in genere cauſæ efficientis, poſitæ enim tales cognitiones in intellectu cauſant tertiũ actum, qui modus cauſandi eſt ſimilis modo cauſandi efficiẽtium, at verò media cauſantur à fine, quia ponuntur ex amore ipſius: eſſe ergo totaliter mouẽs, vt impellat operantem per ſui amorem, eſt modus cauſandi valdè diuerſus à cauſis efficientibus.

Obijcies tertiò Ariſtotelẽ qui hìc textu 19. docet finem eſſe cauſam eorum omniũ, quæ intermediant inter efficiens, & finem, ſed electio mediorum, & amor finis ſunt intermedia inter agens, & finem, quæ requiruntur ad hoc, vt agens coniungatur cum finis exiſtentia, ergo ſunt effectus finis.

Reſpondeo Ariſtotelem loqui de efficiente iam proximè diſpoſito ad agendum, in agentibus autem liberis ad hoc, vt ſint vltimo diſpoſita ad operandum requiritur amor finis, & electio mediorum, quare hæc non ſunt intermedia inter efficiens completũ, & finem, ſed conſtituunt ipſum agens in eſſe completo. Vnde

Ariſto-

Digitized by Google

Aristoteles ibi explicat in curationibus intermedijs ante quam acquiratur sanitas, vt sunt extenuatio, purgatio, & instrumenta exercita ad medendum ægrotis.

Secunda pars proposita erat, quid sit finis causalitas? In hoc ferè omnes conueniunt cum Aristotele primò de generatione textu 35. & 12. Metaph. textu 26. asserentes causalitatem finis esse motionem metaphoricam. Dicitur metaphora cum aliquod propriũ vnius transfertur in aliud propter proportionem, quæ est inter illa duo, sic dicimus, prata rident, quia habent signa iucunditatis. sicuti habet homo ridens; quare metaphora non est ens rationis, sed realis proportio inter duo, & quoniam finis est similis illi, qui me manu mouet, & trahit non violenter, sed amicè de vno in aliũ locum, dicitur mouere meam voluntatem mataphoricè, quod autem sit similis mouenti localiter, patet, quia bonitas illa finis cognita, & amata habet vim alliciendi voluntatem, quæ est potentia appetens bonum, & ita dicimus finem mouere, allicere, & trahere ad operandum iuxta illud. Trahit sua quemque voluptas. In quo autem sita sit hæc motio metaphorica, controuersum est. Soncin. 7. metaph. sect. 2. dicit motionem finis præcedere omnem actum voluntatis, sed ab ea allici voluntatem ad faciendum actum amoris: sed contra est, quia ista motio præcedẽs debet esse aliquid, si enim nihil est, malè appellas hoc nihil nomine motionis; si est aliquid, vel cum eo potest coniungi negatio amoris, vel non. Si dicas secundum, ergo motio illa necessitat, quia cum ea coniungi non potest negatio amoris; potentia autem libera est, cum qua vltimo completa coniungi potest æquè benè amor, vel negatio amoris: si dicas primum ergo illa motio non est causalitas finis, implicat enim, quod sit causalitas, & non sit effectus finis, sed per te potest esse illa motio sine amore, & consequenter sine effectu, ergo illa non est causalitas.

Secunda sententia est P. Suarij loco citato sect. 4. nu 12. & aliorum, quos citat. vult autem actionem, qua fit volitio dependenter à fine esse causalitatem finis, cum enim ipse velit amorem esse effectum finis consequenter docet actionem, qua producitur amor ob finis bonitatem, vel distincta sit ab amore, vel non distincta, esse causalitatem finis. & per eandem effectum externum, nempe ipsam executionem mediorum dependere à fine, quia actio externa imperatur ab ipso amore. Impugnatur tamen hæc sententia, quia potest esse amor finis, & tamen Deus potest suspendere cõcursum ne producantur media, verbi gratia potest quis efficaci-

ter

ter velle sanitatem, & eligere sumptionem medicinæ, & Deus potest impedire hanc sumptionem. In tali casu sunt amor, electio, & omnes actus interni, & tamē non est actio externa, ergo amor, & actus interni non sunt adæquata causalitas finis. Consequentia patet, quia posita causalitate causæ, nec de potentia Dei absoluta, potest impediri effectus causæ, quia nomine causalitatis intelligimus determinationem ipsam, qua effectus ponitur, sed amor non est talis, vt dictum est, ergo non est causalitas.

Dicendum est cum tertia sententia, quam multi auctores sequuntur motionem metaphoricam consistere in actione externa, qua exequimur medium prout imperata à volitione interna, vt congrua, & conducens ad finem, verbi gratia sumptio medicinæ simul cum volitione illius ex amore sanitatis est causalitas, & motio metaphorica, qua sanitas ponit illud medium. Probatur conclusio, quia posita tali actione externa imperata ab amore finis, determinatur essentialiter effectus, vt sit dependens à fine, sed id per quod formaliter determinatur effectus, vt dependeat à causa finali, est causalitas, ergo illa actio imperata erit causalitas. *Minor* patet: probatur maior, quia nihil aliud sufficit, vt probatum est, & nihil illi deest, vt sit causalitas, nam intellecta actione productiua medij imperata ab amore finis, intelliguntur media posita propter finem, ergo nihil deest ad rationem dependentiæ.

Obijcies primò cum Soncina bonitas obiecti trahit voluntatem ad amorem sui, ergo illa tractio est causalitas finis.

Respondeo, quod bonitas obiecti trahit voluntatem, vt vis motiua non autem, vt motio, vis tamen motiua est causa in actu primo, non autem causalitas, quæ est positio actus secundi, nempe effectus.

Obijcies secundò. Ideo sumitur medicina, quia amatur sanitas, ergo tota causalitas finis est actus amoris.

Respondeo distinguo antecedens, si illud, ideo, significet totā causalitatem finis, nego, si significet inadæquatam, concedo, ratio est superius allata, quia potest esse actus efficax ex sua natura circa medicinam, & tamen nō sequi, sumptio medicinæ: ergo illud, ideo, non significat adæquatam causalitatem, sed solum significat amorem esse causam imperantem sumptionem medicinæ.

Restat tamen melius explicandum quo pacto finis sit causa vera, cum eius causalitas sit motio metaphorica, videtur enim, quod sicuti se habet causalitas, ita, & causa, ergo si causalitas se habet

vt

Digitized by Google

vt quid metaphoricum causa finalis erit metaphorica. Pro solutione aduertendum est dupliciter posse accipi causam realem. Primò pro causa, quæ per entitatem suam realem influit in effectum realem. Secundò, quę nō per entitatem realem, sed per entitatem, quæ non est, influit in effectum realem. Primus modus causandi conuenit causæ efficienti, & materiali., Secundus modus conuenit causæ finali.

Dico secundò. Causa finalis est vera causa, & realiter causat in secundo sensu. Probatur quia finis causat quando non existit, & tamen verè mouetur voluntas ad operandum, ergo datur realis effectus pendens ab eo, quod non existit. Pendere autem reali, & physica dependentia ab eo, quod non existit solum verificatur in potentijs intentionalibus, quæ habent hoc sua natura, vt operentur per entitatem, quæ realiter non est. Dicitur ergo causalitas motio metaphorica, non quod sit causalitas metaphorica, est enim vera, & realis causalitas, sed in ratione motionis se habet metaphoricè, moueri enim propriè sumitur pro mutatione locali, sic etiam pratum habet aliquam realitatem. nempe realem floriditatem. vnde in ratione floridi non dicitur metaphoricè; at verò eadem realis floriditas dicitur meraphoricè risus, sic etiam realis causalitas finis dicitur metaphoricè motio, non autem metaphoricè causalitas.

Obijcies primò. Videtur difficilè, quod aliquod accipiat esse reale ab alio, quod non existit, quomodo enim potest ens reale pendere ab eo, quod non est, imo quod nec esse potest?

Respondeo, distinguo propositionem difficilē. Effectus accipit esse reale à fine, per influxum positiuè, & realiter existentē à fine nego, sic enim esset adeo dura propositio, vt omninò repugnaret. Accipit esse reale à fine per influxum emanantē à fine impropriè, & intentionaliter, & in hoc sensu nullum videtur absurdum, cum enim influxus non emanet physicè, & propriè à fine, sed impropriè non sequitur, quod ens reale physicè dependeat à non ente, depēdere enim physicè est non solum, quod dependentia sit realis, sed quod realiter pendeat à causa, quod secundum nō verificatur de fine; neque mirum sit, quod impropriè concurrens finis causet verum, & realem effectum, hoc enim oritur ex modo operandi agētis intellectualis, qui cognoscit, non solùm quod existit, sed etiam qnod non existit, fingitque bonitatem vbi non est, & cum voluntas ex se habeat esse causam efficientem completam in tali genere causæ, non exigit aliquod adiutorium à fine in genere causæ effi-

cientis, sed solum exigit, vt per cognitionem possit tendere in bonum adeoque oblata bonitate, quæ non est, se ipsa volũtas cum cognitione ponit realiter, & physicè totam entitatem effectus.

Dices, quid est influxum finis pendere à fine impropriè.

Respondeo. Consistere in eo, quod præsupponat bonitatem finis cognitam, sumptio enim medicinæ imperata ab amore sanitatis supponit essentialiter bonitatem cognitam, & hoc est verè pendere à fine, cum per suam entitatem connectatur cum eo, quod non est. Dicitur tamen impropriè ab eo pendere, quia connectitur cũ eo solum mentaliter, & intentionaliter, non autem realiter, amor enim, & sumptio medicinæ ab eo imperata dicunt essentialem ordinem ad bonitatem sanitatis cognitam, non tamen vt actualiter existentem.

Objicies secundò. Causalitas finis est actualis entitas, ergo etiam finis.

Respondeo negando consequentiam; potest enim entitas existens actu habere ordinem transcendentalem ad aliquod non existens, ita est causalitas respectu finis, quia per suum esse reale essentialiter respicit, & connotat ipsam bonitatem, & per hanc essentialem connotationem sufficienter cum ea connectitur.

Tertia pars articuli petebat, vt ageremus de ipso amore, quo amatur finis, & media. Difficultas est, an in instanti in quo exercetur, et habetur effectus volitus propter finem, amor circa effectũ qui requiritur in eo instanti, sit amor desiderij, an complacentiæ? videtur enim neutrum esse posse; non complacentia, quia in eo instanti potentia satagit ponere effectum, ipsum desiderando, cõplacentia autem sequitur ad rem positam, et non satagit illam ponere in eo instanti, neque videtur esse desiderium, nam nemo desiderat rem, quam obtinet pro eo instanti, pro quo obtinet.

Hanc difficultatem obseruarunt aliqui, quos laudat, et secundũ quid impugnat P. Ouied. hic controuersia 2. pun 4. §. 2; videntur autem ipsi non plenè satisfeciſſe dicentes, quod actus desiderijnõ fit de rè absenti, sed de re, quæ non supponatur, et quæ solùm repræsentetur vt possibilis, hunc actum habet operans in eo instanti in quo ponit effectum, non auten. habet actum complacentiæ. P. Ouied. ibi. num. 16 addit suam explicationem distinguendo actum desiderij in practicum, et speculativum. Speculativus est, qui tẽdit in obiectum non dependens à se: practicus, qui est de obiecto, vt à se factibili, et per quem intendit ponere ipsum effectum, qua distinctione allata concedit de desiderio speculativo, quod sit sem-

per

per de obiecto absenti, vel reputato; vt absente; de practico verè consentit cum sententia supra allata.

Displicet vtraque sententia, nam non possumus negare, quod in eo instanti, in quo agens Angelus cognoscit suum effectum à se nunc productũ maximè gaudeat, gaudiũ enim est de bono possesso cognito vt tali, sed in instanti quo agens agit, cognoscit bonum à se possessum in eodem instanti, ergo omnino gaudet, quod autem bonum sit tunc factũ à se, non impedit, quin gaudeat, imo est ratio maioris gaudij aliquando, quia plus amamus res à nobis factas, quàm independentes à nostro labore. Confirmatur quia in eo instanti potest agere gratias Deo, quod non denegauerit concursũ, qui actus non est minus repugnans cum actu desiderij (qui potius petit à Deo concursum) quàm actus gaudij, quo gaudet de illo sibi concesso; ergo simul existeret actus practicus desiderij, et cõplacentiæ.

Nec placet doctrina P. Oued. de actu desiderij speculatiuo; nã potest quis desiderare, verbi gratia existentiam luminis in instanti A, et potest Deus motus ab illius desiderio producere in eodẽ instanti lumen, nec enim Deus tenetur, si vult ex sua liberalitate satisfacere alicuius desiderio, expectare instans, in quo ille non desideret, cum enim liberè desideramus, possumus in quolibet instanti mutare desiderium, aliter non essemus liberi, non satisfacit ergo Deus desiderio Petri, si faciat, prout desiderat tempore antecedenti ad rem desideratam, quia per illud desiderium præteritũ Petrus nunc non desiderat liberè vllo pacto, ergo si Deus vellet satisfacere desiderio libero, debet existere tunc desiderium quando ponit rem desideratam. Præterea cum desideramus aliquid in instanti A. desideramus illud liberè in eodem instanti, quando tunc nobis est bonum, ergo non possumus rationabiliter negare, quod possumus aliquando desiderio speculatiuo desiderare aliquid, et pro eodem instanti illud habere.

Dicet aliquis non repugnat in eodem instanti actus desiderij, et complacentiæ de eodem obiecto, si alter actus se habeat pro priori, alter pro posteriori. Sed cõtra est, quia si ad actus desiderij requiritur cognitio saltẽ præcisiua de existentia obiecti, et in eodẽ instanti euidẽter cognoscitur effectus existẽs, nõ potest intellectus in eo instãti præscindere, præscinderet enim, quia supponis, et non præscinderet, quia effectum intueretur; in eodem autem instanti reali non possunt simul stare intuitio de obiecto, et præcisio eiusdem sufficiens ad desiderium per hos auctores, qui idcirco negant

gant in eo instanti actum complacentiæ.

Verum ex his, quæ diximus in logicis aperitur via ad hanc difficultatem soluendam ; diximus enim ibi posse simul stare duo iudicia in eodem instanti, alterum, quo probabiliter putamus effectū existere, quantum est ex ijs, quæ apparent ex parte causarum secūdarum, & alterum, quo euidenter percipimus effectum existere, vel si Deus nolit concurrere, non existere, qui duo actus non sunt contrarij, cum habeant diuersa obiecta ; primus enim actus cognoscit totam vim creatam actus primi in ordine ad effectū existere, & ex ijs, quæ apparent nobis de prima causa, & quæ se habēt antecedenter ad effectum prudenter iudicari probabiliter, quod effectus existet, quare non cognoscitur per hoc iudicium existentia effectus in se ipso, sed in causa proxima adæquata. & hoc probabilissimè, sed non euidenter, quia ex ijs, quæ se habent pro priori non cognoscimus euidenter, quomodo se habeat causa prima, at per aliam cognitionem intuitiuam cognoscitur effectus in se ipso. Hoc posito dico, quod cū primo iudicio probabili cognoscēte in hoc instanti effectum in sua causa, benè potest stare actus quidā desiderij, ad quem non requiritur negatio euidentiæ effectus in eodem instanti, sed solùm requiritur negatio euidentiæ ex ijs, quæ se habent pro priori ; vbicunque ergo daretur talis euidentia ex ijs quæ se habent pro priori, tunc non posset esse actus desiderij cum ea euidentia at si euidentia de effectu solum sit pro posteriori, ex ipsa effectus positione, nihil facit contra tale desiderium.

Ratio à priori est, quia cum hæc omnia nempe conatus causæ, iudicium probabile de existentia effectus pendens ex ijs, quæ se habent pro priori desiderium eiusdē, quo illa impellitur ad operandum, se habeant pro priori ad effectum, adequata ipsarum causa non potest esse, neque inuoluere aliquod se habens pro posteriori ad ea omnia, qualis est experimētalis cognitio de existentia effectus, solum ergo erunt causa illorū ea, quæ se habent pro priori. Cum ergo in ijs, quæ pro priori se habent, non inuoluatur euidentia effectus, ipsa non potest officere illi actui desiderij, quare nulla est contradictio, quod exoptem effectum ex ijs, quæ video pro priori ad ipsum, & gaudeam de effectu, ex eò, quod ipsum existentem intuear.

Hinc patet, quod actus desiderij, siue sit practicus, siue speculatiuus possit esse in eo instanti, in quo datur euidentia de existentia effectus, & consequenter complacentia, & gaudium de ipsa, dummodo talis euidentia non præcedat ea, quæ sunt in posteriori

riori,& cum ipso effectu,& ea,quæ se habent pro priori, solum cõtineant iudicium probabile ex vi causarum; quod tũc debeat existere effectus,videantur ea,quæ diximus in logicis.

ARTICVLVS VI.

Quæ nam agant propter finem, & de fortuna, & casu.

Dico primò, Deus non operatur ad intra propter finem,verbi gratia non producit Filium,nec amat se propter finem. Probatur, quia quidquid est intra Deum,est Deus, adeoque non fit, sed effectus finis fit ergo quidquid operatur ad intra Deus, non est propter finem in rigore. Dicitur tamen Deus amare se propter se intransitiuè, quia illud,propter,non significat causalitatem; at loquendo de operationibus ad extra semper operatur propter finem,quia agens intellectuale perfectum debet semper dirigere suas operationes ad finem, ergo id multò conuenientius competit Deo.

Dico secundò.Homo,& Angelus operantur propter finem, patet,quia mouentur à bonitate, vel honesta, vel delectabili.

Dico tertiò. Bruta, & inanimata secundum se non agunt propter finem in rigore, sed solùm quatenus author naturæ operatur cum ipsis intendens finem. Probatur conclusio, quo ad primam partem, quia huiusmodi entia non cognoscunt media prout conducunt ad finem,nã ad hoc requiritur comparatio vnius ad aliud, quod est proprium intellectus,quarè solum appetunt media, & finem appetitu,vel innato,vt inanimata,vel elicito, vt bruta, ergo ex se ipsis nõ agunt propter finem. Probatur etiam secunda pars, quia Deus vt Author naturæ intẽdit,v.g. descensum lapidis propter ipsius conseruationem, & nidificationem tam mollem, & accuratam hyrundinis propter bonam conseruationem prolis, ergo operatur propter finem.

Dices. Si per impossibile Deus non intenderet finem in descensu lapidis,tamen lapis tenderet,& appeteret suum finem,ergo non agit propter finem intentum ab auctore naturæ.

Respondeo in tali casu lapidem appeturum suum finem materialiter tam secundùm suam entitatem intrinsecam, quàm secundum ea,quæ extrinsecè connotaret; appetere autem materialiter est appetere sibi bonum absque eo, quod cognoscatur esse bonum sibi: appetere formaliter est appetere cognocendo, quod sit bonum,

num, lapis ergo per suam entitatem solum appetit materialiter, at extrinsecè quatenus dicit Auctorem naturæ secum operantem appetit formaliter.

Dices secundò Monstra non sunt intenta à natura, & tamē sunt intenta à Deo, ergo aliud est finem esse naturæ aliud finem Dei.

Respondeo, dari duplex genus mōstrorum, supernaturaliter, & naturaliter, primum non est intentum à Deo, vt Auctore naturæ, sed vt ab Auctore supernaturali; secundum est intentum à Deo, vt Auctore naturæ, & ab ipsa natura intentione secundaria, non primaria, posito enim tali defectu in causis, vel tali congerie causarum, quæ raro euenit, intēditur etiam monstrum, dicitur autem esse monstrum, quia raro fit, & præter primariam intentionem totius naturæ.

Circa fortunam fuit antiquorū opinio omnia fieri necessariò à causis, & nullum dari effectum fortuitum, & casualem, ponebant enim quandam ineuitabilem necessitatem, siue in ipsis rebus, siue in syderibus, ex qua necessariò sequatur, quidquid fit. Contra verò Epicurei dixerunt omnia casu, & fortuito fieri, nec vllum dari effectum à causa per se. Aristoteles cum doctioribus docuit dari causas per se, & etiam dari aliquas per accidens, quam sententiā sequitur communis Schola Philosophorum, et Theologorum. Et primò, quod detur causa per accidens, per coniunctionem alterius causæ, quæ sibi non debetur, patet, quando Musicus ædificat; per accidens enim est, quod musica coniuncta sit cum arte ædificandi, quæ est causa per se ædificationis. Sed de hac causa hic non agimus.

Secundo datur causa per accidens ratione effectus, eò quod aliqua causa efficiat effectum à se primariò non intentum, vel efficiat per se aliquem effectum, cum quo sit coniunctus alius, quem non intendebat, sic aliquando fossio agri est causa inuentionis thesauri, quæ inuentio non intendebatur à fossoribus per eam fossionem; loquendo ergo de tali causa per accidens, potest esse primo causa operans per intellectionem cum electione mediorum propter finem, vt est homo, vel Angelus, & talis causa dicitur fortuna: differt autem hæc nostra acceptio ab acceptione fortunæ antiquorum, quia ipsi ponebant necessariò, quoddam numen, à quo prouenirent effectus, & negabant diuinam prouidentiam: vnde S. August. lib. 1. retract. retractat. quod adhibuerit hanc vocem fortunæ, ne daret occasionem approbandi errorem illum antiquorum. At in casu nostro licet fortunam appellare causam per accidens operantem

Digitized by Google

cem propter finem ex electione, quod nihil malè sonat contra diuinam prouidentiam. Secundò, potest esse causa per accidens, quę non agat per intellectionem, & hæc dicitur casus, sic tegula decidens impulsu venti, & perfringens caput hominis transeuntis, dicitur casus.

Dari vtramque causam, per accidens, patet tam experientia quotidiana, quàm ratione, quia nihil sequitur inde absurdi. Tamē nulla datur causa per accidens respectu Dei, quia quidquid euenit de facto, præuisum fuit ab æterno à Diuina prouidentia, & aliquo modo volitum, vel directè, vel indirectè. Non loquor de Deo, vt Auctore naturæ, quia vt Auctor naturæ intelligitur operans ex mera exigentia causarum. Ex hoc infertur posse aliquem effectū esse per accidens respectu vnius, & per se respectu alterius. quando videlicet aliquis intendit effectum, quem alter non intendit, sic inuentio patinæ in sacco Beniamini, per accidens fuit respectu fratrum Ioseph, at vero respectu ipsius Ioseph præcipientis, vt ea ibi clam reponeretur, effectus per se.

Iam verò, quamuis Deus omnia futura infallibiliter cognoscat, & ea possit impedire, atque ex eo, quòd non impediat, dicitur saltem indirectè ea velle, seu permittere, & in hoc sensu nihil fiat respectu Dei casu, & fortuito, tamē potest in alio sensu Deus dici causa per accidens respectu peccati, quatenus directa determinatio circa actum malum proueniat à creatura, & non à Deo, qui se habet in hoc, quasi mortuo modo, sed de hoc agemus in quæstione de concursu Dei cum causis liberis.

Obijcies primò. Omnis effectus sequitur ad suum determinatiuum quodcunque illud sit, ergo nunquam sequitur per accidens. Antecedens probatur, quia in tantum aliqua determinant aliud, in quantum ex natura sua habent illud determinare, ergo per se omnis effectus à suis causis determinatur.

Respondeo, distinguo antecedens. Omnis effectus sequitur per se ad suum determinatiuum adequatum, concedo, ad determinatiuum, cui principalius tribuitur tanquam effectus, nego, & eadem distinctio applicanda est probationi, v. g. Inuentio thesauri dupliciter potest considerari. Primò in ordine ad omnes suas causas, nempe, quod ibi fuerit prius collocatus thesaurus, quod fodiatur ibidem hìc, & nūc tanta terra, vt possit apparere, & respectu istarum omnium causarum non est effectus per accidens, vt benè probat argumentum. Secundò potest considerari solùm in ordine ad fodientem vineam, cui principalius attribuitur inuentio

tio thesauri, & respectu illius dicitur per accidēs: similiter respectu intentionis innatæ lapidis decidentis per accidens fuit fractio capitis, licèt considerando omnes causas fuerit per se. Ea responsio applicanda est monstris, quæ per se procedunt ab integro complexu suarum causarum, non iuxta intentionem illius causæ, cui principaliter tribuitur effectus.

Obijcies secundò. Datur fatum, quod per se omnia connectit, ergo non datur causa per accidens. Ad huius rei solutionem aduertendum est dupliciter posse accipi fatum; primò, sicuti dabatur ab antiquis, quod scilicet sit quædam ineuitabilis necessitas, per quam necessariò euenit, quidquid euenit, hanc autem dicebant prouenire à stellis, vel à quibusdam numinibus. Hoc impugnatur à SS. PP. & Catholicis tanquam error manifestus, datur enim perfecta libertas in homine ad benè, vel malè operādum, & Deus singula moderatur pro suo imperio.

Secundò, potest accipi fatum iuxta definitionem Boetij lib. 4. de consol. prof. 4. fatum est inhærens rebus mobilibus dispositio immobilis, per quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus. Et iuxta hanc definitionem dicimus dari fatum, cum enim Deus diuina prouidentia omnia, & singula cognoscat, eademque liberè decreuerit esse futura, si considerentur causæ secundæ quatenus sunt sub tali dispositione Diuinæ libertatis, et prouidentiæ erit infallibiliter talis rerum series, & non alia; adeoq. potest verè dici fatum esse immobilis dispositio diuina circa res mobiles, hoc est, quæ possunt aliter esse, quæ dispositio oritur ex Diuina libertate, et prouidentia infallibili, quod nullo pacto lædit nostram libertatem, quia nulla datur necessitas antecedens in causis liberè operantibus, sed est solum necessitas consequens, quæ supponit suum effectum saltem sub conditione futurum, vt suo loco videbimus in primo de generatione.

QVÆ-

Digitized by Google

QVAESTIO IX.

De mutua causalitate

ARTICVLVS I.

An detur mutua causalitas.

STatus quæstionis est, vtrum duæ causæ ita se habeant, vt vna causet alteram, & rursus hæc, quæ est effectus, sit simul causa alterius. Non hic est sermo de causis, quæ non agunt per actualem existentiam, sed solum per existentiam cognitam, qualis est finis. Certum enim videtur, quod in his detur aliquo modo mutua causalitas, vt docet Aristoteles hic tex. 30. Sunt, inquit, quædam, & ad inuicem causæ, vt laborare, causa est bonæ valetudinis, & hæc laborandi, non tamen eodem modo, sed hoc, vt finis, illud vt principium motus, idem repetit 5. Metaph. textu 2. Ratio est, quia finis causat solùm vt cognitus, non vt existens.

Prima sententia dicit posse duas causas se ad inuicem causare secundum existentiam, sed in diuerso genere causandi; dicunt enim materiam existentem causare formam in genere causæ materialis, & recausari à forma, vt existente in genere causæ formalis, similiter creatio causat materiam in genere causæ efficientis, & recausatur à materia in genere causæ sustentantis. Negant autem posse idem causari ab effectu suo in eodem genere causæ.

Alij congruentius dicunt posse duo ad inuicem se causare secundum existentiam in eodem genere causandi, non tamen de facto dari tales causas, non quia implicent, sed quia non sit indicium talis mutuæ causalitatis. Sequuntur hanc sententiam communiter Thomistæ, quia valdè fauet physicæ prædeterminationi. Videtur eam admittere P. Vasquez 1. 2. disp. 117. quamuis eiusdem principia semper ab ea repugnent, sed ibi valdè obscurè loquitur. Sequuntur etiam Fonseca, Conimbr. & alij Recentiores.

Rationes pro hac sententia sunt primò, quia non potest assignari implicantia, cur v. g. existentia materiæ dependeat ab existentia formæ, & rursus eodem instanti existentia formæ pendeat ab existentia materiæ, ergo possunt esse inuicem causæ secundum

existentiam. Secunda ratio est experientia multarum rerum, videntur enim multæ res dependere ab inuicem, ita duo carbones accensi ad inuicem se conseruant, aperitio fenestræ dependet à vento ingrediente in cubiculum, & simul ventus ingrediens dependet ab aperitione fenestræ. Tertiò baculi inclinati alter alteri dependent ab inuicem ne cadant, & afferunt alia exempla infra ponenda. Tertia ratio est propter creationem, quæ cum sit accidens debet pendere ab aliquo subiecto, adeoque materia pendet à creatione, cum per eam creetur à Deo, & creatio pendeat à materia, vt à causa materiali.

Secunda sententia negat mutuam causalitatem quò ad existentiam tàm in eodem, quàm in diuerso genere causæ, tam de facto, quàm de possibili, si enim semel admittatur de possibili, non est ratio, cur de facto saltem in aliquibus dari non possit, quarè tota vis huius sententiæ est in demonstranda implicantia mutuæ causalitatis, & soluendis obiectionibus; hanc sequuntur plurimi ex nostris Theologis, nempe Suarius. Albertinus, Coninck, Becanus, Hurtad. Arriag: Ouied. & alij recentiores.

Dico mutuam causalitatem, quò ad existentiam omnimodo implicare. Ante quam nostram conclusionem probemus, aduertendum est, quod existentia creaturæ, vt existat, debet sufficienter determinari ab omnibus suis determinatiuis, ita vt si vnum solummodo desit, ea existentia, existere non possit, vnde sequitur idem esse rem non esse determnatam vt existat, ac esse inadæquatè, seu partialiter determinatam, sola enim pars determinatiuorum nō sufficit ad ponendam existentiam rei: ita si detur ignis, materia disposita, & reliqua omnia præter solam approximationem ignis ad materiam, simpliciter non dantur determinatiua ad existentiam noui ignis.

Probatur conclusio, quia si daretur mutua causalitas non posset assignari conceptus causæ, nisi enim conceptus determinatiui inuoluat independentiam à determinato, non est proprius conceptus determinatiui, esse enim determinatiuum, seu causam, non solùm explicatur per connexionem, sed per aliud supra connexionē, vnum enim pendere ab altero non est quomodocunque connecti, sed connecti quodam modo peculiari, qui modus peculiaris connexionis explicari non potest sine independentia, adeoque ratio causæ inuoluit independentiam ab effectu, & idcirco non possunt mutuo pendere causa, & effectus, quia causa debet esse independens. Quod autem ratio causæ, & determinatiui inuoluat inde-

pen-

Digitized by Google

pendentiam ab effectu superius probatum est, quia causa potest existere non existente effectu, qui ab ea pendet.

Dices. Causare est dare esse, & hic est primus conceptus. cur ergo duo non possunt sibi dare esse secundum existentiam ad inuicem. Sed contra est primo, quia dare esse est conceptus valde obscurus, desumitur enim per metaphoram à donatione libera, quam facit Dominus de sua re, hoc enim propriè significat dare; quare petimus ab aduersarijs, quid propriè significet dare esse in causa quando causat, quoties enim nomen est metaphori. cum, non solum debemus explicare id cui propriè imponitur, sed illam realitatem ad quam significandam transfertur, sic explicantes risum prati non solum explicamus risum hominis, sed illam viriditatem prati, ad quam significandam transfertur risus; assignet ergo aduersarij, quid significet dare esse quando applicatur causæ, certè hoc explicare non poterunt, nisi inuoluant independentiam in conceptu causæ: vndè immeritò videntur concedere aliqui dari mutuam causalitatem, & non dari mutuam prioritatem, quia prioritas, inquiũt, habetur per independentiam, non autem ratio causa. Secundò adhuc impugnatur, quia sistendo in ipsa metaphora dandi, non potest vna res dare esse alteri rei, & illa simul dare esse isti, non potest enim libertas domini dare libertatem seruo, & libertas serui simul dare libertatem domino, ergo neque in ratione dantis potest dari mutua causalitas, vt patet.

Dices secundò. Ratio causæ consistit in adiuuantia vnius respectu alterius, ex eo enim, quod materia adiuuet productionem formæ, & forma productionem materiæ habent ad inuicem rationem causæ; quod si petamus quid sit esse adiuuans. Respondent esse id, quo ablato requireretur maior concursus Dei ad ponendum effectum, qui non requireretur eo non oblato. Sed contra est, quia hæc solutio petit principium, respondet enim idem per idem, nam inquiro quid sit adiuuare, quod idem est ac concurrere, & tu respondes adiuuare esse id, quo ablato requiritur adiutorium Dei, & solùm mutasti vocabulum, & nomine adiutorij, seu adiuuantiæ posuisti concursum, semper ergo restat explicandum, quid sit esse concurrens, quare nisi venias ad independentiam, & explices ipsum cõcurrere per esse independens ab effectu, & respici per actionem fundatam in defectibilitate creaturę, nunquam explicabis bonum conceptum causæ.

Probatur secundò Conclusio, quia si daretur mutua causalitas quo ad existentiam, sequeretur, quod existentia finis adhiberetur

ab intendente finem, vt medium ad eandem existentiam finis, hoc est absurdum, ergo & antecedens. Sequela Ma. probatur, quia natura quando intendit efficaciter existentiam formæ, eandem positam à parte rei, ordinaret tanquam medium ad ipsam ponendam à parte rei, ergo adhiberet existentiam finis vt medium ad ipsius existentiam. Consequentia patet, antecedens probatur, quia natura ordinat existentiam formæ per te ad ponendam existentiam materiæ, quæ est medium necessarium, vt ponatur existentia formæ, sed quidquid ordinatur ad ponendum medium necessarium, etiam ordinatur ad ponendum finem, ergo si existentia formæ ordinatur per te à natura ad ponendam materiam, quæ est medium necessarium ad ipsam existentiam formæ, ordinatur vt medium ad ponendam se ipsam. Min. primi Syllogismi probatur, nempè, quod sequela sit absurda; nam consecutio finis est vltimum, quod intenditur, eaque habita cessant media, ergo ipsa finis consecutio non potest ordinari vt medium ad se ipsam, sed existentia formæ respectu naturæ, quatenus vltimò intendit formam, est consequtio finis, ergo existentia formæ non potest ordinari, vt medium ad ipsam existentiam formæ. Explicatur res exemplo. Si quis intenderet sanitatem, certè ipsam existentiam sanitatis non ordinat, vt medium ad se ipsam, quia eo ipso, quod habet existentiam sanitatis, omnis ordinatio cessat, & omnis adhibitio mediorum, sic etiam est impossibile vt existentia formæ ordinetur ad se ipsam.

Dices primò. Existentia finis non potest adhiberi, vt medium immediatum ad eandem ipsam existentiam, potest tamen adhiberi, vt medium mediatum. hoc est tanquam medium quod ponat, aliquod tertium, quod sit medium ad ipsum finem. Sed contra est, quia ratio cur finis non possit adhiberi, vt medium respectu sui ipsius, tam valet de medio mediato, quàm de immediato, ratio enim, cur finis non possit adhiberi vt medium, est, quia eo habito nihil ampliusquæritur, nec mediatum, nec immediatum, ergo non potest intelligi, quod natura habeat existentiam formæ à parte rei, eamque ordinet, vt ipsam habeat eodem instanti.

Dices secundò. Totum hoc est verum de consecutione finis adæquata: at consecutio inadæquata potest ordinari ad ipsam adæquatè habendam; sic euenit in mutua causalitate; natura enim adhibet formam inadæquatè existentem ad ponēdam materiam, per quam adæquatè existat eadem forma, quare forma secundum id, quod est existēs, ordinatur ad materiā, à qua habet forma simpli-

pliciter existere. Sed contra est, quia transeat, quod finis inadæquatus possit ordinari, vt medium ad finem adæquatum, quia tũc finis inadæquatus verè non habet rationem finis, sed potius medij tamen in casu nostro res non ita se habet: nam existentia formæ in'hoc est indiuisibilis, nec habet existere inadæquatè, seu partialiter. & secundum quid, sed quidquid existit, totaliter existit, & si existentia formæ accipiatur, sine vno ex determinatiuis, nullo modo habet existere, ergo si existentia formæ non potest accipi inadæquatè neq secundum quid, quomodo dicis ipsam existentiã formæ esse finem inadæquatum, imo neq. per intellectum possumus concipere formam determinari ad existendum præscindendo ab vno ex suis determinatiuis, quia existere est effectus, qui indiuisibiliter habetur ab omnibus determinatiuis, est enim contradistingui à nihilo, quod non habet medium, vel enim contradistinguitur, vel non.

Præterea ex hac responsione sequeretur, quod forma esset causa materiæ non secundum existentiã suam simpliciter, sed secundũ existentiam inadæquatam, sed secundum hanc existentiam inadequatam forma per se non recausaretur à materia, ergo non daretur verè mutua causalitas. Quod si distinctio illa inadæquata, & secundũ quid cadat supra causare, quod scilicet existentia formæ causetur secundũ quid, & non simpliciter à materia, sicuti ea secũdum quid causat materiam: contra est, quia nulla res existens potest secundum quid ordinari tanquam medium, vt ipsa existat, ergo existentia formæ ordinari non potest secundum quid ad hoc, vt existat materia, quæ est medium ad existentiam ipsius formæ.

Totum hoc confirmatur, quia nulla entitas potest se ipsam determinare ad suam existentiam ponendam, sed si forma secundum quid causaret materiam, determinaret se ipsam ad existendum saltem partialiter, & secundum quid, ergo nullo pacto potest causare materiam. Maior videtur certa; nam entitas creata cum sit indifferens ad existendum, & nõ existendum, debet determinari, vt existat, non potest autem determinari nisi ab omnibus determinatiuis necessarijs, ergo existentia ipsius non potest esse vnum ex determinatiuis, quod autem sequeretur formam determinare se ipsam ad existendum, probatur, quia omnia illa sunt determinatiua ad exientiam formæ, quæ determinant causam efficientem etiã vt conditiones ad ponendam formam, sed ipsa forma determinaret agens ad ipsam ponendam, ergo determinaret existentiam suam.

suam. Maior est ipsa definitio determinatiui. Minor probatur, quia materia existens est aliquod requisitum ad hoc, vt existat forma, & determinat agens ad eam producendam, sed materia existens dicit saltem, vt conditionem existentiam ipsius formæ, ergo ipsa forma est vnum ex determinatiuis, quæ denominant agens ad productionem formæ.

Neque dicas esse determinatiuum mediatum, nam hoc ipsum probatur esse absurdum, determinatiuum enim, siue mediatum, siue immediatum habet hoc prædicatum commune omnibus, vt sit aliquâ existentia necessariò requisita in hoc instanti tanquam medium ad existentiam effectus, ergo totum hoc conueniret existentiæ, scilicet, quod ipsa sit medium ad se ipsam in eodem instanti, quod apertè est absurdum.

Respondebis, natura non intendit formam tanquam finem, sed tanquam medium ad totum, ergo hoc argumentum supponit falsum. Sed contra est, quia hoc argumentum non fundatur in eo quod forma sit finis vltimus naturæ, sed æquè benè valet, etiá si forma esset medium ad totum; nam licet aliquid possit esse medium ad aliud, implicat tamen esse medium ad se ipsum, *habito* enim aliquo medio in aliquo instanti, non adhibemus *idem* medium ad ipsum habendum pro eodem instanti: Sit exemplum in medicina, certè habita sumptione medicinæ, non potest *agens eã*dem ordinare ad ipsam sumptionem habendam, *licet* bene ordinet ad habendam sanitatem, nam habita sumptione medij non possumus amplius quærere eandem sumptionem, quare vis argumenti æquè valet siue forma consideretur vt medium, siue vt finis.

ARTICVLVS II.

Soluuntur argumenta pro mutua causalitate.

OBijcies primò In ordine locali columna A est prior, & posterior columna B, si videlicet nũc à dextra, nunc à sinistra incipiamus designationem, ergo duæ existentiæ possunt esse priores, & posteriores ad inuicem in diuerso genere causæ.

Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quia prioritas loci tota sumitur in ordine ad aliquod, quod assignatur: dicimus enim esse primam columnam ad dextèram ianuæ, quæ est maximè vicina illi parti ianuæ, quod si designatio incipiatur ab alia par-

parte, eadem columna est posterior, nullum autem absurdum est, quod eadem columna sit vicina vni parti ianuæ, & sit remota ab altera, semper enim est diuersitas in ordine ad diuersas partes, at vero prioritas causalitatis non desumitur per nostram designationem, neque per diuersa extrinseca, sed semper dicit eadem duo: imò retorquetur argumentum, quia si præcisè accipias duas columnas & non in ordine ad diuersa, non habes neque priorem, neque posteriorem, ergo quando accipis effectum, & causam non potes habere mutuam prioritatem.

Obijcies secundò, quando flante vento aperitur fenestra, aperitio fenestræ est causa ingressus venti, & ingressus venti est causa aperitionis fenestræ, ergo datur mutua causalitas. Pro responsione huius, et similium difficultatum aduertendum est: quatuor interuenire in tali casu; primò potest considerari vis impulsiua venti, & resistentia fenestræ per suam impenetrabilitatem, grauitatem, & impedimenta, quæ habet, ne aperiatur. Secundò ipse motus localis venti, qui dicitur ingressus venti, & ipse motus localis fenestræ, qui dicitur aperitio. Tertiò ipsum vbi permanens, quod habebat fenestra. Quartò negatio talis vbi, quæ negatio spectat ad aperitionem fenestræ. His positis: Respondeo negando antecedens, vel enim nomine aperitionis fenestræ intelligitur motus localis fenestrę introrsum, & sic neque motus venti introrsum, hoc est ingressus venti est causa motus fenestrę, neque motus fenestræ est causa ingressus venti, vel nomine aperitionis fenestræ intelligitur negatio vbi permanētis & sic ista negatio nō est causa motus venti, neque ingressus venti est causa illius negationis, causa ergo ingressus venti simul, & motus fenestrę est ipsa vis impulsiua venti, siue sit in ipso vento, siue in alio impellente ventum, vis enim illa duos effectus facit simul, nempè ingressum venti, & motum fenestræ introrsum, in quo nulla apparet mutua causalitas. Negatio vero vbi prioris in fenestra causatur à motu eiusdem fenestrę, negatio enim procedit ex aliquo, & in casu nostro procedit ab vbi positiuo, quod per motum acquirit fenestra.

Dices, si fenestra in tali casu maneret clausa, maior virtus requireretur, vt ventus ingrediatur, ergo aperitio fenestræ est causa partialis ingressus venti. Antecedens videtur certum, quia esset maximum miraculum, quod ventus ingrederetur fenestra clausa. Consequentia probatur, quia aperitio supplet de facto illum excessum virtutis, quem adhiberet Deus miraculosè in ingressu venti clausa fenestra.

Re-

Respondeo primò, hoc argumentum nimis probare; probat enim, quod mera negatio habeat virtutem causatiuam, quod nemo concedit, ad summum enim negatio potest esse conditio, non virtus causæ; nã annihilata impenetrabilitate fenestræ, quæ est accidens resistens vento, ventus ingrederetur facillimè etiam clausa fenestra, ergo per te mera negatio rei positiuę suppleret excessum virtutis, qui requiritur ad ingressum venti clausa fenestra.

Respondeo secundò negando antecedens, quamuis enim esset miraculosus ingressus venti clausa fenestra, tamen non requireretur maior virtus, sed solum requireretur dispensatio in legibus naturæ, tunc enim requireretnr, vt Deus dispensaret exigentiæ vis impulsiuæ venti, quæ posset facere duos effectus simul, Deus autem non vult concurrere ad vnum ex illis, sed solum ad alium. Pro quare melius percipienda aduertendum est, quod negatio alicuius rei potest aliquando prouenire ex mera Dei libertate; hæc autem mera libertas dupliciter potest se gerere, vel non faciendo contra exigentiam naturalem vlius creaturæ, vel faciendo. v.g. Nunc Deus liberè non creat Angelum de nouo, & negatio Angeli nunc creabilis non est contra exigentiam vllius creaturæ, at verò negatio combustionis in fornace Babylonica liberè erat à Deo volita, sed contra naturalem exigentiam ignis, qui ex natura sua exigebat producere combustionem in tribus pueris ibi positis, quia ergo virtus diuina est coniuncta cum absoto dominio rerum omnium, potest etiam ad præsentiam exigentiæ agentis naturalis de aliqua re ponere, vel conseruare negationem illius rei, hoc autem fit dispensando exigentiæ naturali, non autem ponẽdo aliud positiuum maius; ita si bombarda exploderet duos globos, & Deus negaret concursum igni impellenti, ne alter globus moueretur, certè non adhiberetur maior concursus, neque requireretur maior virtus, sed solum requireretur dispensatio, qua fieret contra exigentiam ignis impellentis: similiter in casu nostro quia ventus impellens exigeret concursum ad duos motus, si Deus negaret concursum ad motum venti, ventus ingrederetur, & penetraretur cum fenestra. Non esset autem miraculum nouum penetratio venti, & vbi permanens fenestræ, ac velle, vt ventus sit, vbi est fenestra, hoc est existat simul in eodem loco vbi venti. & vbi fenestræ, quod idem est, ac penetrari, quare totum miraculũ consisteret in eo, quod conseruaret vbi permanẽs fenestræ contra exigentiã vis impulsiuę, ad quod sequeretur, quod etiam deberet facere cõtra exigentiã impenetrabilitatis fenestræ.

Dices.

Digitized by Google

Dices secundò ipsum, vbi permanens, et impenetrabilitas fenestræ sunt impedimenta ingressus venti, ergo negatio vbi permanentis fenestræ erit negatio impedimenti, sed omnis negatio impedimenti est conditio ad causandum, ergo hæc negatio vbi permanentis esset conditio ingressus venti, & consequenter prior. Antecedens probatur, quia si non esset, vel vbi permanens fenestræ, vel impenetrabilitas, iam ventus ingrederetur, ergo illa sunt impedimenta.

Respondeo negando antecedens, ad probationem dico, vt aliquod sit impedimentum, non satis est, quod eo ablato sequatur effectus, sed præterea requiritur, vt non possit tolli virtute agentis, at in casu nostro, neque vbi permanens, neque impenetrabilitas impediunt ingressum venti, & motum fenestræ, quia vis venti, vt suppono, est potens ponere aliud vbi in fenestra, & ita est potens vincere resistentiã vtriusque, at verò si daretur aliqua resistenta ex parte fenestræ, quam vincere non posset vis venti, tunc talis resistentia esset impedimentum, v. g. si esset ferrum obserans fenestram, certè negatio talis rei ita obserantis est conditio requisita, vt ingrediatur ventus in cubiculũ, & fenestra aperiatur. Quod si loquamur de vbicatione fenestræ pro tempore antecedente ad ingressum venti, est causa ingressus ita attemperati, ex eo enim, quod ibi prefuerit fenestra cum tanta grauitate, datur connaturalis determitatio ad ingressum venti ita modificati. Similiter ipsa impenetrabilitas existens eo tempore, quo fenestra aperitur, est conditio requisita ad talem attemperationem motus, & si ea auferretur, motus esset celerior, & fenestra non moueretur, quare impenetrabilitas, grauitas, & similia sunt requisita pro priori ad talem motum, seu ingressum venti, & ad talem motum fenestræ.

Ex dictis colligitur à pari, quomodo negatio frigoris in subiecto, quo ponitur calor, non sit prior natura calore, sed potius posterior, cum enim negatio debeat poni ad positionem alicuius positiui, eo quod positiuum exigat non dari existentiam formæ sibi oppositæ, calor qui producitur in subiecto, exigit, ne existat amplius in eo frigus oppositum, & ita ponitur negatio frigoris ad exigentiam caloris, quare calor se habet, vt medium ad negationem frigoris, & non è contrario. Similiter ad actum peccati, iuxta Concilium Tridentinum, sequitur priuatio gratiæ, & ad actum amoris sequitur negatio odij circa idem obiectum. Colligitur etiam, quomodo negatio frigoris non adiuuet productioem caloris

ris in eodem subiecto, quia non requiritur maior virtus, vt introducatur calor etiam persistente frigore, quod ab eo deberet expelli, sed solum requiritur dispensatio in legibus naturæ: requiritur enim, vt Deus dispenset exigentiæ, quam habet calor productus, vt sit negatio frigoris sibi oppositi in suo subiecto, & Deus contra hanc exigentiam naturalem caloris conseruaret adhuc idem frigus.

Instabis posito quod Deus velit conseruare frigus in subiecto non producitur in eodem calor, ergo negatio frigoris est mediũ requisitum ad productionem caloris.

Respondeo in primis etiã si detur antecedens, adhuc non valet consequentia, nam quando est necessaria connexio inter effectum, & causam, valet ex negatione effectus negatio causæ, v. g. si dicatur, Deus in hoc instanti non vult ponere in mea voluntate negationem odij circa Petrum, ergo non vult ponere amorem circa eundem, bene valet hæc consequentia, non autem hinc inferres, quod negatio odij sit causa amoris: ratio est, quia si est necessaria connexio inter effectum, & causam, quod euenit in aliquibus negationibus, hoc ipso, quod Deus non vult ponere effectum, neque etiam vult ponere causam, vt patet, in casu tamen posito de calore, quia non est essentialis connexio inter calorẽ, & *negationem* frigoris, vt suppono, sed solum connaturaliter, cui Deus de potẽtia absoluta potest dispensare, dupliciter possumus ponere casum, vel quod Deus velit denegare concursum igni bene applicato, & potenti tollere frigus à passo, & tunc totum miraculum est, quod nihil caloris producatur in subiecto frigido, adeoque frigus conseruatur naturaliter posita ea negatione concursus cum igne, sicuti euenit in pueris intra fornacem Babylonis, vel ponimus, quod Deus solum veljt conseruare frigus contra exigẽtiam cuiuscunq. rei, sed de reliquo vult concurrere cum igne iuxta naturam ipsius, & in tali casu producetur calor in subiecto remanente frigore, solum enim est dispensatio in conseruatione frigoris contra exigentiam caloris prnducti, non autem est dispensatio in non concurrendo cum igne applicato quod est diligenter obseruandum.

Hæc eadem doctrina applicanda est similibus argumentis, in quibus probatur, quod negatio consequens ad aliquid sit requisita ad id, quod antecedit tauquam conditio, semper ergo negandũ est id, quod sequeretur naturaliter ad operationem alicuius causæ, si non poneretur esse impedimentum, ne causa illa agat.

Obijcies tertiò, Cum duo baculi ad inuicem inclinanti se sub-

sten-

Digitized by Google

tentant, tunc vbi baculi A, causat vbi baculi B, & è contrario, ergo datur mutua causalitas.

Respondeo negando antecedens, nam prima productio vtriusque vbi causatur indiuisibiliter à grauitate vtriusque baculi, ab impenetrabilitate à motu antecedenti, si per motum applicentur, & à negatione causæ proximæ in actu primo applicatæ ad impedienda illa duo vbi, his enim existentibus, datur sufficiens determinatiuum ad productionem vtriusque vbi, quod si loquamur de conseruatione ipsorum vbi, requiritur etiam tanquã conditio, quod prius ipsæ vbicationes extiterint, nihil enim conseruatur, nisi prius fuerit productum.

Dices. Positis his omnibus determinatiuis, si Deus post hoc instans transferat miraculosè baculum A. in alium locum, non cõseruabitur vbi permanens in baculo B, ergo conseruatio vbi baculi A, est causa conseruationis vbi baculi B. Respondi aliquando in tali casu, vel Deus ita transfert baculum A, vt velit, etiam posita hac translatione miraculosa, operari quantum potest iuxta naturas rerum, vel non vult ita operari; si ponatur casus secũdo modo, potest Deus facere quidquid velit, & nihil sequitur contra nos, quia tunc non sequitur exigentiam naturæ, si ponatur casus secũdo modo debet conseruare vbi baculi B. pro aliqua morula, nam datur causa adæquata ad conseruanda duo vbi, ergo si Deus dispensat ad conseruationem vnius, non idcirco debet dispensare ad conseruationem alterius, quia causa saltem exigeret partem sui effectus, sicuti supradiximus de duplici globo explosi à bombarda, sed contra hanc responsionem.

Dices secundò. Ad conseruandum vbi Baculi B. requiritur negatio agentis impedientis illam conseruationem, sed Deus auferens baculum A, est impediens conseruationem illius, ergo requiritur negatio Dei auferentis, baculum A, sed negatio Dei auferentis baculum A idem est, ac Deus conseruans vbi baculi A, ergo conseruatio talis vbi est causa vbi baculi B.

Respondeo distinguo maiorem requiritur negatio agentis in actu primo proximo determinati, & naturaliter potentis impedire concedo, in actu secundo impedientis, nego; agens actu operans, est agens cum effectu; agens in actu primo est agens cum tota virtute, & omnibus omninò requisitis ad operandum, ita ut nihil desit ex parte virtutis operatiuæ, & conditionum requisitarum, vt ergo sequatur aliquis effectus requiritur tanquàm conditio, ne detur tale agens potens impedire, ita vltimò dispositum in actu

primo, non autem requiritur, vt conditio, quod actu non impediat; actu enim non impedire, est actu poni effectum, quem non impedit, effectus autem non est conditio ad se ipsum. Sed adhuc contra hoc.

Dices tertiò. Si daretur in hoc instanti agens naturale auferens ab isto loco baculum A, non conseruaretur vbi baculi B, ergo idē euenit si illum baculum auferat Deus.

Respondeo negando consequentiā ratio disparitatis est, quia si adest Petrus potēs auferre baculū virtute naturali, iā datur exigētia naturalis, ne cōseruetur vbi baculi B, & ita Deus procedēs modo naturali nō deberet cōseruare illud vbi At verò si intelligamus Deū applicatū ad auferendū baculū A, supernaturaliter, nō intelligimus mutatā totam exigentiam naturalem, quæ adæquatè exigit conseruationem vtriusque vbi, ergo si Deus se conformat exigentiæ naturali debet saltem concurrere ad vnum ex effectibus.

Verum ad casum suprapositum melius respondetur, quod si Deus auferat miraculosè baculum A, neque producetur vbi in baculo B, non quia vbi baculi A, sit causa, sed quia causæ naturales exigunt indiuisibiliter aliquando duos effectus, quarè *idem* est, non ponere vtrumque, ac facere contra exigentiam, hoc autē est quando coniunctio effectuum est bona, & *consequenter intenta* à causis secundis, non autem est bonus vnus effectus per se, sicuti bonus effectus equorum est motus omnium partium currus, non autem vnius partis, atque in his casibus causa exigit ab auctore naturæ, vt vel concurrat ad omnes effectus, vel ad nullum, quarè in casu posito si Deus nollet concurrere ad vbi vnius baculi non conformaret se cum causis si concurret ad vbi alterius, quia non exigunt, vt bonum suū vnū vbi, sed vtrumque indiuisibiliter adeoque Deus, vel vtrumque deberet ponere ad exigentiam causarum, vel neutrum.

Obijcies quartò. Carbo ignitus est causa caloris in aere ambiente, & calor in aere ambiente conseruat calorem ignitum, ergo datur mutua causalitas.

Respon. de o distinguo secundam partem antecedentis calor in aere conseruat carbonem ignitum pro duratione pro qua pendet à carbone nego, in duratione subsequente cōcedo, explicatur distinctio; calor existens primo quadrante, v. g. est conditio, vt ipsemet existat secundò quadrante, semper enim ad conseruationem alicuius requiritur vt conditio præexistentia eiusdem, loquendo ergo de eadem duratione: carbo est causa caloris in aere, non autē

calor

calor in aere in eadem duratione est causa carbonis: at verò idem calor existens nunc in aere potest esse conditio, vt cõseruetur carbo tempore subsequenti.

Dices, vnum ex agentibus, petens destructionem carbonis, est frigus in aere ambiente, ergo negatio talis agentis est negatio frigoris in aere ambiente, sed talis negatio est causata à calore, & etiam causat, vt conditio, calorem, ergo causat, & causatur.

Respondeo, quod agens petens naturaliter destructionẽ carbonis est frigus potentius ipso carbone, non autem impotentius: frigus ergo illud, quod expellitur à calore carbonis producto in aere est debilius calore carbonis, & per consequens non petit destructionem, neque caloris, neque carbonis.

Dices iterum: frigus, quod expellit calor in aere, si existeret in ea duratione in qua expellitur; certè aliquid caloris corrumperet, in carbone, ergo est destructiuum naturaliter carbonis, & per consequens negatio illius frigoris est negatio agentis destructiui, & conditio, vt conseruetur tantus calor in ea duraatione.

Respondeo negando consequentiam ad hoc enim, vt aliquod sit destructiuum alterius naturaliter debet habere vires existendi in conspectu illius, sed frigus, quod expellitur non habet vires existendi in conspectu caloris, vt suppono, ergo non est destructiuum illius. Quod si miraculosè conseruaretur, ex suppositione miraculi, aliquid caloris destrueret, sed hoc non est, esse naturaliter destructiuum, sed ex suppositione miraculi, quare ad conseruationẽ carbonis requiritur negatio miraculi, hoc est negatio concursus indebiti ipsi frigori pro eo tempore, non autem negatio frigoris naturaliter existentis, quia hæc negatio est consequens ad actionem, & præsentiam carbonis. Quod autẽ requiratur negatio concursus indebiti nihil faciet contra nos, solùm enim ad positionem caloris in aere sequitur negatio concursus debiti in frigore. Deus autem potest contra exigentiam caloris concurrere supernaturaliter cum damno caloris, adeoque talis negatio requiritur.

Eadem est responsio ad similia argumenta, verbi gratia, quod duę manus se calefaciant ad inuicẽ: duo carbones simul magis durent, &c. negandum est enim, quod vna manus producat, vel conseruet calorem alterius; quod patet; quia si vtraq. manus est æquè calida, neutra agit in alteram, simile enim non agit in simile, si vna est minus calida, neque agit in alteram, sed solùm ab altera patietur, quarè conseruatio caloris in vtraque manu, vel in vtroq; carbone prouenit indiuisibiliter à coniunctione vtriusque caloris localiter,

caliter, magis enim resistunt duo calores, simul, quàm vnus, & quia non datur agens potentius illis duobus caloribus simul localiter applicatis. Vndè sequitur, quod virtus animæ facilius producat calorem naturalem in vtraque manu. Quod si Deus post hoc instans, in quo duæ manus sunt coniunctæ nolit cõseruare caloré in altera manu, tunc connaturaliter non debet conseruare eũdem calorem in altera, quia causa conseruatiua nempe tantus calor in vtraque manu in instanti antecedenti exigebat hunc effectum indiuisibiliter in præsentia tanti frigoris ambientis, nempe conseruationem vtriusque caloris; quod si Deus hunc effectum non vult facere, debet videri qui nam effectus pensatis omnibus exigat rerum natura. videtur autẽ quod frigus ambiens exigat, vt si Deus non vult facere illam conseruationem, quam exigebant duo calores instanti antecedente, neque ponat tantam conseruationem caloris in vna manu, quod si hoc frigus non exigat certè conseruabitur tunc idem calor in vna manu.

Obijcies quintò. Dispositiones sunt causæ formæ substantialis, & forma est causa dispositionum, verbi gratia calor, & siccitas in materia ligni producunt formam ignis, & forma ignis conseruat calorem, & siccitatem, ergo datur mutua causalitas.

Respondeo in eo instanti, in quo forma substantialis *producitur* dependere à dispositionibus, ipsas autem dispositiones non pendere, nec in esse, nec in cõseruari à forma substantiali, sed conseruãtur à Deo, quia non datur agens robustius illis, exigens earum negationes; quod si daretur agens illis potentius deberent sanè corrumpi dispositiones, & simul corrumperetur forma substantialis. Sed de hoc in primo de generatione.

Dices ad hoc, vt materia ligni sit proximè, & completè capax formæ ignis debet habere negationem omnium reliquarum formarum substantialium, ergo negatio formæ ligni, quæ per nos sequitur ad formam ignis reddit materiam proximè capacem formę ignis, & per consequens est conditio, adeoque est prior, & posterior.

Respondeo negando antecedens, satis enim est, quod materia habeat dispositiones sufficientes ad formam ignis, & nulla sit causa robustior proxima parata impedire productionem formæ ignis non autem requiritur tanquam medium ipsa priuatio formæ ligni consequens ad productionem ignis: quærè si volumus considerare omnia requisita ad capacitatem materiæ in tali casu, non debemus considerare negationem, neque existentiam formæ ligni, sed præscindere.

Obij-

Digitized by Google

Obijcies sextò. Si faciam hunc actum volitionis, si attollam dexteram, attollam etiam sinistram, & si attollam sinistram attollam etiam dextram, in tali casu eleuatio sinistræ erit causa eleuationis dexteræ, & è contrario, ergo dabitur mutua causalitas.

Respondeo casum hunc dupliciter formari posse, vel dicendo, si attollam dexteram dependenter ab eleuatione sinistræ attollam sinistram, & contrario. Casus hoc modo positus est nugatorius, ac si dicerem si attollã sinistram attollam sinistram; ponitur enim pro conditione, vt ego moueam sinistram, ipsa eleuatio sinistræ ad quam sequatur eleuatio sinistræ quarè elatio sinistræ, intrat in conditiones, vt attollatur sinistra, quod est mera nugatio, nõ enim possum determinari ad ponendum idem, eò quod idem est positum. Quod si formetur argumentum excludendo omnem causam motus præter motum alterius manus erit etiam casus nugatorius, dices enim non attollam dexteram nisi ad elationem sinistræ, nec attollam sinistram nisi ad elationem dexteræ, in quo casu elatio dexteræ si est dependenter ab elatione sinistræ, est dependenter à se ipsa, quia iam elatio sinistræ per te procedit ab elatione dexterã, quarè ponis pro conditione elationis dexteræ ipsam elationem dexteræ, quod reddit propositionem conditionatam nugatoriam. Alter casus esset, si dicam si attollam sinistram independenter ab elatione dexteræ, attollam dexteram, vel si attollam dexteram independenter ab elatione sinistræ, attollam sinistram, atque hìc casus est possibilis, sed non inuoluit mutuam causalitatem vt patet. Quarè his argumentis confirmatur potius nostra conclusio, quïa si daretur mutua causalitas possent fieri tales actus conditionati, nisi moueam dexteram non mouebo sinistram, & è contrario, sed hi actus fieri non possunt, quia conditio non debet inuoluere ipsam positionem rei consequentis ad conditionem, ergo neque potest dari mutua causalitas.

Ex dictis colligitur primò, solutio argumenti de creatione. Diximus enim creationem non pendere a termino creato, habet tamen rationem accidentis physici, quia creatio non est prima radix proprietatum, neque ens per se intentum primò à natura, neque est de ratione accidentis inhærere subiecto, sed sufficit, vt adhæreat, & fiat ad seruitium substantiæ. Colligitur secundò locutionem illam, qua vtuntur aliqui, quod scilicet causa dependeat ab effectu, tanquam à posteriori non esse bonam locutionem; distrahit enim omninò veram significationem dependentiæ, quarè bonus sensus illius posset esse, quod causa est connexa ita cum effectu,

fectu, vt si ipsa ponatur debeat etiam ille poni, & si est effectus connaturaliter est causa, sed de hoc fusè egimus quæstione præcedenti.

ARTICVLVS III.

Quid sit dicendum de causa meritoria:

DAt occasionem ad hanc quæstione P. Suarius, & alij, qui licet negent mutuam causalitatem esse possibilem tamen in causa meritoria illam admittunt saltem de potentia Dei absoluta, affert P. Suarius aliquot argumenta primo tom. in 3. part. disp. 10. sect. 4. & 6. Opposita sententia est communis, vt asserit Card. de Lugo de Incar. dis. 8. sec. 2. num. 13. & acriter ab eo defenditur: sic etiam asserit P. Vasquez disp. 21. c 5. in 3. partem cum S. Thoma ibidem quæst. 2. c. 3. P. Heric. dis. 28. c. 2. & alij, imo est receptum apud omnes Theol. quod principium meriti non potest cadere sub meritum.

Pro quæstionis intelligëtia aduertendũ est, quod causa meritoria, quæ est præcipua inter causas morales, ex duplici capit, habet suã vim primò ex dignitate personæ operãtis; secũdo ex *ipso principio* operationis: dignitas operantis appellatur ab aliquibus principiũ formale causæ meritoriæ, vis autem effectiua operis meritorij dicitur principiũ efficiens, verbi gratia filius Regis debellat hostem, illud opus nempe debellatio, meretur præmium à Rege; dignitas talis personæ est principium formale meriti, ipsa autem virtus per quam debellat hostem, est principium efficiens eiusdem meriti, sic etiam in Christo Domino dignitas Personæ diuinæ est principium dignificans ipsius operationes, humanitas autem est principium efficiens. Porrò principium efficiens potest esse proximũ, & remotum; proximum est, id à quo immediatè dependet operatio meritoria, remotũ est à quo dependet mediatè. Quærimus hic vtrum tam principium dignificans operationem meritoriam, quã principium efficiens siue proximum, siue remotum possint causari à præmio, ipsi operationi meritoriæ debito, verbi gratia vtrum Princeps possit per operationem virtuosam, quam facit mereri tãquam præmium operationis Principis dignitatem, per quam dignificatur, vel saltem possit mereri principium efficiens operis, vt esset manus, vel vsus gladij, quo hostem occidit.

Dicendum est, esse impossibile, vt præmium, quod moraliter cau-

Digitized by Google

causatus ab opere meritorio causet vllo pacto principium operis, vel dignificans, vel efficiens. Conclusio probatur ijsdem ferè argumentis, siuè rationibus, quibus probatur implicare mutua causalitas in causis physicis, nam sequeretur, quod existentia alicuius rei ordinetur ad ipsam existentiam habendam. Sequela probatur, quia si præmij consecutio expetatur tanquam finis, deberent poni omnia media, nempe omnia principia meritoria, siuè proxima, siuè remota hìc, & nunc necessariò requisita ad conseruationem præmij, sed inter alia media esset ipsa præmij consecutio, quia pars est medium requisitum ad habendam ipsam consecutionem, ergo eadem esset medium ad se ipsam. Explicatur exemplo. Si quis efficaciter vellet dignitatem Principis, nō posset consecutionē eiusdem dignitatis adhibere tanquam medium ad ipsam consequendam, sed hoc sequeretur si dignitas esset causa meriti, ergo verè sequeretur absurdum, atque idem valet de principio efficiente.

Dices: causa moralis causat etiam, quando ipsa non existit, ergo non est sicuti causa physica. Antecedens patet, nam merita Christi Domini, hoc est actus meritorij ipsius, etiam priusquam actu essent posita, sed solùm erant futura, causabant moraliter gratiam in SS. Patribus. Omnis enim vera gratia post peccatum data est ex meritis Christi, ergo causa meritoria causat, etiam quando non est, ergo prout est in vno statu potest causare moraliter id, à quo deinde ipsa causabitur. Sed contra est, quia causa meritoria causat per existentiam vel præsentem, vel futuram, quarè si ponitur consecutio præmij de præsenti debet poni tanquam meritum existentia operis meritorij saltem de futuro, ergo hæc existentia de futuro non potest ordinari ad habendam ipsam de futuro, sicuti existentia de præsenti non potest ordinari ad eandem de præsenti, nec valet instantia causæ finalis, quæ prout cognita causat se ipsam realiter, quia causa finalis nunquam causat prout existens, vel de præsenti, vel de futuro, sed solùm vt possibilis: si enim absolutè sciam rem esse futuram non adhibeo media ad eam consequendam. Dixi absolutè, quia si cognoscam rem solùm conditionatè futuram, & non absolutè, tunc potest me mouere tanquam finis: Si Deus dicat, si feceris talē rem, habebis sanitatem. possum eligere media, quia sanitas tunc non causat, vt absolutè futura, sicuti possunt causare merita, quæ debent esse absolutè futura, vt nunc causent præmium.

Dices. Si Deus reuelat Petro cras sanaberis ex vi medicinæ,

quam accipies, Petrus accipit medicinam, tanquam medium sanitatis, & tamen sanitas causat, vt futura absolutè, ergo finis potest causare, vt futurus. Sed contra est, quia in tali casu sanitas est futura ex vi medicinæ, quia præscindendo à medicina sanitas præscindit ab eo, quod sit futura, ergo non mouet Petrum, vt futura, sed sanitas secundum se, vt possibilis, nam sanitas, vt futura dicit sumptionem medicinæ: si ergo moueret Petrum, vt futura ex vi medicinæ, moueret Petrum sanitas cum præcedenti sumptione medicinæ ad ipsam sumptionem medicinæ, quod est nugatorium: quod si Deus reuelaret Petro cras habebis sanitatem independenter à sumptione medicinę, tunc non potest adhiberi, vt mediũ medicina.

Dices tertiò. Dicat Deus, si per vnam horam, & aliquid plus feceris actum charitatis, tibi dabo tale præmium: in tali casu actus charitatis est medium, & tamen est aliquid indeterminatum, quia posset esse maius, & minus, ergo causa meritoria differt à physica, quæ non potest esse quid indeterminatum.

Respondeo transeat totum argumentum, causa enim physica debet influere in effectum, itaut effectus dicat ad ipsam relationẽ dependentiæ, adeòque illa actio exigit totum agens determinatum existens, eoque variato ipsa variaretur; at verò quia causa meritoria non debet influere in effectum, sed solùm se habet, vt conditio physica, mirum non est, quod tam conditio, quàm causa meritoria possit aliquando esse quid indeterminatũ, sicuti si Deus reuelat, existit animal, veritas essentialis illius reuelationis solùm exigit vnum animal indeterminatè, non potius hoc, quàm illud.

Vrgebis. Quidquid est à parte rei, est determinatum, ergo tam causa meritoria, quàm conditio physica debet esse aliquid determinatum.

Respondeo distinguo consequens: debet esse quid determinatũ secundum se, concedo, secundum id, quod est præcisè necessarium ad causandum, nego, quia id, quod est necessarium ad causandum potest non esse determinatum, sed semper inuoluere aliquid aliud non necessarium, hoc autem prouenit in casu nostro; quia Deus non determinauit actum charitatis, sed indeterminatè illum taxauit pro merito. Dixit enim si sit actus charitatis durans plusquàm vnam horam, in qua duratione nulla datur determinatio, posito, quod tempus sit diuisibile in infinitum.

Potest etiam secundò probari nostra conclusio argumento, quod affert Card. de Lugo loc. cit num. 14. quod nimirum si esset possi-

possibilis mutua causalitas inter causam meritoriam, & præmium, de facto Christus Dominus sibi meruisset vnionem, & omnia dona, quæ habuit, meruisset inquam, per merita futura, quia talis modus habendi dona ex merito tanquam præmia, esset multò perfectior, si posset ita haberi, ergo de facto ita habuisset vnionem hypostaticam, quod tamen negat etiam P. Suarius, & Theol. cõmuniter in 3. dist. 4. vt ipse fatetur, & expressè etiã negauit S. Augustinus locis ab eodem Suario, & Vasq. citatis.

Objicies primò ex Suario: Rex dat arma, & equum militi pauperi ex vi meritorum futurorum, arma autem, & equus sunt principium efficiens actus meritorij, nempe occisionis hostis, ergo præmium potest aliquo modo causare meritum, à quo meritorie causarur idem præmium.

Respondeo dat arma, & equum, vt sunt causa actus meritorij nego, vt sunt aliquid supra causam actus meritorij, concedo, causa enim actus meritorij est solus vsus armorum pro eo tempore, pro quo hostem debellat, vt patet. Rex ergo non potest dare militi pro præmio debellationis hostium illum præcisum armorũ vsum, quo de facto hostes debellat, quia sic nihil daret, sed dat dominiũ in ipsa arma, & equum, quod dominium non est causa meriti; imò ex hoc confirmatur nostra sententia, quia esset ridiculus. Rex, qui daret pro præmio militis hostes interficitis præcisum vsum armorum, quo de facto hostem occidit, quia nihil prorsus præmij daret, daret tamen aliquid ex liberalitate sua, nempe illum vsum.

Dices primo. Ponamus, quod ille miles furatus fuerit Regi equũ, & arma, adeoque fuerit vsus illicitus, it aut meruerit mortẽ, potest Rex in præmium dare illi vsum, & condonare mortem, ergo tunc ille vsus erit præmium simul, & principium meriti.

Respondeo, quod in tali casu Rex non dat vsum, nec enim Rex potest facere, quod ille vsus, qui fuit illicitus, non fuerit talis, sed solùm condonat pœnam, quæ provenit ex vsu illicito, seu potius ex furto, quæ condonatio pœnæ est totum præmium, & nullo pacto fuit principium meriti.

Dices secundò. Sufficit vt Rex præmians non concipiat, actum meritorium militis pendere ab hoc vsu gladij, cum potuerit pendere ab vsu hastæ, vel alterius rei, in tali casu præmians potest moraliter dare in præmium occisionis hostium hunc vsum gladij: ponamus enim quod Rex certò sciat à milite occisum iri hostem, & præscindat ab vsu armorum, cur non poterit in hoc casu dare pro præmio vsum gladij, per quem miles occidet hostem? ergo saltem

in hoc casu datur mutua causalitas.

Respondeo, quod cognitio, vel ignoratio in præmiante, quod talis res sit in præmium meriti, vel non sit, nihil facit, vt res illa sit præmium, vel non sit præmium respectu militis, quia res nō ideo realiter est præmium, quia putatur à Rege esse præmium, sed quia re vera præmium est, quid ergo facit præuisio Regis, vel ignorari, quod talis vsus verè sit præmium? solum enim faceret, vt Princeps falsò putaret illum esse præmium, non autem quod re vera esset præmium, quare in tali casu vsus gladij, per quem de facto hostis occiditur, non erit verum præmium militi, quia de facto fuit causa operis meritorij, quamuis potuerit non esse causa, sed loco illius satis fuisset vsus hastæ. Confirmatur, quia, si hoc nō esset etiā prima gratia posset dari in præmium primi operis, quod negatur ab omnibus, & videtur fuisse definitum contra Pelagianos iuxta doctrinam S. Augustini, & Conciliorum, quia primum opus bonum supernaturale, verbi gratia, prima conuersi ad fidē potuit esse tàm à gratia A. quàm à gratia B, sed hoc, per te sufficit, vt causa meriti possit dari in præmium, ergo prima gratia de facto data Petro potuit dari in præmium operis, ab ipsa prouenientis, quod est absurdum.

Obijcies secundò, reuelet Deus Regi, quod Petrus cras liberabit Ciuitatem obsidione, ac propterea det illi præmium nunc pro merito cras futuro. Rex ignorans modum, quo Petrus liberabit, dat illi principatum, vel pecuniam. Petrus ex lætitia talis donationis acquirat vigorem, & animum, quem aliter non habuisset, & hostem debellet, in tali casu liberatio Vrbis est meritum, & causat præmium, nempe dationem principatus, vel pecuniæ, & rursus ipsa donatio in præmium est causa liberationis, ergo datur mutua causalitas.

Respondeo, implicare talem reuelationem, quæ sit causa victoriæ tanquam meritoriæ, quia reuelatio supponeret se ipsam, existētia enim absoluta victoriæ si sit causa meritoria debet præcedere reuelationē; nō enim potest Deus reuelare futurū, quod causet, vt existens in tali tēpore, nisi supponatur cognitio de ipso futuro absoluto, quæ cognitio inuoluit ipsū futurū, ergo si futurū causaretur ab ipsa reuelatione, reuelatio causaret se ipsam, quod est falsum, quare illud solùm est reuelabile, quod non pendet ab ipsa reuelatione. Posset aliter fingi casus, quod Rex putaret sibi reuelatum, quod re vera non est reuelatum, in quo casu donatio principatus vel pecuniæ, verè non est præmium respectu militis, sed solùm datur

tur à Rege, vt præmium, quia nescit, quod illa donatio futura sit causa operis meritorij: sicuti si Rex inuincibiliter putaret, quod anulus Petri esset suus, & illum daret Petro in præmium, reuera nihil daret præmij, quamuis putatiuè respectu Regis diceretur præmium. Esset ergo illa liberalis donatio reddens militem potentē, sed non esset verum præmium. Cœterum posset etiam aliter fingi reuelatio solùm supponens decretum de victoria futura, sed nō determinans adhuc causam ipsius victoriæ. Suppono enim posse fieri tale decretū determinatū de existentia obiecti, sed nō determinās causas ipsius, tunc talis reuelatio non supponeret existentiā obiecti in se, sed solū in decreto, adeoq. posset tunc ipsa reuelatio esse causa illius existētiæ in se, quæ nō præsupponitur ante reuelationem, sed non posset tale obiectum hoc pacto reuelatum esse causā meritoriā, quia vt dicemus articulo sequenti, causa meritoria debet causare, vt actu existens in se ipsa, & non sufficit, vt sit futura solùm in diuino decreto.

Obijcies secundò. Sæpè datur merces pro opere futuro, quę tamen est causa operationis futuræ, ergo merces causatur in genere causæ meritoriæ ab opere, vt futuro, & ipsa causat in genere causę efficientis opus futurum, ant. patet, nam initio diei datur panis operarijs pro opere diurno, & panis est causa operis diurni.

Respondeo, distinguo antecedens. Datus merces, vt habeatur opus futurum concedo, datur merces in præmium, seu vt quid cōsequens moraliter ad opus futurum nego, talis enim panis exhibitio ad sustentationem operarij, vt laboret, dicitur merces ex obligatione laboris ponendi, fit enim contractus inter dominum vineæ, & operarios, & operarius se obligat laborare pro illo die, & dominus se obligat anticipato dare illi panem, vel prctium, talis panis non causatur moraliter ab opere ponendo, sed ab obligatione operarij, vndè si operarius nō præstat deinde laborem promissum, tenetur restituere panem acceptum, quare nullo modo est præmium operis futuri, sed potius est, quasi mutuo illi datus, sed non adhuc simpliciter datus, sicut intelligitur datus facto iam opere, nec operarius habet antecedenter verum ius in illud pretium, vndè patet non esse præmium, præmium enim nō datur mutuò, sed datur simpliciter.

Obijcies quartò. Aliquis habeat pro fine vitam suam existentem, & eligat, vt medium ad vitam, moderatam exercitationem, in tali casu adhibebit vitam suam pro medio, vt consequatur talem

lem exercitationem, verbi gratia ambulationē, quia vita est causa ambulationis, ergo possessio rei potest ordinari ad aliquod, quod sit medium ad ipsam possessionem.

Respondeo in hoc. & similibus casibus nunquam ordinari possessionem, quæ est finis ad medium, per quod illam possessionem cōsequamur, sed ordinatur possessio hodierna, verbi gratia ad possessionem crastinam, sed tunc possessio hodierna non est finis, sed medium: vndè non ordinatur ambulatio, vt consequamur eam possessionem vitæ, vel sanitatis, quæ verè est causa illius ambulationis; impossibile enim omninò est, vt possessio rei iam habitæ ordinetur ad ipsam possessionem, siue simpliciter siue secundum quid: adeoque in similibus casibus, in quibus videtur, quod res intenta ordinetur ad aliquid medium ad ipsam consequendam, semper est aduertenda fallacia, quod scilicet nunquam sumitur eadem possessio intenta, sed sumitur diuersa possessio.

Obijcies quintò, satis est, vt qui meretur pręmiū fiat ditior etiā si habeat pro pręmio aliquod principium meriti, ergo potest dari pro pręmio aliquid principium meriti, maior videtur certa minor probatur, si detur militi vsus gladij, quo hostem occidit, illud determinatè non habebat, quia potuit eum occidere vsu hastæ, ergo fit ditior habens vsum gladij.

Respondeo primò, per instantiam, quod etiam prima gratia posset dari in præmium boni operis, quia potuisset fieri illud opus alia gratia, quod tamen non conceditur.

Respondeo secundò, quod merens debet fieri ditior, quam erat solum merens de facto; in casu posito merens dum merebatur, habebat hunc vsum gladij, & non hastæ, ergo supra talem vsum nihil acquirit, adeoq. nihil acquirit supra id, quod habet quando meretur, præmium autem debet reddere merentem ditiorem supra id, quod habet quando meretur: cęterum potest dari ille vsus gladij tanquam donum ex mera gratia donantis, quod nihil facit, vt detur tanquàm præmium.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Respondetur argumento, ex meritis Christi Domini, & precibus futuris fidelium.

MAior difficultas est in meritis Christi Domini, & precibus impetrantibus aliquid de præterito, quod sit causæ ipsarũ precum. Nam quòad primum. Certum est Christum Dominum meruisse maternitatem B. Virg. per aliquem actum liberum prium, quo ipsam elegerit. Rursus B. Virgo fuit causa, quamuis remota existentiæ Christi Domini, & consequenter illius actus, qui pendebat ab existentia Christi: ergo in hoc videtur concedenda mutua causalitas.

Variæ sunt inuentæ solutiones à Theologis huic argumento, vt videre est apud de Lugo de Incar. quæst. 8. sec. 5. 6. & 7. ingeniosã ipse attulit dicendo, actũ quo meruit Christus Dom. maternitatem B. Virginis fuisse independentem ab illa. Ponit enim tempore passionis conseruatum fuisse Christum Dominum à Deo independenter ab antecedente existentia, quæ pendebat à B. Virg. debuisset enim tunc Christus Dom. iuxta leges naturæ, mori ob intentem, adeoque miraculosè & independenter à priori existentia fuisse conseruatum à Deo, & tunc feciſſe actum liberum, quo elegit in matrem B. Virginem, quo actu meruit eius maternitatem pro tempore antecedente, quæ tamen non præcessit prioritate naturæ hunc actum, sed solùm prioritate temporis, & fuit posterior natura respectu talis actus.

Hæc sententia benè saluat mutuam causalitatem, sed incidit in alias difficultates. Prima nam Christus Dominus existens eo tẽpore independenter à Virgine, non poterat quidquam operari nisi dependenter à sua existentia, quam tunc habebat, adeoque supponebat pro priori se ipsum constitutum cum tali anima, & tali corpore independenter à Virgine, ergo nõ poterat in eo signo B. Virgo esse determinata ad existendum, non solùm, vt mater, sed neque tanquam fœmina; si enim intelligatur tunc B. Virgo decreta, vt existeret, præscindendo, quod esset futura, vel non esset futura mater Christi, non potuisset Christus Dominus esse indifferens in eo signo ad ipsam eligendam, vel non eligendam vt matrem, nam

vidis-

vidisset partem suæ materiæ existentem in substantia ipsius B. Vir. & non existentem in alia muliere ex determinatis à Deo ad existendum, adeoque non potuisset velle aliam pro matre, nisi illam, cuius partes sanguinis videbat existentes in se ipso. Quarè dicendum esset in hac sententia pro eo priori signo non fuisse decretam existentiam B. Virg. etiam præscindendo ab eo, quod futura esset mater Christi, sed quod fuerit decreta eius existentia post illud signum intuitu actus liberi ipsius Christi iam constituti in tali esse substantiali, per quem actum petijt à Deo, vt fieret talis mulier habens partem sui sanguinis, vt esset sua mater.

Hoc autem esse valdè durum, probatur: nam ob eandem rationem non poterant præuideri, vt existentes ipsi parentes B. Virginis nisi post determinationem ipsius B. Virginis, si enim essent prius præuisi futuri, iam Christus Dominus non potuisset eos eligere in suos progenitores, cum vidisset in illis partem suæ substantiæ pro priori, adeoque omnes progenitores Christi, essent futuri post determinatam Incarnat. Christi, inter quos esset Noe, & cõsequenter omnes nos, qui descendimus à Noè haberemus esse determinatos ad existendum post determinationem Incarnationis, adeoque Verbum non esset incarnatum propter nostra peccata præuisa, quæ omnia non videntur admittenda.

Secunda difficultas est, quod nec B. Virgo, nec progenitores Christi essent progenitores Christi, vt Redemptoris, neque vllo pacto causa nostræ Redemptionis, quia independenter ab ipsis fuisset in passione, & cruce per sanguinem Christi facta Redemptio, & tamen de B. Virgine, cum omni rigore dicitur, quod huic mũdo edidit Saluatorem, quod facta sit causa salutis nostræ; quo pacto autem edidisset Saluatorem, si antequam esset decreta independenter ab illa facienda erat saluatio & salus per crucem, ad quam se habuisset B. Virgo merè consequenter, & per accidens.

Tertia difficultas est, quia non posset dici mater Christi Domini, nisi eo tempore, quo fuit Christus ab ea dependens, non autem post illud tempus passionis; nam tunc non habebat vllam connexionem cum existentia Christi Domini, neque vt conditio, neque vt causa remota, sed tunc Christus fuisset, sicuti fuit Adam in prima sui creatione, qui à nulla matre pendebat, sicut ergo non poterat dici Adam filius Titiæ, quamuis pro aliquo tempore pependisset à Titia, si ea dependentia nollo modo esset conditio, vel motiuum creationis ipsius. Sic etiam Christus Dominus pro tota æternitate, quæ subsequebatur ad illud tempus passionis non esset

verè

verè filius Virginis, quamuis enim ad filiationem actualem non requiratur actualis dependentia immediata à matre, tamē aliqua mediatè requiritur, saltem, quod nunc Deus illam existentiam conseruet ex eo, quod præfuerit prius, quo tempore dependebat à matre, & sic quia in resurrectione Deus resuscitat homines habita ratione, quod prius fuerint in mūdo viuentes, etiam beati dicuntur verè filij suorum parentum: at si Deus aliquem annihilaret, & deinde crearet iterum nulla habita ratione ad priorem existentiam, certè iste post talem creationē non diceretur filius vllius personæ, sed solum esset ille homo, qui fuerat filius, quæ omnia de Virgine respectu Christi dici non debent. Secunda solutio est, quā adhibet P. Sforzia Pallauicinus in compendio de Incarn. c. 7. n. 116 dicens. quod Deus habet præuisionem, seu visionem disiunctiuā, per quam videt res ipsas. præscindendo, an existant per hanc, vel per illam causam. Atque à præuisione talis existentiæ potest determinari ad dandam illi talem determinatam causam; hoc pacto præuidens merita Christi Domini præscindendo quod existant ab hac, vel illa causa, mouetur ab illis, vt det potius hanc causam, quàm illam.

Hæc solutio, quæ applicari posset alijs etiam casibus, de quibus infra: displicet primò, quia licet Deus possit decernere aliquam existentiam non determinando causas peculiares illius, tamen nō potest rem illā præuidere in se ipsa, sed solùm in suo decreto, quod non sufficit ad rationem meriti; non enim homo meretur, quia Deus decernit talia ipsius merita, sed quia existunt talia merita, quare nisi videat in se ipsis existentia, non habent adhuc rationē mouendi Deum, per suam existentiam, sicuti suppono, quod debeant esse merita. Quod autem non videantur in sua existentia, patet; nam non potest videri res creata existens, nisi dependenter ab omnipotentia Diuina iam determinata: at diuina potentia, sicuti & quælibet potentia non potest, nec esse, nec intelligi determinata ad operandum, si solum habeat decretum indifferens, & disiunctiuum, e. g. si dicam volo exire domo, vel cum pallio A, vel cum pallio B, mea potentia nunquam determinabitur ad exitionem, nisi accedat alia volitio determinata, qua determino pallium A, sic diuina potentia non potest esse, nec intelligi vltimo determinata ad existentiam Christi, nisi determinetur ad talem causam illius in particulari, ergo pro eo signo, pro quo non est determinata causa particularis illius Omnipotentia est adhuc indifferens; & consequenter non potest intelligi res existens, sed solum intel-

ligitur necessitas, vt existat hoc, vel illo modo, quæ necessitas fundatur in ipso decreto determinatè volente existentiam, & indeterminatè hanc, vel illam causam ipsius existentiæ.

Secundò. Magis adhuc displicet hæc solutio, nã ipsemet Christus debet habere actum pro priori signo, quo eligat sibi talem matrem, quia Deus dat talem matrem ex merito illius applicantis, per actum liberum sua merita huic potius fœminæ quàm alij, vt sit sua mater, sed hic actus liber Christi Domini pro priori non potest dari, nam in eo instãti reali debet se cognoscere Christus Dominus existentem in se ipso, & non solùm in decreto Dei, realis enim existentia ipsius est causa talis actus, & non existentia solùm in necessitate ex vi diuini decreti, sed illa existentia in eo instanti cognoscitur de facto dependens à B. Virgine iuxta hanc sententiam, quia de facto ab illa dependet, ergo non est amplius liber pro eo signo Christus Dominus ad petendam hanc potius, quàm aliam matrem, cum eam videat sibi existentem pro priori ad suũ actũ; quippè quam videt esse causam suæ existentiæ de facto operantis; nullus autem actus est liber ad eligendum id, à quo videt se dependere pro posteriori, non potest autem non videre se dependere ab ipsa existentia Christi de facto pendentis ab hac matre, quamuis potuisset pẽdere ab alia matre ex vi primi decreti ipsam existentiam determinantis, sed non determinantis matrẽ particularem, sed totum hoc non tollit, quod in esse realis existentiæ non pendeat ab hac matre.

Tertia solutio est, quam aliqui adhibuerunt, vt idem Pallauic. testatur loco citato num. 115. nempe Verbum Diuinum pro aliquo priori signo assumpsisse animam, quam corpus, atque pro eo signo elegisse sibi hanc potius matrem, & hos progenitores ex meritis ipsius animæ vnitæ hypostaticè Verbo, per quod saluatur omnis mutua causalitas. Hæc solutio mihi maximè probatur ad soluendas omnes difficultates adductas, quæ sequerentur ex alijs solutionibus, sed simpliciter displicet, quia noua est, quamuis enim exigat modum merendi in Christo dignissimum, non tamẽ asseritur hic modus meriti à Theologis, & incidit in difficultatem infra ponendam. Dat ergo hic dicẽdi modus Christo talem modum merendi, quo ipsius anima perfectissimè operans in primò instanti suæ conceptionis meruerit sibi vniri tale corpus pendens à tali vnione ex progenitoribus non autem, quod datum fuit tale corpus independenter à meritò ipsius animæ, atque vt haberet Christus hanc prærogatiuam, dicunt debuisse creari eius animam

non

Digitized by Google

non ad exigentiam corporis organizati, sed modo miraculoso, & excellentiori, nempe independenter à corporis organizatione, quæ subsequuta est pro posteriori naturę ad ipsius existentiam, quamuis tempore præcesserit; ponere enim aliquod miraculosum in creatione animæ Christi, si augeat eius præstantiam non videtur incongruum, cum præsertim non possit aliter benè saluari, vt vidimus quomodo meruerit maternitatem B. Virginis. Verum vrgetur hæc solutio.

Primò, quia hoc modo aliquod meritũ Christi fuisset ante Incarnationẽ, quod videtur repugnare sensui cõmuni Doctorum; sed possunt respondere in primis non fuisse tempore ante Incarnationem. Secundò nomine Incarnationis completæ venit vnio hypostatica cum anima, & corpore, & vnio cum sola anima est inchoata Incarnatio, quamuis enim anima non sit caro, tamen dicit ordinem ad ipsam carnem, & exigentiam, vt cum illa vniatur, quarè pro eo priori dabatur quidem Incarnatio inchoatiuè, non videtur autem absurdum, quod possit dari aliquod meritum Christi in ipsa inchoatiua Incarnatione ob rationem supradictam; an hæc responsio satisfaciat, non est meum decernere.

Vrgetur secundò, B. Virgo non fuisset redempta per sanguinẽ Christi, neque per completam Incarnationem, quod videtur falsũ. Respondebũt negando sequelam, nam pro eo primo signo solùm electa est in matrem, sed non est ex vi illius electionis data gratia, quam potuit habere ex meritis Christi consequentibus ad illud primum signum, quamuis enim hoc ipso, quod eligeretur, vt mater, dabatur in ea moralis exigentia gratiæ, tamen illa gratia non fuit data, nisi per merita ex sanguine, & passione Domini, & ita fuit redempta à Christo, formaliter per merita ipsius completa, radicaliter solùm per merita solius animæ; neque obstat, quod B. Virgo de congruo meruerit maternitatem, ad quam prius erat determinatè electa, non est enim absurdum, quod mereamur de congruo ex nostro id, ad quod ex diuina liberalitate sumus electi. Cæterum hæc materia spectat ad tractationem de Incarnatione; satis sit nobis indicasse varios modos dicendi, & difficultates ipsorum apposuisse, non spectat ad institutum nostrum aliquid de re purè Theologica determinare.

Altera difficultas desumitur ex precibus Deum mouentibus ad aliquas res ponendas, quæ fuerunt causa ipsarum precum: nam fideles post mortem alicuius fundunt preces pro saluatione animæ illius, & non solùm pro liberatione à Purgatorio, vt multis existi-

mant colligi ex illis verbis Ecclesiæ, ne pœnas inferni sustineant, sed gaudia æterna possideant, ne absorbeat eas tartarus, ne cadãt in obscurum, ergo ipsa gratia finalis, quæ est maximum Dei beneficium petitur per has preces, sed ipsa gratia finalis est causa mortis, Deus enim ex sua benignitate vult mortem, quia homo est in gratia, ergo preces sunt causatæ à morte, & causant, vt causa meritoria, & impetratoria de congruo ipsam mortem.

Præterea ponamus, quod Petrus accipiat literas ab vxore sua absente, in quibus erit nuncius, vel de salute, vel de morte filij, certè Petrus visis literis potuit rogare Deum, vt habeat bonum nuncium, ergo illæ preces, ne sint inutiles, possunt esse causã salutis filij, quæ salus est causa illarum literarum, & consequenter earum precum; atque possunt excogitari alij casus his similes.

Pro solutione aduertendum est primò, quod quoties Deus mouetur à nostris precibus ad præstandum aliquid de præterito, vtitur aliqua dispensatione, vt bene notat Pallauic. in compendio de Incarnatione c. 7. num. 122. quia causæ meritoriæ in nobis sunt sicuti causæ physicæ, quæ causant effectus de præsenti, vel determinant ad futuros effectus, non autem ad præteritos. Aduertendum est secundò. Deum dupliciter posse aliquid miraculosè facere, primò, vt ipse effectus sit miraculosus, hoc est ita fiat, vt verè non habeat causam vllam naturalem, verbi gratia si Deus noctu lumen produceret se solo, esset effectus miraculosus in ratione effectus. Secundò itaut ipse effectus habeat quidem causam naturalem, vt existat, sed Deus non moueatur à causa naturali ad ponendum illum, sed se solo immediatè producat, quamuis velit præsentiam causæ naturalis, sicuti si existente sole Deus idem ipsum lumen, quod ab ipso sole fieri deberet naturaliter, faceret se solo, nullo pacto sole concurrente, quamuis Deus velit tunc existentiam ipsius solis exigentem tale lumen, certè talis effectus esset miraculosus quo ad actionem, non tamen quo ad existentiã, quia de facto haberet causam naturalem, à qua deberet pendere.

His positis dico, in his, & similibus casibus, in quibus Deus vult vti nostris precibus ad res ponendas antecedenter tempore ad ipsas preces, Deum prius decernere existentiam illius apparentiæ, quæ nos impellit ad preces fundendas, dependentis quidem à se solo, sed cum præsentia alterius causæ naturalis, siue sit hæc, siue sit illa, v.g. Deus decernit talem apparentiam literarum à se solo dependentem, cum qua tamen apparentia vult etiam, quod existat aliqua ex causis naturalibus ipsius, licèt eam causaturæ nõ sint

Digitized by Google

sint, nempe, vel scriptio de morte filij, vel de salute, quæ causæ cum causare non debeant, non est necesse, vt præuideantur à Deo, ad hoc, vt videat eã apparentiam existentẽ, ab hac autem apparẽtia à solo Deo dependente determinatur Petrus ad preces fundendas, à quibus vt taliter existẽtibus mouetur Deus ad salutẽ filij, & consequenter ex ea sequitur talis scriptio, & missio literarum, quæ per se naturaliter loquendo esset causa illius apparentiæ, nisi Deus decreuisset se solo illam ponere, & non concurrere cum causis naturalibus illius, quamuis omninò adessent.

Dices primò. Iam recurrimus ad miracula supra vires naturæ, & tamen videtur insitum in ipsa hominum natura, vt putent sibi prodesse tales preces, neque putant tunc opus esse tanto miraculo, vt exaudiantur à Deo.

Respondeo recursum ad miracula, vbi semper requiritur dispẽsatio in ipsa natura nõ esse absurdum, quia dispensatio ipsa inuoluit opus supra vires naturæ, quod autem preces nostræ impetrent res de præterito certè non possunt habere naturaliter, vt supra diximus: cæterum necessitas miraculi patet, quia aliter saluari non posset, quod preces tales essent vtiles, quare non ponimus hoc miraculum sinè necessitate, cum præsertim tale miraculum non perturbet ordinem rerum, nec animaduerti possit in ipsa natura, quæ habet suos effectus ad existentiam suarum causarum, & solum est miraculum, quod illi effectus ab illis causis non pendeant, quare solùm dispensatio est, quo ad dependentiam non quo ad existentiam ipsorum effectuum Ad illud, quod dicebatur, quod nemo cũ Deum precatur, postulat miraculum, dico hoc esse falsum vniuersaliter, nam si aliqua requiritur dispensatio, vt exaudiantur preces ad rem de præterito ponendam, hoc ipso, quod preces ad id adhibentur, requiritur aliquod miraculum, hoc est operatio supra leges naturæ; quando ergo petimus aliquid à Deo; præscindimus quidem quid nam requiratur ad exauditionem nostrarum precũ, an quid naturale, an supra vires naturæ, imo semper possemus aliquid saltem vltra id, quod eueniret iuxta ordinem causarum secũdarum, si nos non precaremur; quia illud non indigeret vllo pacto nostris precibus; precamur ergo, vt veniat, quod intendimus, siue ad id requiratur aliqua dispensatio, quæ sit intra ordinem rerum naturalium, siue supra; ipsa enim natura docet nos rogare supremum Dominum, vt ex sua benignitate nos exaudiat, adhibendo ea, quæ ipse scit esse necessaria ad exauditionem, siue ea superent

leges

leges naturæ, siue non superent. Addo, quod in re præsenti non requiritur perturbatio effectuum, atque causarum, sed manentibus causis, & effectibus iuxta suas naturas, solum fit dispensatio in eo, quod actio pendeat à solo Deo, & non a causis, quamuis præsentibus, sicuti si Deus præsente sole lumen produceret per actionem à se solo pendentem.

Dices secundò. Petrus in eo casu scit de facto illas literas esse scriptas, vel cum nuncio mortis, vel salutis, ergo frustra adhibet preces ad id, quod scit iam esse factum.

Respondeo distinguendo antecedens, scit esse ita scriptas sine vlla dependentia à suis precibus, nego, dubitando aliquo modo, quod fuerint scriptæ cum dependentia à suis precibus, concedo, & similiter distinguo consequens, frustra adhibet preces ad id, quod scit iam esse factum sine dependentia suarum precum, concedo frustra adhibet preces ad id, quod dubitat aliquo modo esse factũ dependentes à suis precibus, nego.

Instabis, ergo post etiam lectas literas nunciantes salutem filij sui, posset rogare Deum pro illo bono nuncio, quia potest dubitare illam sanitatem, & consequenter nuncium illum esse dependentem à suis precibus.

Respondeo negando consequentiam disparitas est, quia nemo potest adhibere media post ipsam consequutionem finis, vt ipsũ consequatur; medium enim dicit desiderium consequutionis finis, quod desiderium stare potest cum ignoratione ipsius consecutionis, non autem cum euidente cognitione ipsius consecutionis absolutæ: quare Petrus non debet habere pro priori ad preces certitudinem de bono nuncio in literis scripto, sed debet esse anceps, an ibi sit bonus, vel malus nuncius, & saragit, vt sit bonus ponendo omnia media, quibus possibile est, vt ille nuncius sit bonus, inter quæ media sunt ipsæ preces. Semper ergo ipsa consecutio finis se debet habere pro posteriori ad positionem mediorum, & nunquam pro priori. Sic Christus Dominus quamuis sciret euidenter rem ita futuram, vel præteritam poterat orare, & mereri pro illa, quia non videbat existentiam pro priori ante suas preces, sed solum se habentem pro posteriori ad ipsas, quare pro priori poterat benè satagere, & ponere media, vt ipsam rem consequeretur dependenter ab ipsis precibus; si ergo præcederet ipsas preces Petri tanquam motiuum, sanitas filij cognita iam se haberet pro priori, & sic implicaret, ideo id quod excitat Petrum ad preces debet, semper esse aliquid indifferens ad effectum precum,

vel

vel ad oppositum, vt possit se habere pro priori ad preces modo explicato. Cęterum si quis planiorem viam ad has difficultates aperiret libenter ea incederem, sed nihil in præsẽtia occurrit magis congruũ, & expeditius.

Obijcies denique Aristotelem hìc rextu 30. dicentem, quod causa quæ aliquando per prȩsentiam causat vnum effectum, per absentiam causat contrarium, ita Gubernatoris præsentia est causa salutis nauis; & eiusdem absentia est causa submersionis; sed etiã submersio potest esse causa absentiæ Gubernatoris, ergo se causãt ad inuicem.

Respondeo veram esse doctrinam Aristotelis si pro eodem accipiatur, & non pro diuerso tempore, quod scilicet absentia est causa submersionis pro eo tempore, pro quo eiusdem præsentia esset causa salutis: non autem pro alio tempore, pro quo præsentia non esset causa salutis. Quare si est talis impetus maris, vt præsentia gubernatoris non possit saluare nauim, tunc absentia gubernatoris non esset causa submersionis, quando quidem etiam si adesset, submergeretur; ad hoc autẽ, vt submersio sit causa absentiæ Gubernatoris, debet præsentia gubernatoris pro eo tempore non posse adiuuare nauim, si enim posset adiuuare non sequeretur submersio nauis cum præsentia gubernatoris illam prohiberet, vndè bene soluitur hoc argumentum.

IN TERTIVM ET QVINTVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

QVAESTIO X.

De essentia motus.

Simul agimus de tertio, & quinto Libro, quia in illis disputatur de motu; quartum autem inseruit Aristoteles, quia cum motus fiat in loco, opus fuit agere de loco, & consequenter de vacuo, quæ tractantur in quarto. At nos ne materias seiungamus prius de motu, & ad motum spectantibus agemus, deinde de loco, & vacuo.

ARTICVLVS I.

Explicatur definitio motus.

NOn solùm intelligimus nomine motus mutationem localem sed quamlibet etiam aliam. Definitur ab Aristotele hic tex 16. Motus est actus entis in potentia prout est tale. Hanc variè explicant auctores, facilè sic explicatur, cum Suario, Hurtado, Ruuio, & alijs.

Dicitur primò. Actus, in quo conuenit genericè cum cæteris formis, motus enim est forma physica accidentalis, quę actuat subiectum, in quo est. Differt autem motus à reliquis formis, quia est actus imperfectus; nam mobile sub motu formaliter tendit vlterius, nempe ad aliquid aliud, & sic imperfectè actuatur à motu. Dici-

Dicitur actus entis in potētia, vt explicetur nomine entis subiectū actu existens; idem enim est, ac si dicat existentis; quod ex Aristot. patet. Particulæ cæteræ ab aliquibus explicantur, quòd id, quod mouetur, debeat esse positiuè cum priuatione termini ad quem mouetur. Magis tamen placet, si accipiatur pro positiua potentia, quam habet mobile ad terminum, & non pro priuatione termini. Quare sensus est, motus est actus rei habentis potentiam proximam ad terminum, non tamen specificatiuè, sed reduplicatiuè prout habet talem potentiam, vt enim exemplificat Aristoteles motus, quo æs fit statua, est actus æris, prout habet potentiam ad statuam, & non actuat æs prout est actu æs, cum motus non sit forma constitutiua æris, sed actuat æs prout proxime potens euadere statua, ita vt per illum motū formaliter tendat ad id, ad quod mobile habet potentiam in actu primo.

Hoc vt melius intelligatur. Aduertendum est duas formas posse considerari in aliqua mutatione v g. in calefactione ligni; altera est forma caloris cum sua vnione, quæ forma reddit per se lignum formaliter calidum, hæc forma perfectè actuat subiectum, quia per calorem subiectum non tendit formaliter ad aliam formam, dixi formaliter, quia calor non est actio productiua ignis, licet sit dispositio ad illum, vndè posito calore in subiecto posset saltem miraculosè non poni ignis, quare calor non est formalis tendentia ligni, prout potentis esse ignis. Secunda forma, quæ est in calefactione, est ipsa productio caloris, quæ est actio, & motus. Per hāc potentia ligni, quam habet, vt sit calidum, tendit formaliter ad calorem, non quod ipsa productio caloris, quæ dicitur calefacti o denominet formaliter lignum calidum, sed quia ipsa reddit potētiam subiecti formaliter tendentē ad calorem. Dixi formaliter, quia neque de potentia Dei absoluta potest existere calefactio, quin existat, & intelligatur existere pro posteriori naturæ calor, atque hoc significatur per illas voces actus entis in potentia, prout in potentia, idem etiam dico de motu locali, per motum enim tendit potentia mobilis formaliter ad acquirēdum spatium, quod se habet veluti forma, quæ acquiritur.

Dices, Subiectum etiam, quādo non mouetur, est in actu primo v.g. ad habendū calorem, ergo effectus formalis motus nō est reddere subiectum potēs in actu primo, cum hoc ex se habeat subiectum, quis ergo erit effectus formalis motus?

Respondeo effectū formalem motus non esse reddere subiectū potens ad habendū calorē, sed est exercere, formaliter ipsum subiectum

ctũ in ordine ad euadendũ calidum, est enim motus formale exercitiũ potentiæ, per quod formaliter tendit ad terminũ possidendum: quare dum subiectum calefit quamuis per calefactionem non fiat formaliter calidum, sed solum causaliter, tamen fit formaliter tendens ad calorem, quam formalem tendentiam non habet potentia in actu primo, vndè appositè dicit Aristoteles hìc, quod motus est medio modo se habens inter actum, & potentiam, quia videlicet, nec formaliter est actus, ad quem tendit subiectum, nec est ipsa potentia subiecti, sed est actuans, & exercens ipsam potẽtiam in ordine ad terminum: tamen non negatur requiri priuationem termini ad quem in subiecto, ad hoc, vt sit motus, sed hæc priuatio requiritur antecedenter ad illum, & non pro ea duratione, pro qua est motus: quare sensus definitionis est hic, motus est actus imperfectus reducens formaliter potentiam subiecti priuatam prius forma ad ipsam formam, & ita particula, in potentia, significat potentiam passiuam subiecti, & priuationem formæ tempore antecedenti, vnde prima productio formæ, initio mundi non fuit motus hìc definitus, quia non præcessit negatio formæ in materia.

Hanc explicationem impugnat P. Ouied. hìc controuersia 13. punct. 1. nu. 4 quia materia per motũ est formaliter recipiens terminum, ergo non potest intelligi esse in potentia ad *ipsum* terminum, cum per receptionem actuetur, adeoque euadat actu; ipse autem num. seq: affert aliam explicationem, quam putat esse clariorem, sed ego ita sum cæcus, vt non assequar eius mentem, nisi dicat idem, quod ego dixi, vel aliquod apertè falsum. Dicit enim, quod motus sit actus mobilis non materialiter sumpti, quatenus est lignum, vel aurum, sed formaliter sumpti quatenus est mobile. Calefactio est actus ligni calefactibilis, non quatenus est lignũ, sed formaliter quatenus est calefactibile, seu quatenus est potens calefieri, dicit deinde verba illa quatenus in potentia nõ esse apud Aristotelem; sed vt ab vltimo incipiamus, licet verè in græco textu non sint explicitè illa verba, sed dicendo quatenus tale, certè verba antecedentia reduplicat, antecedentia autem verba sunt, est actus entis in potentia, vbi vox, in potentia, non est casus rectus, sed datiuus æquiualens nostro ablatiuo, cui ad tollendam æquiuocationem ponitur particula, in, sed rectius diceretur, potentia, in ablatiuo, sed non euitaretur æquiuocatio, in quam videtur hic auctor incidisse, accipiens vocem, potentia, pro casu recto, dicit enim infra ex Aristotele, æs est potentia statuæ, quod falsum est,

sed

Digitized by Google

sed Aristoteles verè dicit æs est potentia in ablatiuo, statua. Secundò explicatio auctoris, vel nulla est, vel incidit in nostram, vel dicit apertè falsum; nam hic quærimus, quid sit motus, & Auctor dicit esse actum mobilis quatenus mobile. Sed hoc ipsum quæro, quid sit mobile, quo pacto enim ignorans motum sciam mobile, vt mobile? quis explicauit vnquam formam solùm dando concretum ex ea forma, vt si petatur quid sit albedo, & dicatur, est forma albi vt album? Nec dicas hoc ipsum dici ab Aristotele, nam Aristoteles prius dedit definitionem non ponendo vocem mobile, deinde data definitione motus potuit bene dicere, quod motus nõ sit actus æris per se, sed quatenus mobile.

Quod si contendat auctor explicare quid veniat nomine mobilis, & motus: quæro ab ipso, vt det mihi entitatem motus contradistinctam à termino motus, & ab ipsa re, quæ mouetur. Si dicat, quod motus sit actus constituens potentiam v.g. æris, quam habet, vt sit statua, peto, vel loquitur de actu constituente hanc potentiam in actu primo, & si hoc dicat est apertè falsum; potentia enim in actu primo non constituitur per motum, sed per ipsum æs, vel per aliquam aliam potentiam, vt vidimus agentes de materia, & agente; vel loquitur de actu, quem respicit talis potentia, vt suum terminum, & hic est ipsa forma statuæ sibi vnita, quæ falsum est, quod sit motus; vel loquitur de ipsa actione, & causalitate, per quã fit forma, & vnio, & hæc verè est motus, et est solum actus æris, prout in potentia ad statuam formaliter illam exercens, et reddens illam tendentem ad formam statuæ, quod si ita dicat, incidit in nostram explicationem, quam impugnat: quod autem motus natura non sit ita facilis cognitu, asseruit non semel Aristoteles, cuius verba ex textu 15. lib. 3. hìc ponam, quia valde illustrant nostrã conclusionem; at motus quidem actus quidam videtur esse, sed imperfectus, causa est, quia imperfectum est ipsum possibile, cuius actus est motus, atque idcirco difficile est percipere, quid ipse sit, necesse enim est, vel ipsum reducere ad priuationem, vel ad potẽtiam, vel ad simplicem actum, horum autem nullum videtur esse posse, relinquitur ergo prædictus modus actum quidem quemdã esse, sed talem actum, qualem diximus esse difficilem, vt cognoscatur, sed contingere vt sit. In quibus verbis, et reis difficultas apparet, et quod motus non sit actus potentiæ in actu primo, non sit priuatio, nõ sit forma ipsa, quæ simpliciter fit, sed aliquid aliud, vt explicauimus.

Ad impugnationem Auctoris Respondeo ex superius dictis motum

tum formaliter non reddere subiectum actuatum forma intenta, v. g. calefactio, quæ est motus ad calorem, non reddit formaliter subiectum calidum, sed tendens ad calorem, calor autem et vnio reddunt formaliter subiectum calidum, neque actio est propria, et formalis receptio formæ, nam anima recipitur in corpore, et nō sustentatur, nisi nomine receptionis velis intelligere sustentationem, vt aliqui loquuntur, et suo loco obseruaui; sublata ergo quæstione de voce, dico quod subiectum per sustentationem, non possidet formaliter formam, sed illam causat, et tendit ad eam possidendam, possidet autem formaliter per vnionem, vnde dixi in secundo libro, quod etiam si nec forma, nec vnio penderent vllo pacto à subiecto, adhuc tamen facerent vnum perfectissimè, et calor ita vnitus materiæ sine eius concursu constitueret verè, et essentialiter calidum, quare per sustentationem, ac passionem subiectum exerceret suam potentiam formaliter tendēdo ad vnionem cum forma, et ad ipsam formam, cum qua facit vnum, et ita actus secundus mobilis, vt mobilis v. g. calefactibilis, vt tale est non est calor, sed calefactio, per quam actu exercetur potentia ad calidum, et fit ad ipsum formaliter tendens per calefactionem.

Pro secūda parte quæstionis an detur motus, res est adeò euidēs, et patens sensibus, vt Aristoteles dixerit infirmitatem esse intellectus sensum deserere, quo motum percipimus propter apparentes rationes, affert tamen Zeno aliquot argumenta, quæ soluuntur ab Aristotele 6. Physic. à tex. 15. quæ potius fundantur in diuisibilitate quantitatis, et temporis, quàm in ipso motu.

Primum argumentum est id, quod mouetur localiter, prius debet peruenire ad dimidium spatij, quàm ad finem: rursus prius debet pertransire medietatem dimidij, quàm totum dimidium, et idem dico de medietate medietatis, et sic in infinitum, ergo debet pertransire infinitas medietates, cum spatium sit diuisibile in infinitum, vt supponit argumentum, ergo requiritur tempus infinitum.

Respondeo cum Aristotele dupliciter posse accipi spatium infinitum, primo secundum diuisibilitatem, hoc est, quod possit semper diuidi in partes minores, et minores in infinitum, et in hoc sensu tam tempus, quàm motus sunt infinita in diuisibilitate, vt docet Aristoteles in 3. Physicorum. Secundo potest accipi infinitum, quod scilicet non habeat vltimam partem assignabilem, et in hoc sensu, neque spatium, neque tempus, neque motus sunt infinitum, nihil autem est absurdi, quod medietates, et medietates

medie-

medietatum ſpatij percurrantur per medietates, & medietates tẽporis, & motus.

Secundum argumentum, quod Achilles fuit appellatum, eſt huiuſmodi. Si daretur motus localis ſequeretur, quod mobile velocius nunquam peruenireț ad mobile minus velox, conſequens eſt falſum, ergo, & antecedens. Sequela probatur, quia diſtet mobile velocius aliquo ſpatio à mobili minus veloci, & vtrumque moueatur per eandem lineam rectam, certum eſt, quod cum mobile velox peruenit ad locum, vbi prius erat mobile tardum, ibi illud non aſſequitur, quia mobile tardum proceſſit aliquo ſpatio vlterius, rurſus cum mobile velox peruenit ad illud punctum in quo tunc erat mobile tardum, neque ibi aſſequitur, quia promotum fuit aliquo ſpatio vlterius, & ſic nunquam aſſequitur.

Reſpondeo cum eodem Ariſtotele hoc argumentum peccare, ſicuti, & primum, quia ſicuti in primo diuidebatur ſpatium per medietates, ſic etiam hìc diuiditur ſpatium quod eſt ante illud punctum in quo vnum mobile aſſequitur alterum, diuiditur inquam per partes minores, & minores: in forma ergo reſpondetur negãdo conſequentiam, quando autem dicitur, quod mobile velox debet prius pertranſire ſpatium aliquod ad hoc, vt perueniat ad mobile tardum, & ſic in infinitum, diſtinguendum eſt per infinitas aſſignationes ſpatij minoris, & minoris concedo, per infinitas aſſignationes ſpatij æqualis nego, infinitæ autem partes ſpatij ſi ſint minores in infinitum, poſſunt pertranſiri a mobili veloci tempore, & motu finito, quia tàm tempus, quàm motus finitus continent partes infinitas minores, & minores in infinitum.

Reſtat adhuc quærendum, an hæc definitio motus cõueniat motui ſucceſſiuo, an etiam inſtantaneo, poſito quod detur, in duplici ſenſu poteſt fieri hæc quæſtio primo in ſententia Ariſtotelis. Secundo in rei veritate. Negant conuenire vtrique motui Conimbr. hìc cap. 1. quæſt. 1. art. 2. Zabar Fonſeca, Pererius, & alij; oppoſitum affirmant Tolet. hìc quæſt. 1. Suar. Ruuius Arriag. & alij.

Dico hãc definitionem competere tam motui ſucceſſiuo, quàm inſtantaneo, ſi detur, tam in rei veritate, quàm iuxta Ariſtotelem explico priùs terminos. Dicitur mutatio inſtantanea, cum forma, ſiue diuiſibilis, ſiue indiuiſibilis tota ſimul producitur, quod conuenit regulariter in productione formæ ſubſtantialis, & in ijs accidentibus, quæ contrarium non habent, vt eſt lumen, & ſpecies. Mutatio ſucceſſiua eſt, quando forma ita fit, vt exiſtat prius vna pars, quàm alia; probatur nunc Concluſio in ſententia Ariſtotelis,

nam

nam hic textu 4. dicit, quod motus est, vel secundum substantiam, vel secundum quantitatem, vel secundum qualitatem, vel secundum locum, sed motus secundum substantiam est instantaneus, ergo motus hic definitus complectitur instantaneum; nec dicas motum secundum substantiam esse successiuum ratione alterationis, quæ præcedit formam substantialem, nam Aristoteles loquitur de motu secundum substantiam tanquam contradistincto à motu alterationis, vt patet ex textu 7.

Probatur etiam conclusio in rei veritate, quia si actus entis in potentia prout tale sumatur solum pro motu successiuo, & non pro instantaneo, ideo est, quia motus debet habere simul carentiam formæ, quam ponit, sed hoc est falsum ergo, & antecedens, Maior est aduersariorum. Minor probatur, nam vel dicis, quod debeat habere carentiam formæ, quam dat ille motus, vel formæ quã non dat, si primum verificantur duo contradictoria, quod nempè motus dat formam, & simul habeat carentiam eiusdem formæ quam dat. Si secundum etiam dispositiones erunt motus, quia habent carentiam formæ perfectioris, præterea calor, vt duo habet carentiam caloris, vt tria, & tamen subiectum præcisè sub calore, vt duo quiescit, ergo non potest intelligi de carentia illius formæ, quam motus non dat.

Dices calefactio vt vnum, dicit distributiuè sumptæ negationẽ caloris, vt vnum, quia in qualibet parte illius calefactionis non est calor, vt vnum, ergo hoc pacto motus habet carentiam formæ quam dat. Sed contra est, quia si sumis distributiuè illam calefactionem, habet quidem carentiam caloris, vt vnum collectiuè, sed calor vt vnum collectiuè non est terminus illius calefactionis distributiuè sumptæ, est enim falsum, quod per hanc partem calefactionis acquiratur calor, vt vnum collectiuè sumptus, sed acquiritur calor vt vnum distributiuè, hoc est per vnam partem calefactionis acquiritur vna pars caloris, & per aliam alia pars, & sic de singulis partibus assignabilibus. Idẽ dico de motu locali respectu spatij, ergo nunquam est motus cum carentia formæ, quam acquirit.

Obijcies primo Aristotelem, qui sæpe dicit motum esse de genere continuorum, fieri semper in tempore, & 9. Meph. tex. 11. dicit intellectionem non esse motum, quia simul habet fieri, & factum esse, hoc est fit in instanti, ergo Aristoteles apertè tollit à ratione motus mutationes instantaneas.

Respondeo ad hæc, & similia loca Aristotelis, quod postquam ipse

ipse definiuit motum in genere, considerat species ipsius, & ita in 5. lib assignat mutationes, prima est ex non subiecto in non subiectum, quæ cum subiectum non habeat, non est motus, secunda ex subiecto in subiectum, tertia ex non subiecto in subiectum, vt ex non igne in ignem, quarta ex subiecto in non subiectum, vt ex igne in non ignem: duas vltimas nempè generationem, & corruptionem, quæ sunt interr contradictoria dicit nõ esse motum, quia id, quod generatur non est, v.g. cum ex non igne fit ignis, subiectum, quod transit, non est aliquod completum, & consequenter simpliciter non dicitur ens. Contra verò in mutatione accidentali potest demonstrari id, quod mouetur, quia est substantia completa, ecce Aristoteles excludit à ratione motus generationem substantialem, quam tamen prius connumerauerat in lib. 3. inter species motus, vt diximus. Non tamen sibi contradicit Aristoteles, sed in quinto magis distinguit species motus, et magis rigorosè accipit motum, quàm acceperat in tertio. Ad locum 9. Metaph

Respondeo Aristotelem appellare mutationem, illam actionem qua totus terminus simul acquiritur, etiam si sit successiua, vt visio, et intellectio eiusdem obiecti, quia idem est videt, et vidit, intelligit, et intellexit non quod intellectio, vel visio præterita nunc sit actu, sed quia idem præstatur per intellectionem nunc, quod per intellectionem præteritam; alias actiones quæ per vnam partem antecedenter non præstant idem, quod per consequentes, vt est doctrina, per quam homo magis semper addiscit, non est idem, didicit, et discit, quia nunc discit aliquod, quod prius non didicerat; sic non præstat idem, it, et iuit, quia nunc acquirit aliquod, quod non acquisiuit per iuit, has autem actiones appellat motum, magis strictè accipiens nomen motus, quàm acceperat in definitione initio tertij libri, cæterum non asserit intellectionem non esse motum, quia non est successiua, cum possit esse cognitio successiua eiusdem obiecti, per quam dicitur intellectus idem intellexit, et intelligit.

Obijcies secundo dispositiones vltimæ ad formam substantialē v.g. ignis exercent potentiam subiecti in ordine ad illam formam, ergo sunt motus hic definitus.

Respondeo distinguo antecedens exercent formaliter, nego, dispositiuè concedo, quantumuis enim disponant subiectum, nisi adueniat productio formæ, et vnionis, numquam habebit formam, ergo ipsa productio formæ est illud, quod formaliter exercet potẽtiam in ordine ad formam.

Ex

Ex dictis infertur ad motum requiri, vt subiectum se habeat diuerso modo per motum, ac se habebat prius, quare productio Angeli propriè non est motus, quia nullum subiectum mutatur: præterea neque vnio est motus formaliter, quia vnio reddit formaliter subiectum habens formam, motus autem est exercitium formale subiecti ad habendam formam.

ARTICVLVS II.

An, & quomodo distinguantur inter se Actio, Motus, & Passio.

DIco primo Actionem non distingui realiter à passione. Probatur, quia si passio non esset actio realiter, vel fieret ab agente se ipsa, vel per actionem, non primum, quia id, quod se ipso pendet ab agente realiter est actio, cum in hoc consistat conceptus, et essentia actionis, non secundũ quia si passio fit per actionem à se distinctam, est terminus illius actionis, ergo iam actio illa, per quam fit passio, quandoquidem est materialis, pendet se ipsa à subiecto, ergo essentialiter se ipsa est passio simul, et actio. Præterea ad quid inseruit illa passio distincta ab actione si ipsa non est productio formæ? Tertio probatur. quia actio, qua producitur forma materialis, pendet se ipsa à materia, et in ea inhæret, ergo materia illam patitur, nihil enim aliud est pati, quam sustentare. Vide quæ diximus quæst. 7. art. 4.

Iam verò ne fiat quæstio de voce, dupliciter potest accipi actio primo pro quacunque causalitate causæ efficientis, siue causa creet terminum, siue producat ipsum dependenter ab aliquo subiecto, si loquamur de actione in primo sensu, certè distinguitur aliquando realiter actio à passione, quia creatio materiæ non est passio, cum à nullo pendeat subiecto. Verum communiter nomine actionis in hac quæstione venit actio agentium naturalium, et causarum secundarum, quæ nunquam creant, prout est talis actio naturalis, et non prout est quid commune creationi, et actioni naturali. Quod si accipiatur actio, prout præscindit à creatione, et actione naturali, et quatenus est causalitas efficientis siue creati, siue increati, tunc actio præscindit à passione saltem formaliter, et solum dicit esse ab agente, vt patet; at loquendo de actione prout naturali, vt semper intellexit Aristoteles certe illa est passio.

Dico

Digitized by Google

Dico secundo. Actio distinguitur à passione formaliter, non quidem adæquatè, sed per conceptus magis, & minus explicitos. Probatur primo ex Aristotele, qui hìc à textu 18. definit actionem hoc pacto, actio est actus in hoc, prout ab hoc, nimirum est actus, qui recipitur in subiecto, & prouenit ab agente, quamuis autem actio inuoluat vtramque formalitatem scilicet esse in subiecto, & esse ab agente, tamen magis explicitè, & signatè habet esse ab agente, si accipiatur sub conceptu actionis, & hoc significat illa particula, prout ab hoc. Contra verò passio definitur, est actus ab hoc, prout in hoc, qui conceptus neque perfectè præscindit ab actione, cum concipiat esse ab hoc, sed magis explicitè concipit esse in hoc, id autem explicat Aristoteles exemplo viæ, qua Thebis itur Athenas, & Athenis Thebas. Eadem enim via si consideretur, prout incipit Thebis magis explicitè, quamuis etiam concipiatur tendere Athenas, dicitur via Thebis Athenas, si autem concipiatur, prout incipit ab Athenis, dicitur Athenis Thebas, ex quo probatur conclusio, quod actio, & passio ad inuicem sese inuoluant, & solùm distinguantur, prout magis explicatur agens, vel subiectum. Probatur secundo ratione, quia cum cõcipis aliquid agere naturaliter, concipis, quod producat aliquid in subiecto, & non potes præscindere ab eo, quod subiectum patiatur, aliter conciperes rationem communem creationi, & actioni naturali, vt super obseruauimus, ergo conceptus actionis, vt naturalis consistit in eo, quod magis signatè concipiatur agens, quàm subiectum. Contra verò si magis signatè concipis hanc rem esse in subiecto, licet non præscindas, quod sit ab agente, facis conceptum passionis, ergo actio, & passio distinguuntur secundum conceptus magis, & minus explicitos agentis, vel subiecti.

Dico tertio. Motus supra actionem & passionem addit solam connotationem priuationis formæ in subiecto præexistentis. Probatur primo ex Aristotele, qui textu 17. dicit, motus est actus eius, qui agere, & pati potest, quatenus tale est, qui actus certè est passio, & actio, quia tamen potest esse actio, & passio absque eo, quod sit motus, hinc est, quod motus debeat addere priuationem formæ antecedẽtis. Secundo probatur ratione, quia mouere, & alterare idem est, ac primo agere; sic etiam moueri, & alterari est primo pati, sed mouere, & moueri formaliter habetur à motu, ergo motus est actio, & passio cum priuatione formæ præcedente. Maior probatur, quia sol v.g. alterat terram per calorem, & terra etiam alteratur, sed hoc formaliter fit per primã productionem caloris,

quia dum calor conseruatur, terra non mutatur, ergo idem prorsus est alterari, ac poni productionem primam alicuius formæ.

Obijcies primo, actio, & passio constituunt duo prædicamenta, ergo differunt genere, quo pacto ergo potest esse eadem formalitas magis, & minus explicita.

Respondeo prædicamenta accidentis cõstitui diuersa ex diuerso modo afficiendi substantiam, cum ergo eadem entitas actionis diuerso modo afficiat agens, & passum, hinc est, quod possint esse duo prædicamenta, sic per eandem verberationem alter est verberatus, alter verberans valde diuerso modo affecti ab eadem numero verberatione. Diuersitas autem non est accipienda à diuersitate verberationis, sed à diuersitate recipientis, & agentis, ad hoc enim, vt alter sit verberans requiruntur diuersæ res, & conditiones, quæ non requiruntur in verberato, quare potest eadem forma, prout comparata cum vno, esse valde diuersa, quàm prout comparata cum altero.

Dices, sit ignis A producens calorem in igne B, agens, & passum sunt eiusdem speciei, actio est eadem, ergo nulla diuersitas habetur agentis, & passi.

Respondeo diuersitatem consistere in eo, quod requirãtur valdè diuersæ conditiones in vno, quæ non requiruntur in *altero*. In agente enim requiritur vis actiua, hoc est primo determinatiua effectus nobilitas non minor, quàm sit in effectu, & aliæ circumstantiæ, at verò in passo solùm requiritur capacitas ipsius effectus, & reliqua sunt per accidens ad hoc, vt sit passum, eadem ergo entitas respiciens id, quod habet vim actiuam determinantem ipsam entitatem actionis, valde diuerso modo illud respicit, quàm respiciat id, quod solùm habet vim patiendi.

Obijcies secundo, Actio, vt actio est accidens, ergo vt actio est in aliquo, ergo vt actio formaliter est in passo.

Respondeo distinguo antecedens, vt actio est accidens intrinsecum agenti, nego, extrinsecum concedo, & negatur consequentia, non est enim de ratione accidentis, vt sit intrinsecum omni rei, cui accidit, sed solùm cui accidit intrinsecè, sic visio accidit parieti, & non est intrinseca parieti: imò retorquetur argumentum, nam accidens eo pacto est accidens, quo pacto accidit substantiæ, sed agenti actio accidit extrinsecè, ergo vt tale accidens est, solùm respicit extrinsecè agens, realiter tamen accidens est in aliquo, vt alibi diximus.

Ex dictis colligitur actionem denominare passum illud solum in quo

Digitized by Google

quo est, non autem alia quæcumque. Secundo colligitur, cur motus non constituat prædicamentum per se, ratio enim est, quia supra actionem, & passionem solùm superaddit negationem antecedentem, quod non variat modum afficiendi substantiam, qui solū spectatur in constituendis prædicamentis. Colligitur tertio motum distingui realiter à termino, quoties actio distinguitur ab eodem termino, quia motus, & actio idem sunt.

ARTICVLVS III.

Per quid motus specificentur, & numero distinguantur.

LOquimur hìc de motu successiuo, sicuti eum restringit Aristoteles in quinto Physicorum, non autem de instantaneo, qui propriè appellatur mutatio. Tria sunt præcipua in motu, subiectum, terminus à quo, & terminus ad quem. Possunt etiam cōsiderari motor, tempus, & in motu locali spatium. Primo certū videtur diuersitatem subiectorum non sufficere ad diuersitatem motus specificam sub ratione motus. Calefactio enim, quæ fit in lapide à sole, non differt specie ab ea, quæ fit in ligno, sicuti neque sufficit vnitas subiecti ad vnitatem specificam motus, idem enim mouetur localiter, & calefit, & tamen motus localis, & calefactio differunt specie. Certū est secūdo ex diuersitate specifica termini à quo non oriri diuersitatem specificam motus loquendo de termino à quo positiuo, quare dealbatio erit eadem, siue subiectum ex nigro fiat album, siue ex rubro.

Restat ergo, vt species motus desumantur à termino ad quem, vt scilicet quando terminus ad quem differt specie ab alio, motus etiam differat specie. Est communis sententia cum Aristotele. Diuersitas autem specifica terminorum debet considerari in ea ratione, in qua sunt per se termini motus: cum ergo motus successiuus detur per se ad tria prædicamenta, nempe ad qualitatem, quantitatem, & locum, quando est motus ad qualitatem, qui est alteratio, debent considerari termini in ratione qualitatis, vnde parum refert, si calefiat ignis, vel aqua, hinc etiam est, quod motus naturalis, & violentus non differant specie in ratione motus; sed solùm in ratione subiecti: similiter in motu ad quantitatem debet considerari quantitas, vt opposita quantitati ad hoc, vt sint

termini specie diuersi, quamuis enim quantitates propriè non opponantur, tamen aliquo modo dicuntur oppositæ, vt magnum, & paruum.

In loco autem differentiæ sunt sursum, & deorsum, vndè motus sursum, & deorsum opponuntur per diuersos terminos: quæri possit, an motus rectus, & circularis in ratione motus localis differant specie. Negant Conimbricenses lib. 4. Physic c. 4. q. 4. art. 2. & alij, quia terminus est idem, vt si quis circulariter ascendat sursum, et si quis tendat eodem linea recta, sed aiunt differre specie accidentaliter non in ratione motus. Oppositum videtur ab Aristotele affirmari in 5. Physicorum textu 33. cum quo cõsentimus, quia quamuis medium in motu locali non debeat considerari secundum qualitates physicas, quas habet, tamen debet considerari secundum diuersum modum acquisibilitatis. Præscindamus enim ab omni loco pleno, vel vacuo, certè linea curua est valde diuerso modo pertransibilis per motum, quàm linea recta, ergo motus qui illam acquirit, est valde diuersus ab alio, qui est supra lineam rectam. Confirmatur, quia quidquid per motum acquiritur, habet rationem termini ad quem, cum ergo rectum, et curuum specie differant in ratione acquisibilis per motum localem, etiam differunt ipsi motus specie, at verò non eodem modo se habet medium crassum, vel tenue, calidum, vel frigidum, quia in ratione acquisibilis non differunt, nisi accidentaliter, vt patet.

Restat videre, an motus differat specie quãdo actiones, vel passiones differunt specie v. g cum idem calor producitur à solo Deo, et cum producitur ab igne simul cum Deo, an illæ actiones differant in ratione motus, certum enim est, quod differant in ratione actionis, cum essentialiter respiciant agentia diuersa. Dico, quod etiam si actiones differant specie in ratione actionis, vel passionis non differunt in ratione motus. Probatur quia motus solum implicitè dicit differentias actionis, et passionis; et explicitè dicit esse à termino à quo ad terminum ad quem: cum ergo considereretur motus, vt motus est, debet considerari secundũ id, quod dicit explicitè, non autem secundum ea, quæ dicit implicitè. Hinc fit, quodsi sit idem specie terminus ad quem, non possit motus specie differre, quamuis eadẽ entitas specie differat in ratione actionis, vel passionis, quare in motu, ad vnitatem specificam ipsius debet considerari terminus ad quem formaliter acceptus, et si terminus est idem specie, motus etiam erit idem specie.

Petes, quando aër ascendit sursum ab aqua, et quando descendit

dit ab igne, hi motus differant ne specie? sunt enim ad eundem terminum, nempe ad locum aëris.

Respondeo differre specie in ratione motus: ratio est, quia differentiæ loci sursum, et deorsum sunt essentialiter respectiuæ, dicitur enim locus sursum per comparationem loci deorsum, quare id, quod est locus sursum respectu aquæ, est deorsum respectu ignis, ergo talis terminus ad quem formaliter acceptus connotat talem positionem termini à quo, sunt ergo illi motus aëris ad eũdem terminum materialiter, non autem ad eundem formaliter, quia est diuerso pacto acquisibilis ab vno termino à quo, et ab altero: cæterùm illi motus in ratione naturalis non differunt, quia proueniunt ab eadem exigentia intrinseca aëris appetentis talem situm in vniuerso.

Ad secundam partem quæstionis dico cum Aristotele, et communi sententia ad vnitatem numericam motus tria per se requiri sub conceptu motus, nempe vnitatem subiecti, termini, et temporis, at verò sub conceptu actionis requiri etiam vnitatem motoris. Probatur conclusio, quia si sint plura subiecta, motus idem non potest esse in pluribus, cum idem accidens existere non possit in pluribus subiectis, loquor autem de vno motu non per aggregationem plurium; deinde si sint plures termini adæquati patet, quod motus, non sit vnus: patet etiam de tempore, quia si tempus interrumpitur, etiam motus non est vnus continuus: de vnitate motoris adæquati requisita ad vnitatem actionis patet, quia actio essentialiter connotat agens, quod idem est, ac motor.

Dices, canis viuus deiectus à turri in medio motu moriatur, motus ille esset ne vnus, an partim esset in subiecto viuo, partim in mortuo? Et tamen communiter dicitur vnus motus.

Respondeo vel motus subiectatur in sola materia, vel in toto, vel vtraque pars habet suum motum diuersum: si primũ est vnus motus, quia materia restat eadem; si secundum sunt duo motus; si tertium pereunte anima canis, fit alius motus in forma cadaueris, eiusque vnione: vtrum autem subiectetur motus in sola materia an in toto, et an vnaquæque pars habeat suum motum, dicemus in quæstione de vbicatione.

Dices secundo Aristoteles 5. Physicorum textu 23. docet, quod citharædus pulsata prima chorda, si pulset statim alteram sinè intermedijs, est vnus motus, et tamen sunt duo subiecta.

Respondeo Aristotelem loqui ibi de motu ipsius manus, qui est motus continuus, non autem de motu chordarum. Dicit enim,

vt

vt ibi optimè interprætatur. S. Thomas, quod ad continuationem motus manus, nihil facit si intermedium quod sit in re, quæ mouetur, dummodo non interrumpatur tempus cessando à motu, & sic motus manus procedens à chorda suprema ad infimam potest esse continuus, si nulla parte temporis fiat intermissio. Reliqua de motu agenda sunt partim in tractatione de loco, partim de Generatione, & partim de continuo.

QVAESTIO XI.

De Infinito.

ARTICVLVS I.

Præponuntur aliqua de Infinito.

AGit hìc Aristoteles de infinito, an detur actu cõtra Antiquos, qui dicebant dari aërem, vel aliud elementum infinitum. Probat autem de facto non dari in rebus permanentibus, in successiuis enim procul dubio admisit infinitum de facto, cum posuerit generationes rerum ab æterno, adeoque per ipsum factæ sunt in cælo infinitæ circumuolutiones. Communiter diuiditur infinitum in actuale, & potentiale, seu in Categorematicum, & Syncategorematicum. Categorematicum est, quod simul habet infinitatem suam actu existentem, et definitur, est illud à quo sẽper est extra, et extra accipere, si enim esset actu linea infinita, semper possent ab ea accipi palmi, nec vnquam peruenireturad vltimum, vltra quem non possit accipi alius palmus. Infinitum Syncategorematicum, siue potentiale est, quod partim est actu, partim potentia, ita vt semper quod est actu sit finitum, et quod restat in potentia sit maius, et maius in infinitum, itaut nunquam perueniatur ad vltimum, sic numerus finitus possibilis est infinitus Syncategorematicè, quia quantumuis accipiatur magnus numerus finitus, semper tamen remanent accipiendi plures, et plures in infinitum, sed semper finiti.

Quæritur hìc pro differentia vtriusque infiniti, an ambo conueniant in multitudine rerum, quas in se continent, an cathegorematicum dicat res infinitas, et syncategorematicum dicat finitas.

Digitized by Google

tas. P. Fasolus par. 1. tom. 1. quæst. 7. art. 2. dubio 2. multos pro se citans, quem sequitur P. Quied. hic controu. 14. p. 2. tom. 8. & Scotum pro se citat, & alij Recentiores dicunt, si Infinitum syncategorematicum accipiatur secundum partes actuales, in omnium sententia includit partes finitas, est enim aliquod actu finitū, quod possit magis, & magis augeri in infinitum; si verò accipiatur secūdum partes possibiles, quibus potest fieri maius, & maius in infinitum, dicunt eas esse simpliciter infinitas, probant ex Scoto, nā si omnes illæ partes simul ponerentur, non essent actu finitæ, nam finitum additum finito facit finitum, ergo possent tandem accipi, adeoque non posset crescere in infinitum, quod est contra essentiā infiniti syncategorematici supra assignati, ergo necessariò dicēdum est esse tunc, si omnes ponerentur, actu infinitas. In idem ferè incidunt alia argumenta, vt si ea, quæ remanent possibilia, & semper acceptabilia sunt finita, tandem exhaurirentur, vt nihil ex illis remaneret in statu meræ possibilitatis, ergo non possent semper addi nouæ, & nouæ partes in infinitum, vndè inferunt esse infinita. Recurrunt etiam ad visionem Dei cognoscentis actu omnes partes addibiles, quæ non sunt adhuc additæ, si videt in illis terminum, non sufficiunt ad maiorem, vel minorem additionem in infinitum, vt patet, ergo non debent habere terminum, adeoq; erunt infinitæ.

P. Albertinus tom. 2. de prædicam. quantitatis disp. 4. q. 2. nu. 11. dicit infinitum Syncategorematicum non includere partes infinitas intrinsecè, sed tendere in infinitatem, quia essentialiter includit multitudinem possibilem, quę collectiuè existere non possit

Pro solutione difficultatis, quæ tota procedit in eo, quod non benè percipiatur natura infiniti Syncategorematici, aduertendum est in sententia eorum, qui negant infinitum categorematicum, quæcunque possunt crescere in infinitum esse essentialiter infinita syncategorematicè. In opposita sententia hoc negatur, dicunt enim non solum esse possibiles Angelos plures, & plures in infinitum, sed posse existere simul actu infinitos, adhuc tamen in vtraque sententia sunt aliqua essentialiter syncategorematicè infinita, quæ non possint esse, neque per diuinam potentiam infinita categorematicè; vt ergo in præsentia naturam infiniti Syncategorematici indagemus præscindendo ab vtraque sententia, accipiemus aliquod, quod in omnium sententia sit essentialiter infinitum syncategorematicum, hoc autem sit numerus finitus, certum enim debet esse apud omnes posse numerum finitum augeri

geri magis, & magis in infinitum, ita tamen vt nunquam euadat infinitum: patet hoc, quia si fiat additio successiua addendo plures vnitates vnitatibus finitis paucioribus numquã fiet infinitus, hoc est per nullam additionem tota æternitate faciendam poterit dici, hic numerus nunc est infinitus, quare numerus finitus potest capere incrementa finita in infinitum, semper tamen remanendo finitus, & ratio à priori est, quia numerus finitus duo dicit essentialiter, primum, vt possit illi fieri additio, adeoque non sit maximus possibilis, quomodocunque enim magnus sit, si illi addatur vnitas, adhuc euadet maior, adeoque numerus finitus maximus implicat etiam de potentia Dei absoluta. Secundum est quoties id, quod additur est finitum, nõ possit euadere infinitus, duo enim finita simul, implicat, quod conflent vnum infinitum, vt patet.

Iam ex his habemus posse fieri numero finito additiones in infinitum numerorum finitorum maiorum, & maiorum, quibus tamen additionibus nunquam euadat infinitus, hoc est, vt per nullam ex illis possibilibus additionibus euadat infinitus, cum enim singulę sint finitę in se ipsis, nulla ex illis addita finito potest reddere infinitum. Peto iam illi numeri possibiles, quæ possunt addi maiores, & maiores numero finito existenti, non tamen extrahentes ipsum per suam additionem à finitate, sunt ne finiti, an infiniti? (quod sint possibiles numeri maiores, & maiores in infinitum non extrahentes ipsum existentem per suã additionem à finitate, patet ex dictis, quia possibile est numerum finitum semper augeri, ita vt remaneat semper finitus post quascunque additiones.) Si dicas esse finitos, vrgent argumenta suprafacta, nam illis exhaustis non posset amplius fieri additio per totã æternitatem, vt supponó, quodcunque autem finitum per ablationes maiores, et maiores exhauriretur tempore finito. Si dicas esse infinitos, contra est, nam redderent numerum existentem, si ipsi adderentur simpliciter infinitum, et ego sum præcisè loquutus de illis numeris possibilibus, qui possunt semper addi maiores, et maiores numero finito, non extrahentes ipsum à finitate, cum certè hi numeri in omnium sententia debeant esse possibiles; ecce difficultatem in vtraque responsione

Quare dicendum est non dari in statu possibilitatis totam collectionem numerorum finitorum, quæ addita numero finito existenti non reddat ipsum infinitum, nam si non reddit infinitum nõ est tota, quare ex natura rei est impossibilis tota collectio numerorum

rorum finitorum, quæ addita numero finito existenti non extrahat à finitate, & consequenter talis collectio à Deo non videtur; si ergo loquamur de numero possibili, qui additus numero existenti finito non extrahat à ratione finiti, certè hic numerus implicat ex sua natura, quod sit aliqua collectio determinata, etiam in statu possibilitatis, sed essentialiter habet esse, quid indeterminatum maius, & maius, & semper finitum, vnde non displicet illa loquutio, quod sit numerus finitus tendens in infinitum. Quod si dicas; loquamur de collectione illorum numerorum, qui singulis sunt finiti, certè collectio illorum debet esse infinita; si enim talis non esset, numeri possibiles finiti maiores, & maiores aliquando finirentur.

Respondetur ad hoc, vt numeri maiores non hauriantur non esse necesse ex vi infiniti syncategorematici, quod illa collectio sit infinita; sed solùm, vt non sit possibilis tota collectio illorum, sicuti enim omnes debemus fateri in quacumque sententia etiam admittente infinitum, non esse possibilem totam collectionem numerorum finitorum, quæ addita numero finito existenti constituat cum eo numerum finitum, sed hanc collectionem esse ex sua natura indeterminatam maiorem, & maiorem, quod sufficit, ne sit periculum, ne numerus finitus semper crescere non possit, ita dicent, qui negant possibile esse infinitum categorematicum collectionem illorum numerorum finitorum, qui possunt addi numero existenti finito non esse quid determinatum, sed esse collectionem maiorem, & maiorem in infinitum, ita tamen, vt tota accipi non possit, quarè aliundè priùs debet probari possibile esse infinitum categorematicum, & deinde inferre, quod multitudo possibilis in infinito syncategorematico sit vna collectio acceptibilis per modum vnius. Cœterùm ex mera definitione infiniti syncategorematici hoc non colligitur, neque probatur; an autè ex alijs rationibus probetur in infinito syncategorematico debere dari possibilia infinita categorematicè, inferius videbimus.

Infinitum categorematicum duplex esse potest, vel secundum omnimodam perfectionem, vel secundum aliquam perfectionem, in aliquo genere; quod detur infinitum secundum omnimodam perfectionem certum est, quia Deus optimus maximus, infinitus, est essentialiter continens omnes perfectiones possibiles, ens autē creatum perfectissimum dari non posse, omnes admittunt, quia quantumuis esset perfectum, tamen infinitè distaret à Diuina perfectione, & deesset semper illi hæc perfectio, scilicet esse à se in-

dependens ab alio. Infinitum ergo in perfectione consistit in eo, quod in ea perfectione dari maius non possit, non autem, quod habeat sub se infinita, quibus æquiualeat; vt enim alibi diximus, visio Christi Domini est finita, & æquiualet visionibus infinitis minus illa perfectis. Similiter deo continet perfectionem animalium possibilium minus illo perfectorum, quæ certè sunt infinita, quarè infinitum, quò ad perfectionem debet desumi ex eo, quod non possit dari alia maior perfectio supra illam.

Loquendo iam de infinito, quoad magnitudinem duplex esse potest: primum in quantitate continua, verbi gratia, quoad longitudinem. Secundum in quantitate discreta, videlicet quoad numerum, & in vtroque certum est ferè apud omnes huiusmodi infinitum categorematicum habere non posse vltimam partem, vt si esset trabs infinita ex vna parte, & ex altera inciperet à puncto A, certè nullum posset ab alia parte extremum punctum designari, quia nullum daretur extremum, si enim daretur extremum verificari non posset definitio infiniti, quod sit illud extra quod semper possunt accipi partes æquales.

Pauciſsimi Recentiores, & denique P. Arriaga hic disp. 13. sect. 1. dixerunt contra hoc, quod à reliquis omnibus, vt euidens receptum est; docuerunt enim infinitum in quantitate posse habere terminos vltimos ex vtraque parte; dicunt enim ad hoc, vt verificetur esse extrahibiles partes æquales in infinitum ab aliqua quantitate necesse non esse, vt illa terminata non sit vtrinque, quia non repugnat dari partes infinitas æquales terminis inclusas.



Sed primò conuincitur demonstrationibus Mathematicis, sit enim trabs A B C D. infinita per ipsos, & terminata, & sit lata vnum palmum. Ducatur à puncto B. ad punctum C. linea recta, quæ rectè duci potest cum sint per aduersarios duo puncta assignata, & spatium intermedium, est autem primum principium lumine naturæ certum de puncto ad punctum posse duci lineam rectam.

Hoc

Hoc posito si lõgitudo huius trabis esset iufinita sequeretur, quod distantia AB. quæ supponitur esse vnius palmi esset etiam infinita, quod est implicans. Sequela probatur, quia duæ lineæ rectæ facientes angulum in aliquo puncto, quo magis protenduntur eò magis distant, sed linea A C. & C B. faciunt angulum in pũcto C. & ab eo puncto protenduntur in infinitum per aduersarios vsque ad puncta A & B. ergo distantia A B erit infinita, quod est falsum; neque dicas has duas lineas semper magis distare, sed per excessus minores, & minores, nam vt in 6. Euclidis demonstratur, rectæ ab eodem puncto protensæ per duos palmos distant dupla distantia, quàm protensæ per vnum palmum, & sic quotiès multiplicantur palmi in protensione linearum à puncto C. multiplicantur etiam partes æquales distantiæ; sic recta, seu distantia G H est dupla respectu rectæ E F. quia punctum G duplo distat à puncto C. quàm distet punctum E. sed puncta A B supponuntur distare per palmos infinitos à puncto C. ergo distantia inter A. & B. infinitiès continebit distantiam inter primos palmos nempè distantiam E F, adeoque erit distantia infinita, quia constat infinitis partibus æqualibus vni certæ. Possent multæ aliæ demonstrationes mathematicæ per hoc adhiberi, sed in re clara hæc sufficiant.

Secundò impugnatur etiam eadem sententia, præscindendo à Mathematica, nam sequeretur, quod vnus palmus longitudinis infinitæ, & vtrinque terminatæ esset longitudo infinita, quod est apertè absurdum. Sequela probatur. Nam cum per te linea hęc infinita sit vtrinque terminata potest bifariam diuidi. & vtraque medietas esset infinita, vt concedit P. Arriag. si enim esset finita, tota linea esset etiam finita, quia cõstaret duabus partibus finitis. Rursus illæ duæ medietates diuidi possunt, in alias medietates etiã infinitas, propter eandem rationem, ergo si infinitis vicibus per medietates diuideretur trabs daretur numerus infinitus medietatum, quæ singulæ essent infinitæ, faciat tunc Deus aliam trabem, quæ tot habeat palmos, quot ista habet medietates infinitas, certè secunda trabs erit infinita, adeoque diuisibilis in medietates infinitas; quarè diuisa secunda trabe per medietates quot vicibus diuisa fuit primà, certè per hanc diuisionem secundæ trabis assignarentur palmi, quia tot haberet palmos, quot vicibus fuit diuisa prima trabs, & postea diuideretur ipsa: secunda trabs ex alio capite assignarentur medietates ex se infinitæ singulæ, quia illæ diuisiones fierent per medietates, quæ semper essent infinitæ, ergo quilibet palmus esset vnum infinitum, quod est falsum.

Neque dicas hæc vocabula tot, & quot esse propria quantitatis finitæ, nam si quantitas illa est vtrinque terminata potest fieri diuisio in duas æquales medietates, & idem dico de medietatibus, quia sunt vtrinque terminatæ, ergo habemus determinationem ex parte obiecti ad concipiendum tot, & quot quia diuisiones per medietates, semper sunt determinatæ propter terminos medietatum, quod non valeret, si non essent termini vltimi vtrinque vt infra videbimus.



Obijcitur communiter contra definitionem infiniti, angulus contingentiæ, qui fit à linea curua circuli, et à linea recta tangente ipsum circulum, verbi gratia linea curua A C. et recta A D, se contingunt in puncto A, spatium inclusum intra lineam A curuã, et rectam, dicitur angulus contingentiæ, et demonstratur ab Euclide in tertiò esse minorẽ quolibet angulo cõstante lineis rectis, hoc enim posito sic fieri potest argumentum. Angulus constans rectis lineis haberet partes æquales vni certæ in infinitum extrahibiles, ergo esset infinitus, consequens autem apertè est falsum, ergo definitio infiniti tradita non est bona. Antecedens probatur, quia angulus verbi gratia constans rectis lineis D A E, est diuisibilis in infinitum per angulos rectis lineis constantes minores, et minores, sed quilibet angulus ex illis, quantumuis minor, et minor demonstratur esse maior angulo contingentiæ, ergo à fortiori possunt extrahi in infinitum anguli contingentiæ; si enim potest extrahi in infinitum à prædicto angulo rectilineo, aliquid maius angulo

Digitized by Google

angulo contingentię, procul dubio potest extrahi ipse angulus cōtingentiæ, qui est minor.

Propter hoc argumentum limitari debet definitio, vt communiter limitatur addendo aliam particulam, quod scilicet infinitum sit illud, ex quo possunt extrahi partes æquales vni certæ determinatæ eiusdem rationis, sic enim per particulam eiusdem rationis, excluditur angulus contingentiæ, quia non est eiusdem rationis cum angulo rectilineo.

Restat tamen videre quid sit esse eiusdem rationis cum altero, iuxta sensum præsentis quæstionis; ad quod dico illud esse eiusdē rationis in sensu præsenti cum altero, quod si multiplicetur in infinitum tandem, vel æquabit, vel superabit alterum, hoc autem non conuenit angulo contingentiæ respectu anguli rectilinei, qui nunquam æquabit etiam infinities replicatus, sic etiam punctum mathematicum non est eiusdem rationis cum linea, quia etiam infinita puncta mathematica nunquam æquabunt minimam partem lineæ, & idem dico de superficie respectu corporis, quod nunquam æquabit etiam infinities multiplicata.

Dices punctum non est pars lineæ, nec superficies est pars corporis, & ideo sunt diuersæ rationis, nec vna potest infinities replicata alteram adæquare, sed angulus contingentiæ verè est pars anguli rectilinei. vt demonstratur, ergo paritas non est bona, nec vlla potest dari instantia, quod aliqua pars infinities multiplicata suum totum non adæquet.

Respondeo, verè hoc esse mirabile in angulo cōtingentiæ, quod sit vera pars, & tamen non possit adæquare totum, etiam si infinities multiplicetur; nec est mirum, si nulla alia possit dari instātia, quia nullam cognoscimus partem, quæ se habeat sicuti angulus contingentiæ respectu rectilinei: cæterùm totum hoc supponimus demonstratum à mathematicis. nec assumitur à nobis tanquam probandum, sed tanquam certum.

Addo etiam hoc non debere videri mirum, quia angulus est inclinatio linearum, vt definitur ab Euclide, duæ autem lineæ prout habentes inclinationem inter se non includunt adęquatè spatium, sed inadæquatè, vndè, quod lineæ facientes angulum sint longiores, vel breuiores non reddunt idcircò angulum maiorem, vel minorem, quia ipsarum inclinatio præscindit ab hoc; angulus ergo contingentiæ est pars anguli rectilinei, & consequenter spatij inadæquatè accepti, & ita non est ita mirum, sicuti esset, si hoc verificaretur de parte spatij adæquatè accepti.

His

His ita explicatis omnes cõcedunt dari posse infinitũ syncategorematicũ. Patet quia ignis, verbi gratia comburet materiã dispositam, si illi approximetur, & hoc faciet in infinitum. Rursus duratio animæ rationalis erit in infinitum. Cognitiones Angelorũ erunt in infinitum, quarè patet posse dari infinitum syncategorematicum, de quo detur aliqua pars, & remaneat semper aliquid vltra dandum.

ARTICVLVS II.

Expenduntur argumenta pro infinito Categorematico.

COntrouersum est apud Auctores, an de potentia absoluta possit produci infinitum categorematicum, & pro vtraque sententia non desunt, & Antiqui, & Recentiores. Negat posse dari S. Thomas 1. part. quæst. 7. & alibi. Scotus in 2. distin. 1. quæst. 3. Bonauent. in 1. dist. 43. quæst. 3. Ricardus, Durandus Conimbricenses, & alij Recentiores. Admittunt, vel secundum solum numerum rerum spiritualium, vel etiam secundum quantitatem continuam Gregorius in 1. distinc. 43. quæst. 3, Ochamus quæst. 2. Argentinas dist. 1. art 4. Vasquez, Arriag. loco cit. & omnium longissimè P. Fasolus tom. 1. in 3. part. Ego in varijs cursibus vtramque sententiam sequutus; nunc verò, vt probabiliorem sequar sententiam negatiuam: proponam tamen prius efficaciter sentẽtiæ contrariæ argumenta, & solutiones illorum singulis apponam.

Pro secunda sententia affirmante posse dari infinitum categorematicum, non solum in numero rerum spiritualium, sed etiam quoad molem, & spatium continuũ, duæ sunt potissimæ rationes. Prima est, quia nulla videtur assignari posse contradictio respectu diuinæ omnipotentiæ, vt apparebit ex solutione argumentorum. Secunda ratio est, quia omnia, quæ afferuntur tanquam absurda contra possibilitatem infiniti categorematici, æquè militant in infinito syncategorematico, nam respectu cognitionis diuinæ æquè soluenda sunt, ac si essent obiecta posita à parte rei simul, imo loquendo de rebus futuris sunt ita omnes positæ in æternitate diuina, ac si essent mihi præsentes nunc in hoc instanti, ergo omnia illa obiecta futura ita se habent respectu Dei, ac si omnia respectu mei nunc essent posita, adeòque non apparet maior ratio cur impli-

Digitized by Google

implicet, vt nunc ponantur res infinitæ, & non implicet, cur coexistant realiter omnia futura Diuinæ Æternitati.

Contrà tamen affertur pro prima, & potissima implicantia infiniti, quod si daretur à parte rei linea, seu trabs infinita posset dari alia trabs minor illa, sed si datur maius, & minus infinitum id, quod est minus esset pars maioris, et consequenter maius haberet aliquid vlterius, ergo minus esset finitum, haberet enim trabs minor aliquem palmum, vltra quem protenderetur trabs longior, quod est esse trabem finitam, cui datur vltimus palmus; Maior probatur hoc casu: ponatur actu prima series laterum incipiens à pũcto A, et ex altera parte infinita, ita vt ex lateribus vnus sit albus, niger alius, vicissim dispositi in infinitã lõgitudinẽ: faciat Deus deinde aliam seriem incipientem ab eodem puncto A, quæ constet solùm albis, adeo vt lateres albi absque eo, quod tollantur à locis prioribus replicentur vnus post alium immediatè in hac secunda serie. Hoc posito probatur quod secunda series sit finita, et infinita, esset enim infinita, quia lateres albi sunt infiniti, esset finita, quia hæc secunda series occupat minus spatium, quam prima, vt per se patet, spatium enim primæ continet omnes lateres tam albos, quam nigros. Secunda series habet spatium laterum solùm alborum, et ex alio capite hæ series incipiunt ab eodem pũcto A, ergo si secunda series infinita continet minus spatiũ, quàm prima, certè exceditur à prima, ergo finitur per illum excessum, Deus enim videt vbi nam, et in quo pũcto incipit excessus primæ, supra secundam. Posset idem probari alijs argumentis, quæ in idem ferè recidunt. & solutio vnius æquè applicatur omnibus.

Vt huic argumẽto sanè difficili probabilius respondeatur ab Aduersarijs; probant idẽ esse soluendũ ab omnibus in infinito syncategorematico in mente Dei, ponamus enim, quod Deus producat singulis horis per totam æternitatem vnum laterẽ albũ vna hora, et altera nigrũ, et collocet vnum post aliũ incipiendo àpuncto A, ita vt omnes conficiant vnam longitudinẽ. Rursus post binas horas per totam æternitatem replicet Deus laterem album in altera serie incipiendo ab eodẽ puncto A, ita vt in illis omnibus horis, in quibus collocat eundẽ in prima collocet etiã in secũda; hoc posito Deus videt clarissimè omnes lateres futuros tã in prima, quàm in secunda serie, ergo si secunda series est minor prima videt id, quod habebit prima series vltra secundam. et consequenter videt punctum vltimum, in quo finitur secunda, et vltra, quod progreditur prima, ergo secunda series erit finita, & infinita; ecce eandem

diffi-

difficultatem sub ijsdem ferè terminis soluendam in visione Dei, circà has duas series futuras, et quod dixi de his seriebus, dici potest de serie, quoad numerum si eodem pacto ponatur creare Angelos alternos, v.g. alterum Angelum, alterum Archangelum. Est tamen ad hoc communis responsio, quod Deus in tali casu non videt collectiuè omnes lateres futuros, nec in prima, nec in secunda serie, sed videt solùm distributiuè, et consequenter dici nō potest, quod videat totam longitudinem, totum enim dicit collectionem partium; videre autem distributiuè est ita videre singulos lateres, vt nullus sit, de quo non verificetur hunc videt Deus. Hæc tamen responsio impugnatur primò quia, vt verificetur hæc propositio, nullus erit palmus, qui nunc à Deo non sit visus, debent posse accipi omnes palmi, seù lateres collectiuè, sed debet verificari hæc propositio, vt etiam aduersarij concedunt, ergo debent omnes possitio accipi collectiuè. Maior probatur, nam vt cognoscam esse veram propositionem vniuersalem negatiuam, verbi gratia nullus homo est equus, debeo scire quod per descensum possit de singulis hominibus in particulari dici, hic non est equus, sed non possum hoc scire, nisi accipiam omnes homines collectiuè; ergo vt sciam propositionem illam negatiuam esse veram debeo accipere omnes collectiuè. Maior videtur certa ex summulis, minor probatur, quia ad hoc, vt sciam, quod de singulis possim dicere aliquod prædicatum, non satis est, quod sciam posse dici de hoc, & posse dici de hoc alio, & sic de multis, sed præterea debeo scire, quod præter eos, quos accepi non remaneant alij, quos nō acceperim, vox enim singuli non dicit solùm multos, sed dicit omnes ex aliqua classe, seu collectiuè nemine excepto, ergo ad hoc, vt noscam, vel vt Deus cognoscat singulos esse cognitos debet Deus clarissimè cognoscere totam illam collectionem per modum vnius; aliter non posset dicere singuli huius collectionis noti sunt, verbi gratia, vt possim dicere video singulos discipulos, non satis est dicere video Petrum, video Paulum, & multos alios, sed debeo scire, quod hæc classis nō habeat alium præter eos, quos video, si enim hoc nescio, non possum affirmare video singulos, sed video multos discipulos, & nescio an sint singuli, vel omnes, etiam si de facto omnes videam. Ratio à priori est, quia vox singuli, vel omnes in hoc differt à voce, mùlti, quod vox, multi, significat indeterminatè nō taxando determinatam multitudinem, & classem, sed sufficit, vt sint plusquam duo, vel tres adeoque, vel veniant 10. vel 20. quia verificatur terminus multi: contra verò vox singuli, aut omnes est terminus relatiuus

ciuus ad collectionem determinatam, significat enim, ita accipi multos determinatè, ita vt tota collectio per illam acceptionem exhauriatur: quare nisi cognoscatur determinatè illa collectio, dici non potest, quod singuli cognoscantur, cum singuli alicuius collectionis sint singuli, cum ergo vox illa, collectionis, importet cognitionem collectiuam, debet necessariò posse accipi tota illa collectio, intra quam sunt illa singula.

Verùm hoc argumentum non est efficax, potest enim verificari propositio vniuersalis negatiua, etiam si non possit accipi collectiuè tota illa multitudo; ad hoc ergo, vt Deus possit dicere, nullus erit palmus in hac serie, quem non cognosco, sufficit, quod sciat implicare existentiam creaturæ, quæ à se distinctissimè non cognoscatur, quantum cognoscibilis esse potest; ad hoc autem nulla requiritur cognitio collectiua de illa tota serie, sed clarissima de singulis, & de perfectione suæ cognitionis, quæ nempe sit talis, vt detur omnimoda necessitas inter creaturam, & Diuinam cognitionē, adeoque creatura non effugiet diuinam cognitionem. Ad illud, quod dicebatur de descensu, quo verificatur propositio negatiua, dico, sufficere verum descēsum syncategorematicum; vt enim certò sciā veram esse propositionem, Nullus homo est equus, sufficit, vt si per totam æternitatem in infinitum accipiam plures, & plures homines, & comparem cum equis, semper sit verum, quod illi non sint equi, non est autem necesse, vt collectiuè accipiam omnes homines; verificatiuum autem huius descensus est necessitas, quam habet homo, ne sit equus; at in contingentibus vbi non datur necessitas talis ex parte obiecti, certitudo talis descensus debet desumi ab ipsa perfectione cognitionis, quæ sit talis, vt implicet possibilitas creaturæ, quin cognoscatur, quod soli Deo cōpetit, qui perfectissimè, & necessariò cognoscit omnia, siue necessaria sint, siue contingentia.

Ad aliam difficultatem, quæ afferebatur ex voce, singuli, dico verum esse, quod singuli non idem significant, ac multi, vt bene probat argumentum, nego, tamē, quod significēt totam collectionem per modum vnius, sed sufficit, quod significent multitudinem syncategorematicè solùm futuram, & nunquam totam simul possibilem, vox etiam, singuli, præscindit ab hoc, quod multitudo respectu cuius dicūtur singuli, sit collectiuè possibilis, aut syncategorematicè solùm; bene quippe dicuntur singuli Apostoli, & quia Apostoli est multitudo collectiuè posita, verificatur de ea in sensu collectiuo, & idem dico quando applicatur multitudini determi-

nātæ; at nego applicari non posse eamdem vocem singuli, multitudini essentialiter indeterminatæ, & syncategorematicè solum posſibili; quando autē applicatur tali multitudini significat, quod nullum indiuiduū cuiucumq. finitæ multitudinis maioris, & maioris accipi possit, cui non conueniat illud prædicatum: quod dicitur de singulis prædicari. Vnde autem habeatur, quod nullum indiuiduum, vt dixi, possit accipi, quod non sit tale, iam dixi haberi in necessarijs ex necessitate obiecti, in contingentibus ex perfectione cognitionis, vt nuper explicaui.

Cęterùm hoc argumentum est eodem pacto soluendum ab omnibus, etiam admittentibus infinitum, vt à me solutum est. Nam Deus potuit incipere creationem temporis finiti, ante hanc diem per collectiones durationum maiores, & maiores in infinitum, ita tamen, vt nulla ex illis sit infinita. Peto iam, Deus ex eo, quod cognoscat singulas illas collectiones in se finitas, vt certum est, quia nulla est possibilis, quæ à Deo non cognoscatur, cognoscit ne omnes collectiuè? si dicas non cognoscere, habeo intentum, nam vt habeatur terminus, singulę, nō est per te necesse cognoscere collectiuè ea, respectu quorum accipitur vox, singulæ; si primum peto; illa collectio est ne finita, an infinita? primum dici non potest, quia adhuc ante illam Deus potuisset facere tempus, vt suppono; si infinita, ergo aliqua ex illis collēctionibus finitis durationum erit infinita, quod est absurdum in terminis. Si enim singulæ collectiones illarum durationum sunt in se finitæ, quamuis maiores, & maiores, certè de nulla illarum potest verificari, quod sit infinita. cum enim sint possibiles plures finitæ, Deus illas videt omnes, adeoque nulla exillis est infinita. Probatur autem contradictoria, quod aliqua esset infinita, quia quoties aliqua collectio habet plura in se, ita tamen, vt vnū nō possit ex natura sua facere vnum maius cū alio in aliqua ratione, toties illa collectio, si est infinita non potest esse infinita ratione omniū, seu ratione collectionis, sed solùm ratione vnius in ea contenti; Talis esset hæc collectio durationum finitarum; ergo si est infinita, ratione alicuius est infinita. Maior probatur simul, & explicatur: Nam si accipiam decem dies ante hanc diem, & accipiam viginti, ante hanc eandem diem per has duas acceptiones simul non accipio tempus longius, quam accepissem per secūdam acceptionem solam, quæ accipiebat viginti, sed solùm est, quod bis accipi decem dies immediatè antecedentes ante hunc, nempè per primam acceptionem, qua accepi decem et per secundam qua accepi viginti, ergo similiter si acciperem per tertiam acceptionem triginta, & per quartam quadraginta,

non

Digitized by Google

non tamen facerent aliquid maius in ratione temporis, si collectiuè acciperem decem, viginti, triginta, quadraginta dies immediatè ante hanc diem, quāsi acciperem solum quadraginta per vnā solum acceptionem; quare colligere hoc pacto durationes finitas maiores, & maiores, incipientes tamen ab isto die nūquam faciet collectionem aliquam infinitam, nisi ratione alicuius collectionis inclusæ in hac tota collectione, quæ per te accipi debet, vt tota, propterea quod, vt dixi, vna collectio in hac collectione de sua natura non potest conflare cum alia maiorem durationem, quàm sit ipsarum altera per se accepta; Minor eiusdem syllogismi suprapositi patet: nam est de essentia durationum antecedentium immediatè ante hunc diem, vt vna non faciat durationem maiorem cū altera; durationes autem decem dierum antecedentium immediatè ante hunc diem non possunt addi durationibus viginti dierum, etiam immediatè antecedentium hunc diem, ita vt faciant triginta dies, sicuti decem palmi ligni, possunt addi viginti palmis ligni, & facere quid maius; ergo quacunque collectione accipias durationes finitas maiores, & maiores possibiles ante hanc diem, cū ex illis nulla prorsus sit infinita, nunquam conflabis vnam durationem infinitam. Quare hoc obiectum nempe tempus finitum possibile ante hanc diem est essentialiter syncategorematicum, & in se indeterminabile, & inacceptibile collectiuè, vt probatum est, & tamen verificari debet, quod Deus cognoscat singulas durationes finitas maiores, & maiores in infinitum; & sic debet hoc solui iuxta solutionem nostram, quod vox, singula, habeat posse verificari, etiam si multitudo de qua verificatur nō possit accipi ex natura sua per modū vnius, sed sit essentialiter syncategorematica, quod est diligenter obseruādū ad infringēda argumenta cōtraria.

Secundò, impugnatur à ponentibus infinitum responsio suprapositā, quia Deus debet accipere collectiuè totam primam seriem laterum, & totam secundā: nam potest dicere, hæc longitudo successiua non est illa, sed hoc non posset dicere, nisi accipiat vtramq; collectiuè, ergo debet ita accipere. Maior patet, minor probatur nam vt dicat, hæc non est illa, saltem debet videre aliquid in hac longitudine, quod non sit in illa, sed non potest hoc videre, nisi accipiat hanc, et illam collectiuè, totam ergo sic debet accipere. Maior videtur clara, minor probatur, nam quando dicit aliquid, quod est in prima longitudine, non est in secunda, vel videt totam secundam per modum vnius, vel non; si primum habeo intentum: si secundum non poterit facere illam propositionem, nam

designando vnum palmum nigrum, potest dicere nullus palmus secundæ est hìc, sed hoc dicere non posset nisi acciperet collectiuè secundam seriem, ergo potest ita accipere. Maior patet, minor probatur, nam quando dicit nullus palmus secundæ longitudinis, dicit ne nullus palmus totius secundæ longitudinis, an præscindit ab eius totalitate? si præscindit à totalitate, non potest facere propositionem vniuersalem negatiuam, quia nescit, an accipiat totum an partem, et consequenter nescit, an veniant singuli contẽti sub secunda serie, an aliquid solùm. Si cognoscit totalitatem, iam habeo intentum, & redit argumentum factum contra nos, quod vna totalitas sit maior alia.

Verùm hęc secunda impugnatio habet easdem ferè responsiones, & instantias, quas attulimus contra primam impugnationem, quare negamus minorem, ad eius probationem, dico non videri à Deo totam secundam longitudinem collectiuè, sed tamen videri singulas collectiones maiores, et maiores illius longitudinis, quæ natura sua est infactibilis, et inacceptibilis, nisi cum hac essentiali indeterminatione, vt qualibet facta possit fieri alia maior, nunquã deueniendo ad vltimam maximam; nego tamen hinc sequi, quod non posset Deus dicere, aliquid in prima longitudine non est in secunda, quia licèt non possit accipi tota secunda per modũ vnius, quia esset chymera, tamen cognoscit Deus, quod nihil primæ longitudinis erit in secunda, quia in nulla collectione finita, quam videt in secunda longitudine, apparet ipsi quidquã, quod sit in prima, et hoc scit, quia implicat, quod aliqua collocatio cuiusque rei finitæ ipsum lateat, cum ergo in qualibet parte primæ longitudinis non videat collocationem simul cum aliqua parte secundæ lõgitudinis, scit optimè, quod nulla pars primæ erit in secunda serie, quare siuè loquatur de prima longitudine, siuè dẽ secunda, nunquam accipit totam collectiuè, quia implicat, quod sit tota, vt probabitur; sed tamen accipit singulas collectiones, quæ in infinitum ponentur, quæ essentialiter exigunt, vt non detur ipsarum maxima, sed quęlibet sit maior antecedente, et minor subsequente, et hoc in infinitum, quod explicatur per negationem, vt scilicèt de nulla dici possit, hæc est vltima collectio, quam ponet Deus. Pariter contra hanc impugnationem facit instantia suprafacta de infinito essentialiter syncategorematico in tempore finito, quod Deus poterat ante hunc diem creare.

Tertio impugnatur ab ijsdem, nam duratio Michaelis est vnum indiuiduum durationum, nec enim sunt plures durationes, sed vna

vna. Deus autem debet cognoscere singula indiuidua realia, ergo debet cognoscere totam durationem Michaelis, quæ sibi est præsès perfectissimè, vt vnum indiuiduum, ergo cognoscit per modum vnius, nec enim illa duratio potest accipi distributiuè, quia tunc acciperentur partes illius, de quibus non verificatur, quod sit illud indiuiduum. Idem dico si Deus crearet vnam trabem succeſſiuè, ita vt singulis horis adderet illi vnum palmum, hæc quantitas futura est vnum indiuiduum infinitum habens existentiam cum ipso Deo, ergo debet illam cognoscere per modum vnius.

Sed hæc impugnatio neque est efficax, dico enim durationem Michaelis esse vnum indiuiduum indeterminatè maius, vel minus prout accipitur tempus, quo durauit, nam duratio eius vsque ad hunc diem est vnum indiuiduum; duratio eiusdem vsque ad cras, est aliud indiuiduum maius durationis, & sic semper poterit accipi pro singulis diebus, & momentis maius, & minus indiuiduum semper crescens per succeſſionem nouę durationis in infinitũ, & quodcumque ex his cœxistit Deo, sed non cœxistũt adæquatè inter se, cum duratio Michaelis vsque ad hunc diem non coexistat adæquatè cum eiusdem duratione vsque ad annum futurum, sed inadæquatè, quia hæc duratio esset pars fluens illius, quæ supra iftam dicit etiam annum futurum. Quodlibet ergo indiuiduum durationis Michaelis est præsens Diuinæ æternitati, sed cum ex illis nullum sit infinitum, sed quodlibet finitum, maius quidem antecedente, & minus consequente, & hoc essentialiter habeat duratio creaturæ, nulla durationis creatæ infinitudo categorematica coexistit Deo, sed solùm infinitudo syncategorematica; infinitudo autẽ syncategorematica rei futuræ non dicitur partim actu partim potẽtia respectu Diuinæ durationis, quæ indiuisibiliter in se coexistit durationibus diuersis inter se, sed dicitur partim actu partim potẽtia, accipiẽdo collectionẽ quãlibet ipsius, quia scilicet quęcũq; accipiatur actu est talis, vt restẽt aliæ maiores, & maiores adhuc in potentia; dixi, accipiatur actu, vt possunt accipi res essentialiter succeſsiuæ, nẽpe vel secundũ vltimũ suũ complemẽtum, dicẽdo v. g. nunc est durationquinquaginta annorũ Petri, quia nunc sunt cõpleti quinquaginta anni Petri, vel secũdũomnes suas partes quinquaginta annorũ per modũ vnius, quocunq; enim modo actu accipiatur, semper restat futura adhuc duratio maior, & maior in infinitum. Verùm igitur est nullum esse futurum indiuiduum durationis Michaelis, quod non coexistat Diuinæ æternitati, sed ex hoc non probatur esse futurum aliquod indiuiduum durationis

Michae-

Michaelis infinitum categorematicè, sed esse futurum maius, & minus, & consequenter Deus non potest videre nisi individua talis durationis maiora, & maiora in infinitum, sed nullum ex illis infinitum. Cęterùm de cœxistentia cum Diuina æternitate infra similiter decretũ Dei de duratione eiusdem Michaelis vult, & decernit illi durationem syncategorematicè infinitam, quæ nunquã cesset, adeoque sit semper maior, & maior in infinitum. & ita decernit individua durationis syncategorematicè infinita, hoc est singula finita, sed maiora in infinitum, ad quod sufficit vnum decretum.

Quartò, Impugnatur, quia omnia futura sunt obiectum adæquatum, & perfectè mensurans cognitionem creatam Christi Domini vel si hoc neges, sunt obiectum adæquatum scientiæ visionis diuinæ (æque enim valet argumentum) hoc autem prædicatum, quod scilicet sit obiectum adæquatum, non potest prædicari distributiuè de singulis futuris, singulæ enim creaturæ futuræ non sunt obiectum adæquatum cognitionis Christi, sed partiale, quare omnes per modum vnius acceptæ debent esse obiectum adæquatum.

Neque dicatur obiectum adæquatum cognitionis Christi Domini sunt creaturæ futuræ non tot quin plures, non autem omnes collectiuè acceptæ; nam contra est, quia quando dicis non tot quin plures, vox illa, plures, accipit ne omnes reliquas, vltra quas alias nõ possit accipi supra illas significatas per vocem, tot? si non accipit omnes, non potest competere hoc prædicatum, quòd nẽpe sit obiectum adæquatum cognitionis Christi, nihil enim datur vltra obiectum adæquatum; si ita accipit, iam accipit collectiuè, & determinatè, quia scit vltra illas non esse alias acceptibiles.

Sed facilis est responsio ad hanc impugnationem considerando obiectum adæquatum cognitionis creatæ Christi Domini non esse singula futura, sed esse omnia futura eo pacto, quo sunt futura. Vbi aduerte, quod vox, omnia, est indifferens ad sensum collectiuum, & distributiuum, & benè verificatur omnes Apostoli sunt duodecim, vbi sensus est collectiuus, & bene etiam verificatur omnia tempora finita possibilia existere ante hanc diem, sunt maiora, & maiora in infinitum, quæ propositio non potest verificari in sensu collectiuo, vt patet; ergo verificatur in sensu distributiuo qui competit infinito syncategorematico, & explicatur bene per propositionem negatiuam, quod nullum sit tempus finitum possibile existere ante hunc diem, quod non habeat aliud possibile tempus maius se.

Di-

Digitized by Google

Dices, cognitio simul cognoscit omnia obiecta futura, ergo accipit collectiuè, & categorematicè. Probatur consequentia, nam syncategorematicum essentialiter dicit partim actu, & partim potentia, & cognitio eodem modo tendit in obiecta, siue actu sint, siue potentia, adeoque omnia colligit simul simultate cognitionis.

Respondeo verum esse, quod cognitio simul tendat in omnia obiecta nullo relicto; adeoque non est vllum obiectum in potentia, vt cognoscatur, sed non idcirco cognoscit collectiuè, & per modum vnius determinatè; dupliciter enim potest cognitio simul cognoscere omnia futura, seu possibilia, primò si sint futura omninò simul, vel possibilia omnia simul (loquor de simultate, vel successiua, sicuti est vna duratio, vel permanente) & tunc cognitio dicitur collectiuè ea cognoscere. Secùdò si ea omnia nõ sint futura simul, vel non sint possibilia esse simul, & tũc cognitio nõ dicitur ea omnia cognoscere, collectiuè nõ quidẽ quod in aliqua tẽdat, & in aliqua non tendat, hæc enim esset imperfecta cognitio, sed, quod nõ cognoscat aliquod vnum certum complectens omnia, sed quod simul cognoscat indiuidua maiora, & maiora in infinitum, sicuti sunt futura, seu possibilia; cum enim loquendo de futuris, semper in totam æternitatẽ singulis diebus creaturæ existentes sint plures, quamuis semper finitæ, nec vllus est dies in quo euadant infinitæ, cognoscit Christi cognitio simul illas multitudines creaturarum, quæ habebunt existentiam singulis diebus, esse maiores, & maiores, et cognoscit non dari vltimam omniũ maximam, quare partim actù, & partim potentia non se tenent ex parte cognitionis, quasi partim cognoscat actu, et partim cognoscat potẽtia, sed ex parte obiecti, quod nulla multitudo possit accipi, quin sit possibilis, imo etiam futura respectu illius alia maior.

Dices secundò. Præscindamus ab omni assignatione temporis futuri, peto simpliciter, quod est obiectũ, quod cognoscit Christus Dominus vt futurum, præscindendo ab isto, vel illo die, qui potest assignari?

Respondeo obiectum futurum non esse vllam collectionem determinatam, & si hoc supponis, petis principium; supponis enim, & non probas posse accipi per modum vnius, quod ego nego posse esse, et posse accipi; dico ergo non posse accipi futurum, vt vnum adæquatum, quia est de essentia ipsius futuri non esse vnam totã adæquatam durationem rerum, sed esse durationem semper maiorem in infinitum, vnde non possumus loqui de futuro sinè aliqua assignatione temporis saltem indeterminatè hoc est non assignando

Digitized by Google

gnando hunc, vel illum diem in particulari, sed dicendo, futurum est, quod facta qualibet assignatione durationum, adhuc erit semper vlterius, quia talis est essentia futuri, vt non sit totum, nec vnquam verificetur esse totum actu, et in hoc habemus instantiam manifestam suprapositam: nam peto ab aduersarijs. Deus cognoscit ne tempus finitum possibile de præterito ante hūc diem? Non possunt negare. Rursus peto, cognoscit ne totum et præscindendo ab omni assignatione durationis? Si affirment, certè illud erit finitum, et infinitum. Finitum, quia de illo quæro. Infinitum, quia aliter non esset totum; si enim fuisset finitum, potuisset Deus aliam diem illi addere. Si negent, bene dicunt, sed ne mirentur, quod idem ego dicam de futuro. Nam si semel non est absurdū, quod Deus aliquod obiectum cognoscat non per modum vnius, sed per indeterminatas assignationes, quia obiectum est quid essentialiter indeterminatum, vt manifestè probatur; non potest hoc accipi, vt absurdum contra me, si idem dico de quocunque obiecto; nisi aliunde oſtēderint aduersarij per rationes positiuas quodlibet obiectum non esse tale, quoad hoc, quas rationes positiuas non habent, sed solùm probant per cognitionem Diuinam, vel Christi Domini, et non animaduertunt quoad hoc habere instantiam soluendam ab omnibus.

Respondebis ad has, & alias instantias, quod quotiès aliquis terminus supponit essentialiter indefinitè, et indeterminatè pro aliquo obiecto, quod ex se nullam dicit determinationem, quod sit hoc potius, quàm illud, et præterea positiuè dicit posse dari aliud supra se significatum eodem nomine, quotiès inquam, aliquis terminus est talis, toties non potest coniungi cum alio termino, qui significet determinationem obiecti, sed semper debet significare indeterminatè; talis est hic terminus, quantitas finita, non enim determinat hanc potius, quàm illam quantitatem, et præterea essentialiter dicit posse dari aliam quantitatem finitam supra quamcunque finitam, quæ accipiatur, ergo hic terminus non potest coniungi cum hoc alio termino, tota, quia terminus, tota, dicit omnimodam determinationem, et non dari aliam quantitatem finitam supra se, quare isti duo termini, tota quantitas finita, faciunt chymæram, quia comprehendunt simul duo contradictoria, nempe quantitatem, quæ possit, et non possit habere aliam supra se, ex eo enim, quod sit tota, non potest vltra dari alia, ex eo, quod sit finita, potest.

Similiter diuisio quantitatis posita diuisibilitate in infinitum est termi-

terminus indeterminatè significans, & præterea dicit essentialiter posse dari aliam maiorem diuisionem; quare non potest coniungi cum alio termino, qui significat non posse dari aliam diuisionē, sed hoc ipso, quod dicatur diuisio quantitatis essentialiter importatur posse dari aliam maiorem diuisionem, quare Deus non potest facere totam diuisionem quantitatis, sed sicuti potest facere numerum maiorem quocunque dato numero finito sic etiam potest facere diuisionem quantitatis maiorem, & maiorem qualibet iam facta.

Eodem pacto si Deus cognoscit multitudinem finitam rerum finitarum non possum ponere alium terminum determinatum, v. g. totum, propter eamdem rationem, quia prior terminus, dicit essentialiter posse dari aliam multitudinem maiorem qualibet finita data, & tunc res se haberet, sicuti dicunt Aduersarij: esset enim terminus essentialiter syncategorematicus; Disparitas ergo ad exempla allata, & tota vis nostræ rationis consistit in eo, quod quando dico Deus cognoscit quamlibet multitudinem rerum futurarum apponendo etiam finitam, licèt ex parte huius termini, multitudinem possit venire hæc, vel illa, tamen ex vi illius termini quamlibet debet venire collectio omnium cognita collectiuè, significatur enim, quod Deus cognoscat quamlibet collectionem inclusam in hoc toto significato per illum terminum, rerum futurarum, aliter nescireț; Deus, an cognosceret quamlibet, nisi cognosceret collectiuè totam collectionem rerum futurarum. Sic etiam, vt verificetur, Deus cognoscit quamlibet quantitatem finitam, debet etiam cognoscere totam multitudinem quantitatum finitarū, quæ multitudo certè est infinita. Similiter vt cognoscat quemlibet numerum finitum debet cognoscere multitudinem infinitam numerorum finitorum, quia terminus, quemlibet, & similes non possunt verificari, nisi sit acceptibilis tota collectio illarum rerū, quæ cum disiunctione significantur per vocem, quemlibet, & similes: pari modo, vt Deus cognoscat quamlibet diuisionem quantitatis debet cognoscere infinitam multitudinem diuisionum: aliter non posset dicere cum veritate, & certitudine, quamlibet cognosco.

Hæc tamen responsio non satisfacit, nam si concedis semel, vt debes omninò concedere, quod totum tempus finitum possibile, existere ante hunc diem sit chymera, malè, & absurdè asseris Deū debere cognoscere collectiuè infinitas numero durationes, ita, vt singulæ sint finitæ; vt enim supradixi, ista collectio durationū

singularum finitarum esset chymæra. quia esset finita simul, & infinita, finita quidem, quia cum illæ durationes sint essentialiter tales, vt secunda sola non sit minor quàm prima, & secunda. quia essentialiter inuoluit secundam, non posset ea collectio esse infinita, nisi ratione alicuius sub ea contentæ; cum ergo omnes etiam per te sint finitæ, tota etiam collectio esset finita, & ex alio capite esset infinita, quia contineret durationes infinitas, maiores vna certa, vt patet ergo esset chymæra; quare hoc exemplo probatur etiam quod implicet accipere collectiuè omnes durationes finitas, sed solum sunt acceptibiles, vt quid essentialiter indeterminatum, & consequenter in hoc exemplo infriguntur omnia argumenta, quæ possunt fieri de alijs obiectis, in quibus non apparet ita clarè, quod debeant semper accipi distributiuè, & non collectiuè.

Idem rursus possumus explicare per vbicationem, nam Deus potest facere vbicationem finitam magis, & magis protensam, v.g. a puncto A, versus orientem, certè non potuit facere talem vbicationem omnium maximam, quia si esset finita, posset ea facere maiorem, si infinita esset contra suppositum; ergo solùm posset facere maiorem, & maiorem in infinitum syncategorematicè, & sine vlla determinatione, adeòq. istæ vbicationes finitæ possibiles, erunt essentialiter finitæ in infinitum. Probo autem, quod ex omnes nō possint accipi collectiuè. neque cognosci per modum vnius collectionis. Nam illa collectio vbicationum omnium per modum vnius esset finita simul, & infinita; finita quidem quia secunda vbicatio est distantia à puncto A, versus Orientem non minor se sola, quàm sit simul cū prima; ponamus enim primam vbicationem esse vnius palmi, secūda bipalmarem, hæ duæ vbicationes simul, vt hìc suppono, non sunt sicuti esset lignum A, palmare, & lignum B. bipalmare, quæ duo ligna, si simul accipiātur, faciunt tripalmare; ligna quippe sunt indifferentia, vt vnum collocetur post aliud, at talis vbicatio palmaris solùm habet extendi à puncto A, versus Orientem per palmum, & talis vbicatio bipalmaris haberet extēdi ab eodem puncto A, versus Orientem, per duos palmos, nec est saltem naturaliter (quod sufficit ad argumentum) transferibilis, vt collocetur post primam, adeòque est incapax, vt simul cū prima constituat distantiam tripalmarem à puncto A, versus Orientem; quare si simul accipiantur non habebimus maiorem distantiam à puncto A. sed solùm bipalmarem, quod totum habebatur à secunda vbicatione sola, ergo quamuis collectiuè cognoscerentur

cur omnes vbicationes tales, & essent infinitæ entitates penetratæ inadæquatè, non idcireò Deus videret aliquam infinitam distãtiam ab hoc puncto, protensam versus Orientem, ergo etiam posita cognitione collectiua videret distantiam omninò finitam. Loquor enim præcisè de distantia, seu extensione, quam videret videndo, per te omnes illas vbicationes collectiuè. Ex alio capite deberet esse infinita, quia si esset finita, iam dari posset alia finita maior illa, ergo non videbat omnes nulla relicta finita, quam non videret. Sicuti ergo ad hunc casum possibilem tenemur omnes respondere, quod Deus non potest videre collectiuè totam distantiam possibilem à puncto A, versus Orientem, quia distantia dicit duo pũcta extrema; implicat autem, quod ea sit maxima, quia esset finita habens extrema, adeoque Deus posset facere aliam illa maiorem; sed videt distributiuè maiorem & maiorem distantiam in infinitum, quia possibilitas obiecti est essentialiter indeterminata, & incapax determinationis, & omnimodæ collectionis; ad hoc autem sufficit, vt nulla sit possibilis distantia finita, quam non videat, & rursus, vt certò sciat verificari propositionem hanc vniuersalem negatiuam, ad quod sufficit necessitas inter creaturam, & diuinam cognitionem, sicuti enim est necessaria connexio inter risibilitatem, & rationabilitatem, vnde infertur nullum est risibile, non rationale, sic est necessaria connexio inter rem possibilem præscindendo ab ista, vel illa, & cognitionem diuinam, vt supradiximus.

Neque effugias vim huius, & antecedentis instantiæ, & aliarum similium dicendo, quod Deus collectiuè quidem cognoscit omnes vbicationes, quæ sunt infinitæ numero, at verò per hanc cognitionem collectiuam non cognoscit distantiam vllam collectiuè, quia licet videat infinitas, & eas colligat in ratione numeri, tamen eas non colligit, neque potest colligere in ratione distantiæ, quia, vt benè probat argumentum, illæ vbicationes non sunt capaces, vt coaloscant in vnam distantiam, quare etiam per eam cognitionẽ collectiuam omnium videt simul infinitas distantias numero, singulas finitas, et non facientes vnam longitudinem, sed varias maiores, et maiores.

Contra enim est, quia si Deus collectiuè videt illas omnes vbicationes, certè videt supra primam, quæ est palmaris additiones infinitorũ palmorum distantiæ ab ipso A, inter se non communicantes, nam secunda distantia bipalmaris, quamuis penetretur cũ primo palmo, primæ tamen parti addit secundum palmum, & tertia addit secundæ alium palmum, et sic de cæteris, quæ palmorum

additio facit semper quid maius in ratione longitudinis, et distantiæ à puncto A, cum ergo Deus videat collectiuè omnes illos palmos numero infinitos additos primo, videbit distantiam infinitã à puncto A, et idem dico de tempore, et durationibus; implicat autem distantia infinita ab aliquo puncto, vt supra dixi. Hoc ipsũ vt clariùs appareat certè in sententia Aduersariorum Deus posset creare infinitas cannas incipiendo à pũcto A, ita vt prima sit vnius palmi, et rubra, secunda duorum palmorum, et alba, tertia trium palmorum, et viridis, et sic in infinitum, ita vt quælibet canna vno palmo superet antecedentem, et tota sit vnius coloris diuersi à coloribus reliquarum, præterea istæ cannæ omnes penetrentur, et incipiant singulæ à puncto A, ita vt idem punctum A, sit initiũ singularum, Deus ergo videret longitudinem infinitam incipientem à puncto A, et procedentem versus Orientem, quæ constaret palmis versi coloribus. Quod esset infinita patet, nam palmi diuersi coloris ordine positi vnus post alterum sunt infiniti, sicuti sunt cannæ. Quod non esset infinita probatur, nam, vel hæc longitudo versicolor penetraretur adæquatè cum longitudine aliqua vnius coloris, vel non, si dicas primum erit finita, nam singulæ cannæ sunt longitudines finitæ, et de nulla ex illis verificatur, quod nõ habeat initium in pũcto A, et finem in eo palmo, quo excedit antecedentem: quare si tota lõgitudo versicolor adæquatè penetraretur cum aliqua longitudine vnius coloris esset finita, implicat enim longitudinem infinitam adæquari cum longitudine finita. Si dicas secundum, nempe non penetrari adæquatè cum vlla longitudine vnius coloris, sequeretur, quod, cum ea longitudo diuersicolor sit actu tota per se, et tota adæquatè non penetretur cũ vlla longitudine vllius coloris, remaneret aliquid de ea non penetratum cum vlla canna, quod etiam esset diuersi coloris; hoc autẽ implicat in casu posito, nam diuersitas colorum habetur à diuersis cannis, ergo implicat, quod remaneat aliquid diuersi coloris, quod non penetretur cũ sua canna concolore, imo quod remaneret non penetratum cum vlla canna esset infinitum; nam quidquid esset penetratum cum aliqua canna esset finitum, adeoque si tota longitudo diuersicolor est infinita, supereſt de eo supra id, quod est penetratum, id, de quo verificatur non est penetratũ cum vlla canna, quod certe esset infinitum superabundãs supra id quod est penetratum, ergo hoc argumentum de acceptione collectiua vim non habet probandi possibilitatem infiniti, cum soluendum sit ab aduersarijs in aliquibus obiectis, quæ sunt extra cõtrouersiã, quod

acci-

Digitized by Google

accipi nō possint, nisi distributiuè per plures & plures collectiones de quibus obiectis fieri possunt eædem propositiones, quæ videntur prima fronte non posse verificari sine aliqua collectione rerū infinitarum, sed tamen verificandæ sunt etiam per aduersarios, quamuis accipi non possint collectiuè.

Idem denique explicatur hoc alio exemplo. Creet Deus hodie palmum ligni, & collocet prope punctum A, die sequenti collocet idem lignum palmarè vno palmo distans à puncto A. versus Orientem, & sic faciat singulis diebus per totam æternitatē, ita vt singulis diebus distet magis à puncto A. per vnum palmum; Peto iam, videt ne Deus collectiuè omnes palmos, quibus per totam æternitatem distabit hoc palmum ligni à pūcto A, an solum videre potest hos palmos syncategorematicè, nempe videndo plures, & plures collectiones palmorum maiores, & maiores in infinitum, ita vt nihil videat collectiuè? Si dicis hoc secundū habeo intentum, & consequenter in hoc exēplo enerūātur argumēta, quæ fiūt ex diuina cognitione collectiua, & quod singulas partes cognoscat, & singulas collectiones in infinitum alicuius obiecti futuri: si dicas primum contra eſt, nam videret Deus vnam distantiam infinitam talis ligni à puncto A. implicat autem in terminis distantia infinita, quia distantia essentialiter dicit duos terminos, est enim relatio vnius extremi respectu alterius, quare implicat, quod Deus videat vnam infinitam distantiam huius palmi à puncto A, quod autem si videret collectiuè omnes palmos, quibus remoueretur lignum singulis diebus versus Orientem, deberet videre longitudinem, & distantiam infinitam: patet, nam illi palmi sunt vnus post alium, & consequenter faciunt vnum in ratione longitudinis, & præterea non sunt finiti numero, sicuti non sunt finiti numero dies futuri per totam æternitatem, ergo si faciunt vnum in ratione longitudinis. & distantiæ, & non sunt finiti. Certe si collectiuè possent accipi, conflarent distantiam infinitam, quod implicat, vt dictum est.

A R-

ARTICVLVS III.

Respondetur directè ab Aduersarijs difficultati iam facta contra infinitum, sed eorum responsiones impugnantur.

HVcusq. responsum est ab Aduersarijs, solùm retorquendo argumenta, vt ostenderent esse difficultatem æquè soluēdam à quacunq. sententia, quas responsiones satis impugnauimus, núc directè respondent difficultati propositæ, & similibus argumentis assumentes doctrinam P. Vasquez, quod scilicet in rebus infinitis, neque debeat dari maius, neque minus, neque æquale, nec possè verificari terminos, tot, & quot, totiès, & quotiès. Ratio est, quia huiusmodi termini sunt proprij quantitatis finitæ, & supponunt essentialiter terminationes ex vtraque parte longitudinis; cum ergo in infinito dari non possit terminus saltem ex vna parte non possunt adhiberi tales termini rerum finitarum imò aduersarij petunt principium, dum adhibent tales terminos, nisi aliunde probauerint debere illos adhiberi. Ad argumentum ergo suprafactum respondent, quod prima series est maior respectu secundę excessu continentiæ, non autem excessu correspondentiæ. Esse maioré excessu continentiæ significat, quod illa contineat, quidquid continet alia linea, et etiam aliquid aliud; sic prima continet omnes lateres albos, qui sunt in secunda, et etiã omnes nigros. Esse maiorem, quoad correspondentiam dicit præterea, quod possit assignari spatium in prima serie, cui non correspondeat secunda, talis autem excessus correspondentiæ solùm oritur in rebus finitis, prouenit enim ex eo, quod longitudo minor habeat vltimum terminum, vltra quem extendatur spatium lõgitudinis maioris, quod non potest admitti in infinito, quare potest dari infinitum maius alio quoad continentiam, non autem quod correspondentiam.

Sed contra est, nam prima longitudo continet verè secundam, et aliquid aliud; ponamus ergo primam lõgitudinem penetratam cum secũda, et quod vtraque incipiat ab eodem puncto; tunc sic argumentor. Prima longitudo continet totam secundam, et aliquam aliam longitudinem, sed illam aliam longitudinem non po-

test

teſt continere niſi collocatam poſt totam ſecundam, non enim cõtinet illam ante ſecundam, cum incipiat ab eodem puncto, neque iunt a ſecundam. vt patet, ergo vltra ſecundam, et conſequenter ſecunda longitudo iam eſſet terminata, cum vltra illam de facto detur alia longitudo.

Reſpondent tamen diſtinguendo maiorem. Prima longitudo continet ſecundam acceptam per modum vnius longitudinis cõtinuæ, nego, continet ſecundam acceptã per partes diſcretas concedo et diſtinguo minorem non poteſt continere aliam longitudinem, niſi collocatam poſt ſecundam, ſi prima contineret ſecundam tanquam vnam continuam longitudinem concedo, ſi contineat ſecundam per partes diſcretas, nego, et negatur conſequentia. Dicũt ergo, quod longitudo non continet ſecundam acceptam, vt eſt vna longitudo continua, quia hoc pacto bene probat obiectio, quod finiretur ſecunda longitudo, cum poſt ipſam eſſet accipere aliam longitudinem, cum ergo vtraque longitudo ſit finè fine. nõ poteſt poſt totam reperiri aliquid aliud; illa enim vox, poſt, diceret finem ſecundæ longitudinis, adeoque ſi hæ duæ longitudines acceptæ in ratione longitudinis continuæ eſſent penetratæ ex vna parte, neutra eſſet maior alia, vel minor (hoc enim ſonaret correſpondentiã) neutra eſſet contenta, ſeu contineret aliam in ratione vnius longitudinis; at verò ſi accipiantur partes diſcretæ ſecundæ longitudinis, non quidem vt faciunt vnam longitudinem collocatæ vna poſt aliam, ſed quatenus ſunt longitudines palmares numero infinitæ, et interruptæ à lateribus nigris, dico, quod hoc pacto continentur à prima longitudine, et ita prima longitudo habet omnes hos lateres ſecundæ non collocatos in vna longitudine, ſed alternatim, et diſcretè diſtributos, et præterea habet aliquid aliud, nempè lateres nigros: iſte autem modus continendi bene datur in vno infinito reſpectu alterius, nec vllam arguit finitatem terminorum.

Quod ſi dicas ſecundò, Vbicatio ſecundæ magnitudinis per modum vnius habet æquiualere omnibus vbicationibus diſcretis palmorum alborum, vt patet, ergo non habet penetrari cum tota vbicatione primę ſeriei, quia illi non æquiualet.

Reſpondent diſtinguendo antecedens vbicatio ſecundæ longitudinis habet æquiualere omnibus vbicationibus palmorum alborum, hoc eſt habet vbicare eoſdem palmos, quos illæ vbicant, concedo, habet æquiualere in modo vbicandi, nego, et negatur conſequentia; licet enim vbicatio continua ſecundæ longitudinis

ſolum

ſolum vbicet palmos albos, non tamen vbicat eodem pacto, quo eoſdem palmos vbicant vbicationes diſcretę, quia illæ nō conſtant infinitam longitudinem, ſed infinitas numero longitudines palmares. Hæc autem ſecunda vbicatio habet eſſentialiter facere vnam longitudinem; ecce diuerſum modum vbicandi, in quo ſecunda vbicatio non æquiualet diſcretis vbicationibus palmorum alborum.

Quod ſi adhuc dicas, ſequeretur, quod palmi albi ſecundo poſiti, et penetrati cum prima ſerie per vnicam longitudinem occuparent omnia ſpatia eorundem palmorum alborum, quę habentur diſcrete in prima ſerie; et præterea occuparent ſpatia palmorum nigrorum; quare idem corpus non rarefactum occuparet eadem ſpatia, quæ prius, et præterea alia infinita ſpatia, quod videtur maximum abſurdum.

Reſpondent cum diſtinctione, quod idem corpus occuparet eadem ſpatia, quæ prius, et alia præterea, quæ ſimul facerēt aliquod ſpatium maius, quoad correſpondentiam, nego, quæ ſimul faciant aliquod ſpatium maius, quoad continentiam, concedo. Abſurdum ergo eſſet ſi idem corpus ſinè rarefactione occuparet ſpatium maius, quoad correſpondentiam, quia tunc poſſet aſſignari totum ſpatium, cui corpus eſſet æquale, et vltra illud ſpatium aſſignaretur aliquid aliud, hoc enim eſt occupare maius ſpatium, quoad correſpondentiam, quia in infinito datur hæc proprietas, vt poſſit collocari diuerſis modis ſemper ſine fine: vnde ſequitur, quod lateres albi, ſi rodigantur in vnam longitudinem occupent ſpatia priora diſcretè accepta, et præterea ſpatia nigra etiam diſcretè accepta.

Verùm, vt ſemel hæc diſtinctio, quoad correſpondentiam, et quoad continentiam impugnetur efficaciter: dico eam inuoluere contradictionem in ipſis terminis, nam omnis correſpondentia eſt fundata in ipſis entitatibus rerum; in tantum enim datur, vel non datur à parte rei correſpondentia inter A, et B, quia A eſt hęc entitas, et B eſt alia entitas, eſt enim relatio, ſeu prædicatum quodcunque fundatum in ipſa entitate rei, ſi ergo entitas primæ ſeriei habet totam entitatem ſecundæ in ſe, et præterea alias entitates infinitas, diuerſo modo correſpondent, quàm correſponderent, ſi haberet prorſus eandem entitatem ſolam, quàm habet prima, iſta enim diuerſitas correſpondentiæ eſt in ratione maioritatis: eſſe enim longitudinem maiorem, quoad entitatem non poteſt negari illi entitati, quæ habet totū id, quod habet alia, et præterea aliquid

aliquid aliud; hoc enim intelligimus nomine maioris, & idcirco totum est maius sua parte, quia continet partem, & aliquid aliud, est ergo prima longitudo quoad entitatem realem sit maior secunda, quo pacto non est maior quoad correspondentiam, quæ essentialiter fundatur in ipsa rerum entitate?

Neque dicas correspondentiam fundari simul in entitate, & finitudine, cum autem non est finis, licet sit plus entitatis, non tamen dari maioritatem, quoad correspondentiam, quia deest finis: nam contra est, quia ob idipsum ostenditur implicare negatio finis in lõgitudine, quæ habet minus entitatis, quàm alia; hoc enim ipso, quod longitudo secunda habet in se minus entitatis, debet minus correspondere in longitudine respectu primæ longitudinis, quæ habet plures partes longitudinis realiter, quàm habeat secunda. Esse enim maiorem primam lõgitudinem, quoad correspondentiam nihil est aliud, nisi quod tota prima lõgitudo accepta secundum suam realem entitatem sit longitudo constans aliquibus partibus facientibus longitudinem simul cum omnibus partibus secundæ longitudinis; sic enim prima longitudo habet esse totum in ratione vnius longitudinis respectu secundæ, ergo habet illi correspondere tanquam totum respectu partis. Cum ergo hæc realitas primæ longitudinis sit verè vna longitudo, & sit totũ respectu realitatis secundæ longitudinis, quæ etiam per suam realitatem est verè vna longitudo, prima longitudo debet illi correspondere, vt totum, & secunda debet illi correspondere vt pars, prout tales longitudines realiter sunt, sed nõ potest intelligi, quod vna longitudo, vt realiter talis est, sit realiter totum respectu alterius realis longitudinis, quæ sit realiter illius pars, quin intelligatur longitudo minor finita, & quod vltra illam magis extendatur longitudo maior, quæ vt vna, & talis est, verè est totum respectu alterius; ergo malè ponitur non habere finem ab aduersarijs, si tenentur concedere plures esse partes vnius longitudinis, quàm alterius.

Neque facit quidquam quod partes secundæ longitudinis sint alternatim, & discretè positæ in prima longitudine, & non vna post aliam, non enim propter hoc prima longitudo est minus habens de sua longitudine locali, & minus totum respectu secundæ longitudinis; sufficit enim, quod illę partes discretè positæ conflant verè, & realiter componant primam longitudinem, eamque augeant realiter in ratione longitudinis: verificatur enim de prima longitudine, quod realiter habeat multas, imo infinitas partes verè, &

rigorosè constituentes eius longitudinem præter partes primæ longitudinis, adeoque in ratione totius lõgitudinis etiam per modum vnius longitudinis acceptæ, habet correspondere ipsi secundæ per modum maioris, & longioris. Quarè si partes secundæ lõgitudinis ex eo, quod ponatur in prima discretè, et alternatim non concurrerent ad eius longitudinem constituendam, benè respondent Aduersarij, at cum omninò concurrant ad eius longitudinem constituendam non effugitur, quòd realiter debeat correspondere, vt maior prima lõgitudo respectu secundæ: videtur autẽ prima notio nota lumine naturæ, quòd vnam longitudinem esse realiter longiorem alia, dicat excessum supra illam quatenus vna longitudo est, aliter non esset maior quatenus est vna longitudo, & in ratione vnius longitudinis.

Secundo impugnatur eadem distinctio, & simul ostenditur implicantia infiniti; nam ponat Deus infinitos homines actu, & annihilet oculos eorum siniſtros, remanebunt solùm oculi dexteri, deinde distribuat illos oculos singulis, ità vt vnus collocetur in parte dextera alter in siniſtra, vel hi oculi dexteri sufficiũt pro singulis hominibus in tali casu existentibus, si ità distribuantur, vel non, neutrum dici potest, ergo implicat talis casus. Si dicas non distribui omnes, ergo remanebunt aliqui homines, sine duobus oculis facta tali distributione, adeoque erunt pauciora binaria oculorum quoad correspondentiam, quod est contra distinctionẽ aduersariorum negãtium maioritatem quoad correspondentiam in infinitis. Præterea probatur positiuè debere ea distributio sufficere pro omnibus, primo quia si positi fuerint illi homines infiniti vnus post alium facientes vnam seriem incipientem à puncto A, versus orientem; & fiat distributio oculorum dexterorum, ita vt simul singulis hominibus dentur bini oculi incipiendo ab eo, qui est in puncto A, & procedendo versus orientem, si binaria horum oculorum non sufficient, pro omnibus hominibus, aliqui habebunt duos oculos, et aliqui non, adeoque erit post punctum A, vna series infinita hominum habentium duos oculos, post quam seriem sequetur alia series hominum non habentium duos oculos, et ita prima series erit realiter finita, et vtrimque terminata, nam ex vna parte habebit punctum A, ex alia seriem realem hominum non habentium duos oculos, qui duo termini reales claudent infinitam seriem in infinita longitudine dispositam. Secundo adhuc probatur etiam si negaretur posse eos hominines disponi per vnã longitudinem (sicuti dicunt ij, qui concedunt infinitum in numeris

ris, sed negant in longitudine) nam Deus videt per aduersarios collectiuè homines creandos, si decerneret creare singulis diebus hominem vnum per totam æternitatem, adeoque videret collectiuè omnes oculos dexteros ipsorũ; peto iam, si Deus ex hac massa, et collectione oculorum dexterorum daret singulis hominibus duos oculos incipiendo ab homine, quem creat hac prima hora, videt bene sufficturos hos oculos, vt omnibus hominibus creãdis pro singulis diebus incipiẽdo ab hac hora sufficiant, si dentur bini; vel videt, quod nõ sufficiãt; si videt, quod sufficiant, habeo intentũ mei argumenti, quod nempe soli oculi dexteri eorundem hominum sufficiant in aliqua distributione, vt dentur bini singulis hominibus, itaut nullus remaneat, qui binos ex illis non sit acceptarus; si videt non sufficere, ergo videbit eam collectionem hominum, quibus sufficiunt illi oculi, si dentur bini, & post eam videbit aliam collectionem hominum, quibus non sufficiant; si enim videt aliquem, vel aliquos futuros ex illis hominibus, quibus non poterunt dari bini oculi (cum omnibus nõ sufficiant) certè ille, vel illi homines erunt post eam collectionem infinitam hominum, qui duos oculos habebunt, adeoque erit talis collectio ex vno capite infinita, at ex alio inclusa duobus terminis temporarijs, nempe hac hora, et illa, vel illis, horis, in qua, vel in quibus creabitur ille homo, vel creabuntur illi homines, quibus non sufficiunt bini oculi, certè enim illi homines creandi sunt de facto, vt supponit casus; ergo in aliqua hora, vel horis, antequas præcesserunt horæ infinitæ incipientes ab hac hora; quare demonstratur satis euidẽter, negari non posse, quod oculi soli dexteri possent taliter distribui illis hominibus, vt singuli recipiant actu binos, et nullus sit, qui binos non habeat. Restat iam altera pars minoris probanda, nempe, quod sit absurdũ oculos solos dexteros dari posse singulis hominibus, ita vt omnes obtineant binos, alterum collocatum in parte dextera alterum in sinistra. Probatur autem esse absurdum, nam, cum omnes homines careant oculo sinistro, omnes nullo excepto debent accipere vnum oculum ponendum in parte sinistra, debent autem accipere ab eadem collectione hominum; vel ergo singuli homines illius totius collectionis nullo excepto erunt dãtes, sicuti necessario omnes sunt accipientes, vel non; vtrunque autem est eodem pacto absurdum, nam si dicas non omnes esse dantes oculum suum cum ipsis creatum, et non annihilatum; certè vna infinita collectio erit dans, altera erit non dans; aliqui enim debent dare, qui cum finiti esse non possint, vt patet erunt infiniti,

Isti ergo infiniti, qui dant contradistincti à non dantibus, debent carere eo oculo, quem dant, implicat enim dare alteri, et eo non carere, nisi ponatur oculus replicari, quod est contra suppositionem, ergo cum hi omnes dent, et consequenter ex hoc ipso, quod dent, careant oculo dextero, debent consequenter accipere non solùm oculum pro parte sinistra, sed etiam alterum pro parte dextera, quare omnes isti dantes debent recipere à se ipsis, hoc est ab eadem reali collectione hominum, quæ dat, non solùm oculũ pro sinistra, sed alterum pro dextera, adeoque omnes hi sunt dantes vnum pro sinistra illi collectioni, quæ nihil daret, et sunt accipientes sibi duos alterum pro dextera, alterum pro sinistra. Quid ergo erit absurdius, quàm quod de eadẽ reali multitudine infinita verificetur, quod singuli dent vnum (duos enim oculos nemo poterit dare, cum vnus, nempe dexter sibi remanserit) nullo excepto, et singuli nullo excepto recipiant duos ab ijsdem solis eiusdem collectionis, in qua singuli essent dantes vnum solùm, et ab ijsdem solis dantibus vnum solum, singuli eiusdem collectionis essent accipientes duos, dare autem, et accipere sunt essentialiter correlatiua, et correspondentia, adeoque implicat, quod singuli eiusdem multitudinis accipiant realiter binos oculos à singulis eiusdem multitudinis, et non ab alijs, et non respiciant singulos nisi dantes vnum oculum, et non duos.

Idem, absurdum sequitur si dicas ad argumentum suprafactum, omnes prorsus homines esse etiam dantes, quia si dant omnes, debent carere etiam dextero, quia non possunt aliud dare, nisi illam; ergo omnes debent accipere binos, et sic redit argumentum.

Tertio impugnatur eadem solutio, quia spatium imaginarium, quod occupatur à toto, implicat, quod occupetur ab eius parte, nisi rarefiat; hæc autem implicantia sequeretur per aduersarios, tum quia lateres albi etiam soli (loquor de casu posito in primo argumento) possunt occupare spatium imaginarium occupatum ab ipsis albis, et nigris simul, tum quia, vt probaui, oculi soli dexteri possent occupare spatium totum, quod occupabant prius ijdem oculi dexteri, et sinistri, oculi autẽ dexteri, et sinistri simul sint quod dam totum realiter, cuius pars sunt soli oculi dexteri; quod autẽ implicet spatium totius posse occupari à sola parte non rarefacta, vt suppono, probatur. Nam spatium imaginarium occupatum prius à solis oculis dexteris fuit pars spatij imaginarij occupati ab oculis sinistris, et dextris simul; totum enim spatium amborum oculorum includebat realiter spatia imaginaria, occupata ab oculis

Digitized by Google

lis dexteris,& alia ſpatia diuerſa occupata ab oculis ſiniſtris, quo pacto per nouam diſtributionem ſoli oculi dexteri occupāt poſtea illud idem ſpatium imaginarium, quod occupabatur prius,& præterea aliud ſinè rareſactione? diuerſa enim diſtributio, & collocatio oculorum non facit, vt ſinguli oculi plus, vel minus occupent de ſpatio imaginario, ſed quomodocunque ponantur, niſi rarefiāt, vel condenſentur, ſemper occupant idem prorſus ſpatium, ſi ergo ſingulæ partes, nempe ſinguli oculi in quacunque diſtributione, & collectione ſemper occupant idē ſpatium imaginariū totū ab ipſis occupatū ſemper eſt idem, ad hoc enim, vt totum ſit ſemper idē, ſufficit, vt nulla ex partibus ſit mutata; ſicut ergo eſt idem totum oculorum dexterorum, ſiue hìc, ſiue alibi collocetur, quia ſinguli oculi in ſe ſunt ijdem, neque vllus mutatur, ſic etiam ſpatium imaginarium totum erit idem, quia ſingula ſpatia oculorum imaginaria non mutantur, ſed ſemper ſunt eadem, & eiuſdem mēſuræ; quomodo ergo eſt intelligibile, quod ijdem oculi occupent totum idē ſpatium imaginarium, quod prius occupabant, & aliud præterea, etiam infinitum? Qua ratione poſitis ijſdē prorſus partibus æqualibus ſpatij poſſunt fieri duo tota ſpatia, quorum vnum contineat infinitas alias partes ſpatij, quas alterum totum non contineat? Sic autem eueniret in oculis dextris. Occuparent enim poſt diſtributionem ſpatium totum, quod occupabant prius, & præterea aliud infinitum, & tamen ſingula ſpatia imaginaria ſingulorum oculorum ſunt prorſus eadem, hoc eſt eiuſdem menſuræ omninò inuariatæ.

Denique impugnatur hæc ipſa diſtinctio, quia eſt principium lumine naturæ cognitum, quod ſi A, non eſt maius, nec minus reſpectu B, & C eſt maius reſpectu A, ipſū C ſit etiā maius reſpectu B. Implicat enim duo reſpectu tertij ita ſe habere, vt neutrū reſpectu illius ſe habeat, vt maius, & inter ſe vnum ſe habeat vt maius, illud quippe, per quod ſe habet vt maius reſpectu illius, cogit, vt ſe habeat, vt maius reſpectu tertij. Quid enim abſurdius proponi poteſt intellectui, quàm maius, & minus in ſe, ſe habere reſpectu tertij eodem pacto, nempe vtrumque nec eſſe maius, nec eſſe minus reſpectu illius, non ſolùm quoad correſpondentiam, ſed etiam quoad continentiam? Quod autem hoc ſequatur in infinito categorematico probatur, ſiue infinitū ſit in numeris, ſiue in longitudine, creet enim Deus duo infinita Angelorum, & alterum ſit A, alterum B, certè ſi cōparētur inter ſe, neutrum poterit dici maius, nec minus reſpectu alterius iuxta principia rectè philoſophantium

tium de infinito, Auferat autem Deus ab infinito B. aliud infinitum, quod appello C. Profectò si comparetur hoc infinitum C. cũ infinito A, non erit maius, nec minus illo, neque quoad correspõdentiam, quia per aduersarios poterit æquè benè illi correspondere, neque quoad continentiam, quia neque infinitum C. continet quidquam de infinito A, nec A, continet quidquã de C. adeoque si comparentur inter se A, & C. neutrum respectu alterius erit maius neutrum minus (non dico erunt æqualia, quia aduersarij negant æqualitatem inter res infinitas, eò quod æqualitas sonet terminationem) at verò si comparetur infinitum B. cum infinito C. erit maius quoad continentiam, quia continet omnes Angelos, qui sunt in C, & præterea illos non ablatos, ergo infinitum B. erit maius C, & tamen non erit maius neque quoad continentiam, neque quoad correspõdentiã cum infinito A, quare verificabitur B, & C, si comparentur cum vno tertiò A, neutrum esse maius, nec minus illo, neque quoad continentiam, neque quoad correspondentiam, & tamen si eadem B. C. comparentur inter se alterum esse maius altero quoad continentiam, alterum esse totum, & alterum esse partem,

Neque dicas B. esse maius A, quoad continentiam virtualem eo, quod sit maius quoad continentiam realem; & C. non sit maius ipso A, nam sequeretur, quod etiam infinitũ A, esset *maius* quo ad continentiam virtualem ipso B, nam infinitum A, est maius quoad continentiam realem se ipso, si ab eo auferantur mille Angeli, & tamen infinitum A, sinè mille Angelis non esset maius, neque minus infinito B, ideoque sequeretur idem infinito A, respectu B, implicat autem, quod idem sit maius, & minus, etiam quoad continentiam virtualem respectu eiusdem, vt patet.

Dices cum P. Fasolo de infinito dubitatione 4. numero 4. infinitum non esse capax augumenti, quare quidquid addideris semper restat vt prius, quia est incapax, vt augeatur, sicuti si Diuinæ sapientiæ addatur creata non fit maior sapientia, quia non est capax augumenti, & si lineæ addatur punctum non fit maior, quia non est capax augeri per punctum iuxta sententiam Aristotelis.

Sed contra est, quia, vt benè notauit Durandus est per se notum lumine naturæ id, quod continet totum id, quod continet aliud, & præterea aliquid aliud esse quid maius, & fundatur in eo principio omne totum est maius sua parte, hoc ipso autem, quod aliquid duo includit, sunt illius partes in eo sensu, in quo illa duo inclu-

Digitized by Google

includit, ergo plus sunt illa duo, quam vnum ex illis; cum ergo infinitis Angelis addo decem; maior est ea realis multitudo cuius partes sunt, altera infinitum, quod erat prius altera illi decem additi, qui certè multitudinem faciunt cum illis, qui erant.

Nec ratio, & exempla quidquam faciunt, Nam admitto, quod aliquid non sit capax augumenti in aliqua ratione, vel quia ratio illa consistat essentialiter in indiuisibili, vt est diuina sapientia, quę consistit in eo, quod nulla sit excogitabilis perfectio sapientiæ, quæ eminentissimo modo in ea non sit, vel quia id, qūod additur est diuersæ rationis, & consequenter nō potest facere vnū specie cum eo, quod inuenit, sic calori si addas albedinem, non facis maius calidum, sic si diuinæ sapientiæ addas creatam, quæ magis differt specie à diuina sapientia, quàm albedo à calore, licèt eodem nomine appelletur non facis magis sapientem. Similiter si addas punctum lineæ, quæ est diuersissimè rationis à linea, nec vllam obtinet longitudinem, non facit lineam longiorem. At omninò nego, quod addere alia indiuidua (præsertim eiusdem omninò speciei) alicui multitudini non faciat maiorem multitudinem, quia multitudo solùm habetur per ipsa entia realiter distincta, vnde diuina sapiētia, & creata essent etiam plus in ratione multitudinis, quàm sola diuina, & linea cum puncto, essent plura entia, quàm sola linea; ergo multò magis infinitudo Angelorum A, cum alijs mille essent plura entia, quàm soli Angeli A,

Præterea hæc ipsa responsio in terminis repugnat in sententia eiusdem Auctoris, nam ipsa multitudo infinita Angelorum habet suas partes quibus constat, & singuli Angeli tanquam partes illam componunt, si enim nō componerent tanquam partes, posset Deus annihilare singulos, & adhuc remaneret infinitudo, & multitudo illa, quia non annihilaret partes ipsius, si ergo singuli sunt partes, in tantum possunt esse partes, in quantum componunt, ergo in quantum vnum alteri additum facit maiorem multitudinem, quomodo ergo si vnus Angelus est pars infiniti reliqua collectio, cui est adiunctus hic idem non erit alia pars, adeoque tota collectio A, erit maior, quam sua pars reliqua licèt infinita ob vnum Angelum adiunctum illi; cum omne totum sit maius sua parte, vt lumē naturæ dictat euidenter?

A R-

ARTICVLVS IV.

Statuitur sententia negans infinitum, & reliqua de ipso expediuntur.

EX dictis sufficienter apparet probabilitas, quod infinitum tã in numero, quàm in longitudine, quam in intensione implicet. Probant aliqui hanc implicantiam, quia sequeretur esse inclusu duobus terminis, quod repugnat infinito. Probant sequelam, nam si essent duæ lineæ infinitæ facientes angulum in pũcto A, sequeretur, quod spatium inclusum inter ipsas, & esset infinitũ, & tamen verè esset inclusum. Sed hoc argumentum supponit falsum in sensum, in quo faceret vim, nam vt patet ex decimo quarto Axiomate libri primi Euclidis duæ rectæ non compredendunt spatium, quomodo ergo loqueris de spatio comprehenso duabus rectis? certè deberet duci tertia linea, vt spatium comprehendas, quod si loquaris de lineis inclusis inter duas datas, formãdo ita argumentum: à puncto A. accipiatur vnus palmus A, B. in vna ex datis lineis, et palmus A, C. in altera; similiter accipiantur duo palmi A, D. in vna, et duo palmi A, E, in altera, & sic accipiãtur tres palmi in vna, et tres in altera ex eodem puncto A, & quatuor, et quinque, et in infinitũ, ducantur autem rectæ transuersæ per prima duo puncta B, C, & per duo D. E. et sic per alia puncta in infinitum, & sint actu ductæ omnes illæ rectæ transuersales, ex quo ita arguas. Quò plus receditur à puncto A, in lineis facientibus angulum in A, eo perpartes æquales sunt maiores rectæ trãsuersales, sed receditur in infinitum, ergo actu datur recta transuersalis infinita, quæ tamen clausa sit duobus terminis.



Si ita argumenteris certè, non concludes intentũ; nam, vt argumentum sit in forma, & vim habeat, deberet esse: puncta linearum angulum facientium, quò magis recedunt à puncto A, includunt lineam maiorem, sed aliqua puncta recedunt infinitè à puncto A, ergo: ecce minor est falsa, nam negabo posse dari, vel posse esse punctum distans à puncto A, spatio, seu distantia infinita, quare quodlibet punctum earum linearum, quæ faciunt angulum distabit semper finita distantia à puncto A, et nullum distabit infinita distantia, & quamuis talis distantia sit maior, et maior, nulla erit

erit infinita, quia distantia est essentialiter syncategorematica, & non posset, nec de potentia Dei absoluta dari maxima, licèt ergo concedam esse actu infinitas numero lineas transuersas, nego tamen præcisè ex vi huius argumenti vllam esse ex illis infinitam, sed singulæ sunt finitæ quamuis maiores, et maiores in infinitum, et quamuis constent multitudinem infinitam; adeoque hoc argumentum per se solùm non habet efficaciam.

Multò minus ex hoc inferri posset, vt infert P. Arriaga, et alij, dari aliquam ex lineis transuersis infinitam, nam inter illam infinitam, & vltimam finitam esset differentia, verbi gratia vnius palmi, quia solùm vno palmo sequens superat antecedentem; vnus autem palmus additus longitudini finitæ non facit longitudinem infinitam; neque dicas non posse addi illi vnú palmum, tum quia hoc est contra lumen rationis, vnde est primum principium, & quartum postulatum in Euclidis primo; quacunque magnitudine data posse sumi aliam magnitudinem, vel maiorem, vel minorem; tum quia negaretur iam casus; supponitur enim in lineis facientibus angulum esse palmos infinitos actu, & ad singula illorum púcta esse ductas lineas transuersas: quare nullum punctum est, ad quod non sit ducta linea transuersa, ergo post illam finitam per te longissimam, & vltimam finitarum esset punctum, ad quod ducta esset linea transuersa, quæ certè transuersa esset maior antecedente solo vno palmo, ergo non potest negari, quòd post vltima m finitam sequeretur alia etiam finita, & sic non esset vltima, & esset vltima: res est adeò nota ex terminis, vt explicatione nõ indigeat.

Secundo probant alij repugnantiam infiniti, quia exhauiretur diuina Omnipotentia: hæc ratio non videtur efficax primò, quia posset quis tenere, quod infinitum non implicet; implicet tamen, quod Deus ponat omnia, quæ potest simul, etiam loquendo de permanentibus, quia modus operandi diuinæ Omnipotentiæ est essentialiter syncategorematicus respectu omnium possibilium; quare posset quidem poni infinitum, non tamen posset Deus ponere omnia possibilia propter hanc ipsam rationē ne exhauriatur diuina Omnipotentia: quare si hæc ratio quid valet, probat Deũ non posse omnia simul ponere, non autē euincit non posse ponere simul infinita. Secundò, quia nõ est absurdũ si admittatur, infinitũ exhauiri posse diuinam Omnipotentiam, hoc est non posse plura permanentia ponere; non enim datur aliud vltra possibilia, cum ergo posuerit omnia possibilia permanẽtia, quid absurdi est, quod

non posit alia ponere, sicut enim non est absurdum non posse ponere aliquid præter possibilia, sic non esset absurdum non posse ponere aliquid, si posuit omnia possibilia: adæquant enim, & perfectè mensurant diuinam omnipotentiam omnia possibilia tanquã mensura extrinseca, adeoque non video ex hoc argumento efficaciam vllam contra infinitum.

Tertiò probant alij implicare infinitum supponentes cognitionem collectiuam fieri non posse, nisi ex parte obiecti intellectus concipiat quasdam relationes, quæ non possunt concipi, nisi sit primum, & vltimum in ea collectione dicunt enim, duo indiuidua fundare relationem binarij, ad quam si addatur tertium indiuiduum fundatur relatio ternarij, & sic in infinitum, quare per additionem antecedentem fit collectio maior, & sic per additionem vltimæ vnitatis posset fieri collectio talis infiniti. Cum ergo repugnet vltima vnitas in infinito, repugnat collectio illius, adeoque ipsum repugnat existere, ac concipi; hæc impugnatio est optima, si ponatur hæc peculiaris sententia, quod collectio fiat per suas relationes obiectiuas, & tales comparationes; at quia multi negant hoc, vt etiã puto probabilius, cum collectio tota se teneat ex modo tendendi, & cognoscendi posita tali entitate obiecti, nempe positis talibus vnitatibus, non possunt per hoc præcisè conuinci aduersarij tenentes hanc peculiarem sententiam, quod si rationes S. Thomæ fundantur in hac sententia, quando dixit implicare infinitum, quia non caderet sub determinationem agentis, nec esset in vlla determinata specie, non sunt rationes efficaces in communi sententia. Cæterùm possent bene valere, si explicentur per aliã rationem, vt mox dicemus.

Clariùs ergo, & vniuersaliùs probatur implicantia infiniti categorematici, quia sequeretur, quod idem esset maius, & minus respectu eiusdem, vt superius est ostensum in impugnationibus solutionum, quæ possunt fieri argumento.

Dices, illæ probationes bene procedunt, si admittatur infinitũ ordinatum aliqua ordinatione, at verò si dicatur ob illas probationes implicare infinitum habẽs vllam ordinationem, siue quoad locum, siue quoad tempus, siue quoad mutationẽ, & designationem ordinatam cuiuslibet cognitionis, euitatur. hoc absurdum ortum ex coordinatione; at infinita multitudo simul existens penetrata in eodem loco, & inacceptibilis ordinatè quam implicantiam habebit? hoc autem videntur asserere, qui concedunt infinitum

nitum in solo numero; quod si petas in quo sita sit essentia talis infiniti, respondent in eo, quod si ponantur illæ vnitates, syncategorematicè in infinitum semper sufficiunt pro quacunque maiori, & maiori ordinatione, quæ solùm possibilis est syncategorematicè, in tali autem infinito non est absurdum dari maius, & minus, cùm per hoc non conuincatur vlla finitudo minoris, nec vllum absurdum. Fateor in hac sententia pauciora fieri posse argumenta, quæ ipsius implicantiam ostendant, non tamen euadere difficultatem, quam supra posuimus, nempe, quod duo realiter inæqualia inter se non essent, neque maiora, neque minora respectu tertij, nō posito infinito Angelorū A, & infinito Angelorū B, neutrū respectu alterius esset maius, vel minus, si Deus ab infinito B auferret mille infinita, vel mille Angelos, certè infinitum B, esset maius quàm ablatis infinitis, vel saltē mille Angelis; & tamen hoc infinitū minus ipso B, nō esset minus ipso A, respectu cuius nec erat maius, nec minus ipsum B, quod realiter est maius hoc infinito diminuto. Certè si Deus dicat tibi, volo te saluare, si vnus Angelus ex multitudine A, vel B, oraueris pro te, dummodo tu eligas multitudinem, non posses potius eligere multitudinem A, quàm B, & ratio esset quia neutra respectu alterius esset maior, nec minor, adeoque nulla esset maior ratio eligendi hanc potius, quàm aliam. At si videas ex multitudine B, tolli infinitos, vel etiam mille Angelos, certè non eligeres amplius hanc multitudinem B, ita diminutam, sed potius eligeres multitudinem B, non ita diminutam, vt patet, & tamen non haberes maiorem rationem eligendi potius multitudinem A, quàm multitudinem B etiam diminutam, quia militat eadem ratio, nempe, quod neutra sit maior altera, vel minor, quæ ratio militat eodem modo inter multitudinem B, non diminutam, et multitudinem eamdem A. Tota ergo vis rationis cōsistit in hoc, quod multitudo B diminuta nō impelleret minus ad ipsam eligendam, quam impellat multitudo A, ad sui electionem, & rursus multitudo A, nō impelleret minus ad sui electionem, quo pacto ergo multitudo B, diminuta non habebit minus ad impellendum, quàm habeat A, & habeat minus ad impellendum, quàm habeat B, non diminuta, si eadem B, non diminuta non habeat plus virium, quàm A? Certè ruit principium per se notū, quæ sunt æqualia vni tertio sūt æqualia inter se; cui est æquè simile, et æquè per se notū lumine naturæ, quę neq; excedūt neq; excedūtur ab vno tertionō se excedūt, neq; excedantur ab inuicem; totus enim excessus quo vnum excedit

dit aliud, totum faceret in ordine ad tertium, vt idē excederetur ab eotertio, quod eodem pacto se habet cum altero; aliter ergo etiam negabo illud principium, quæ sunt eadem, vel æqualia cum vno tertio sunt eadem, vel æqualia inter se.

Secundò contra eandem sententiam est, quod non posset infinitū actu cognosci collectiuè, neque posset sciri esse infinitum, nisi posset collectiuè concipi, vt collocatum ordinatim. Nam esse infinitum non potest sciri per hoc, quod sit multitudo, sed quod sit multitudo, sine fine, finis autem accipi non potest nisi in ordine ad aliquā coordinationem; finis enim non esset dari indiuiduum aliquod in ea multitudine, sed dari indiuiduum acceptū post alia, vltra quod non sint alia ex ea multitudine, ergo nisi collectiuè accipiantur ea indiuidua, vt ordinatim collocata, vel collocabilia, et videatur per modum vnius in ea tota collectione non dari vltimum. Certè non potest cognosci, quod sit infinitum, quare debet cognosci etiā collectiuè totum, vt ordinatum, & sic non possunt negare aduersarij posse concipi, & consequenter posse dari infinitum ordinatum; si concedunt posse dari actu, & categorematicè.

Dices sufficit, vt de ea multitudine existente concipiatur, quod si fiant coordinationes indiuiduorum fieri possint finitæ in infinitum maiores, & maiores, sed non est necesse, vt illæ collectiones concipiantur per modum vnius collectionis: sed contra est, quia non potest sciri, quod tota illa collectio sit talis, vt possint ex ea formari coordinationes maiores, & maiores in infinitum, nisi tota collectiuè concipiatur ordinata, et in ea ita coordinata finis non fit. Si enim eam totam ita non concipias, non habes maiorem rationem dicendi, quod sufficiet pro quacunque coordinatione, quam quod non sufficiet; quare vel vides coordinationes eorum indiuiduorum syncategorematicè solùm, & non collectiuè, et sic de illis indiuiduis prout stant sub coordinationibus, nō potes loqui collectiuè sed solùm distributiuè. & syncategorematicè, adeoque de illis non potes pronunciare esse infinitum collectiuè acceptum; vel loqueris de illis indiuiduis præscindēdo à coordinationibus; et sic non tē cognosci sub prædicato infinitatis, quā præscindēdo à finitate, & infinitate, quo pacto ergo cognoscis collectiuè, et sub prædicato infinitatis etiam prout stant sub ea collectione, sub qua omninò præscindunt ab omni coordinatione actuali, & possibili?

Obijcies primò. Hæc argumenta de toto, et parte, & quod ea, quæ sunt æqualia vni tertiò, sunt æqualia inter se, æquè militant

contra

contrà infinitum syncategorematicũ, ergo sunt ab omnibus æquè soluenda. Antecedens probatur nam cogitationes futuræ omniũ Angelorum per totam æternitatem sunt quid plus, quàm cogitationes futuræ Michaelis, & tamen commensurantur eadem æternitate, ergo totum, et pars sunt æqualia respectu eiusdem.

Respondeo totum, et partem plus, et minus non posse verificari de ijs rebus, quæ collectiuè accipi non possunt: ratio est manifesta, nam comparatio partis ad totum dicit terminationem ipsius totius, aliter non comparabitur, sic etiam comparatio maioris, et minoris dicit determinatam acceptionem illius, quod est maius, et illius, quod est minus; cum ergo in infinito syncategorematico non possit accipi totum, quia est essentialiter, quid indeterminatũ, & per modum vnius inacceptibile, et impossibile, fieri non possũt hæ comparationes, quæ optimè fierent in categorematico quippe toto existente, & quod posset accipi per modum vnius; in infinito igitur syncategorematico solùm accipi possunt plures, et plures partes, singulæ tamen finitæ, et possunt hæ partes comparari inter se. sed ista comparatio nihil arguit respectu totius infiniti, quod simul acceptum esset chymera; si autem duæ collectiones in duobus infinitis inter se comparentur: certè cum ambæ finitæ sint, nulla poterit in vno infinito accipi, ita magna, cui altera illi æqualis in altero non reperiatur, & sic in casu posito nulla assignabitur collectio cogitationum omnium Angelorum, cui æqualis numero non assignetur de solis cogitationibus Michaelis; et ratio est manifesta; cum enim omnis collectio assignabilis sit finita in numero poterit de solis cogitationibus Michaelis assignari aliqua illi æqualis; si enim non posset, iam cogitationes Michaelis essent finitæ, quod neque aduersarij concedunt. Similiter nulla est assignabilis collectio dierum in æternitate, cui æqualis non possit assignari tam ex solis cogitationibus Michaelis, quàm ex cogitationibus omnium Angelorum; quare quoad comparationem vnius, ac alterius infiniti, cum semper collectiones finitæ sint, semper poterũt assignari æquales, quoad numerum; cum ergo in syncategorematico non possit fieri comparatio inter totum, et totum, quia non sunt possibilia, et si fiat comparatio inter partes, et partes distributiuas semper possit fieri æqualitas, quia sunt omninò finita, non sequuntur absurda, quæ intulimus in infinito categorematico. Quare cogitationes omnium Angelorum, neque sunt plures, neq; pauciores numero cogitationibus solius Michaelis, quia collectiuè implicant, & sic comparari non possunt, nisi velis comparare secundas

tundas chymeras, si distributiuè comparentur semper æquales, vt dictum est.

Verùm in exemplo posito, & in alijs, quæ possunt proponi, sit etiam comparatio inter cogitationes omnium Angelorum, & cogitationes solius Michaelis, non prout infinita syncategorematicè sunt, sed prout omninò finita, verbi gratia secundum speciem; tunc in tali comparatione datur excessus vnius respectu alterius; cogitationes enim Michaelis sunt vnius speciei quoad principium efficiens, quia sunt vnius speciei Angeli, at cogitationes omnium Angelorum sunt in eadem ratione principij diuersarum specierum, & sic plures sunt species in cogitationibus omnium Angelorum, quàm in cogitationibus Michaelis, in quibus est vna solùm species in ratione principij effectiui, sed hæc comparatio sit inter finita, nã species Michaelis est vna, & species Angelorum sunt multæ. quod nihil facit ad rationem numeri syncategorematicè infiniti, qui collectiuè comparari non potest cum sit chymera. Eodem pacto dicimus esse plures Angeli, quàm homines quoad species, quia sit comparatio inter vnam speciem hominum, & plures Angelorum; sunt plura, quoad species animalia possibilia, quã soli homines possibiles, quia similiter fit comparatio inter vnum, & plura, & non inter duo, vt finita.

Similiter potest fieri comparatio inter cogitationes omnium Angelorũ, & cogitationes Michaelis in ratione mensuræ cõporariæ, in quâ cõparatione cõparatur vnũ cum pluribus, adeòq. datur maius, & minus, sed non in ratione infiniti, nihil enim est magis finitũ, quàm vnũ. Cũ enim cogitationes Michaelis sint successiuæ (saltem loquamur de successiuis, hoc est, quæ simul in eodem instanti, seu tempore non fiant) non possunt mensurare durationem determinatam, nisi vnica mensura. Ponamus enim claritatis gratia singulos Angelos singulis momentis facere vnam nouam cogitationem, certè in mille momentis faciet Michael mille cogitationes, et sic per vnicam mensuram mensurabit talem durationem; At verò cogitationes omnium Angelorum mẽsurabunt eandem durationem pluribus mensuris, vnusquisque enim Angelus dat suam mẽsuram, vt patet. Sicuti si essent decem palmi albi penetrati cũ vno rubro, cum quo esset etiam penetratus niger, certè vbicatio nigri mensuraret vbicationem rubei vnica mensura, at decem vbicationes alborum mensurarent eandem vbicationem rubei decem mẽsuris. Sic etiam in casu posito dico de mensura temporaria; et ita plu-

plures essent cogitationes omnium Angelorum in vno anno, quàm cogitationes solius Michaelis, quia fiet cõparatio in ratione mensuræ temporariæ, in qua ratione cogitationes Michaelis sunt vna mensura, cogitationes omnium Angelorum sunt plures mensura; at si loquamur in ratione numeri præscindendo à mensura, quæ habetur per coexistentiam toti numero cogitationum omnium Angelorum, quæ fiunt vno anno correspondere possunt cogitationes solius Michaelis, quæ tamen fiunt pluribus annis, cum enim illi totus numerus in eo anno sit finitus poterit commensurari à cogitationibus solius Michaelis, quæ sunt finitæ in infinitum.

Obijcies secundò. Decernat Deus creare trabem à puncto A, versus Orientem, ita vt singulis diebus creet vnum palmum. Certè in hoc infinito palmorum esset plures palmi, quàm si Deus decerneret ex illis palmis creãdis per primum decretum relinquere primos decem, ita vt incipiat crearo à puncto A, palmum vndecimũ relictis decem. In hoc autem casu palmi secũdi decreti essent pauciores, quàm palmi primi decreti, cum inuoluant eos omnes, et præterea decem relictos, et tamen æquè occuparent totum spatiũ imaginarium à puncto A, versus Orientem palmi primi decreti, quàm secundi, ergo maius, et minus respondent eidem tertio, etiã in infinito syncategorematico.

Respondeo negando simpliciter esse plures palmos in primo, quàm in secundo decreto, deberet enim vtrumque decretum collectiuè, et per modum vnius decernere omnes palmos futuros per totam æternitatem, quæ decreta tendentia in collectionem infinitam implicant, solùm ergo differunt ea decreta, quia primum decernit seriem palmorum finitã semper à puncto A, versus Oriẽtem, sed cum hac indeterminatione, quod eam faciet maiorem, & maiorem, sed semper finitam, et nunquam fistet in ea augenda in infinitum, sed semper finitam faciendo, et propterea includit in ea serie hos decem palmos. At secundum decretum decernit idem, quod decernit primum, sed solum variat in hoc, quod in ea serie non includit hos decem palmos, quod nihil facit ad maioritatẽ, vel minoritatem. Si enim comparas seriem quamlibet primi decreti, verbi gratia, mille palmos cum serie, quæ erit in eodem tempore per secundum decretum, erunt æquales quoad numerum sed vna includit hos decem palmos, quos non includit altera, altera tamen includet alios decem palmos; nec vlla poterit assignari ita magna moles per primum decretum includẽs hos decem palmos, cui non possit assignari æqualis per secundum decretum, quamuis

eos

eos decem non includat, sed includat loco illorum alios decem in diuerso situ dispositos. Tota ergo diuersitas decretorum facit solùm diuersas dispositiones palmorum, quoad situm, et diuersas series quoad individua, quæ includent, sed non facient inæqualitatẽ quoad numerum, neque quoad tota, quia non dantur hæc tota, neque quoad collectiones acceptibiles, quia semper cuicumq. acceptæ per vnum decretum poterit correspondere æqualis quoad numerum per aliud decretum accepta: habet quidem primum decretum supra secundum, quod in qualibet collectione palmorum, quæ incipiat à puncto A, sint decem palmi, qui non sint in qualibet collectione palmorum secundi decreti, sed hoc nõ acquirit aliquid maius in ratione infiniti numeri, sed esse aliquot palmos, qui non sint ibi. Toties autem esse aliquid in hac collectione, quod non sit in alia, arguit maius, quoties illud non posset recompẽsari per numeros, qui remanent, et præterea numeri, qui remanent, essent acceptibiles, vt quoddam totum. Cum ergo numeri palmorum, qui remanent in vtroque decreto, dempta quacumque collectione ab vtroque non sint quid vnum determinatum, sed essentialiter, quid indeterminatum, et inacceptibile permodum vnius, nõ potest comparari id, quod remanet in altero dempta eadem, vel etiã maiori, aut minori collectione, adeoque hæ comparationes non habent vllam vim in infinito syncategorematico, sed magnam habent in categorematico.

Obijcies tertiò. Reuelet Deus se facturum duos ordines Angelorum alterum ad dexteram, alterum ad sinistram, ita vt singulis diebus creaturus sit singulos Angelos, tã in dextro ordine, quàm in sinistro, & dicat tibi, siquis ex Angelis vnius ordinis rogabit pro te saluaberis, elige ordinem; certè non esset magis eligibilis ordo sinister, vt patet. Et rursus si dicat Deus centum primos Angelos de ordine sinistro non amplius creabo. Elige vnam seriem; magis ne vis sinistram sine centum, an eandem cum centena. Certè eligeres sinistram cum illis centum, quia forta sse Angelus rogaturus pro te erit solum vnus ex illis centum; at verò si compares ordinem dexterum cum ordine sinistro sine illis centum, adhuc neuter est magis eligibilis, cum vterque futurus sit in infinitum. Ergo soluendum etiam est ab omnibus in infinito syncategorematico, quod duo non sunt æquè eligibilia inter se, & tamen sunt æquè eligibilia respectu vnius tertij.

Respondeo falsum esse, quod esset magis eligibis sinistra cum illis centum, quàm sine illis, nomine enim ordinis non potest venire

vnica

vnica determinata collectio, sicut veniret, si esset infinitum categorematicum, solùm ergo veniret aliqua collectio finita indeterminatè, & disiunctiuè, sed respectu illius semper daretur alia æqualis in ordine carente illis centum, ergo non esset maior ratio eligendi hunc, quàm illum ordinem. Neque probatio quidquam conuincit, licet enim sit verum, quod fortasse Angelus rogaturus sit vnus ex illis centum, tamen recompensatur ab alijs centum, qui veniunt in hoc ordine, & non venirent in alio, verbi gratia, si ibi compares collectionem mille Angellorum cum collectione mille etiam Angelorum; certè in illa veniunt primi centum, qui non veniunt in hac collectione, sed in hac veniunt vltimi centum, qui non veniunt in illa; non est autem maior ratio, quod Angelus oraturus pro te sit potiùs in primis centum vnius collectionis, quàm in vltimis alterius, & fortasse verificabitur ratione illorum centum, qui sunt vltimi in hac collectione.

Dices, isti centum vltimi in hac collectione adhuc erunt in prima serie sinistræ in aliqua alia collectione ipsius, at primi centum Angeli nunquam erunt in quacunque collectione secundæ seriei, ergo semper prima series habebit aliquid plus probabilitatis, quæ reperiri non possit in quacunque collectione secundæ seriei.

Respondeo concedendo, quod primi centum Angeli nunquam erunt in vlla collectione secundæ seriei, at tamen semper erunt in quacunq. acceptione secũdæ seriei æquali quoad numerũ cuicunq. acceptioni primę seriei, erunt inquã sẽper alij centum Angeli, qui non erunt in acceptione sibi correspondenti quoad numerum in prima serie, quod sufficit, vt in quacumque acceptione correspondenti vtriusque seriei sit æqualis probabilitas. Ratio à priori est, quia quoties non possunt accipi collectiuè ea indiuidua in infinitũ futura, quæ restant, facta quacunque acceptione, semper possunt fieri cõparationes æquales, in quibus tot sint Angeli in vna, quàm in alia, adeoque licet vna ex illis collectionibus habeat centum indiuidua peculiaria, recompensantur in altera collectione ab alijs centum, quæ non sint in illa; quod si accipias aliam collectionem in prima serie cum illis centum, quæ erat in collectione prius accepta secundæ seriei, adhuc acciperetur alia collectio etiam maior in secunda serie, quæ habeat alios centum Angeli, qui non sint in ea collectione primę seriei, cum qua collectione nunc secunda comparatur. Quod si facias tertiam comparationem accipiendo collectionem maiorem in prima serie, & deinde quartam, & sic in

infinitum, semper idem eueniet, nempe quod in collectione secundæ seriei, quæ in ea comparatiuè respondet collectioni primæ seriei, semper erunt alia centum indiuidua. Cum ergo tota probabilitas consistat, vt ita loquar, in tantitate numeri Angelorum, & nulla sit tantitas numeri, ita magna in prima serie, cui non correspondeat alia tantitas æqualis in secunda; non potest dari maior probabilitas in vna, quàm in altera; at si collectiuè possent accipi collectiones, maior esset totalitas vnius, quàm alterius, quia vna contineret illa centum, altera non contineret, nec realiter, nec æquiualenter, ergo sequeretur maior probabilitas in vna, quàm in altera serie, vt supra probauimus.

Dices secundò. Si Deus reuelet tibi, aliquis Angelus ordinis sinistri primo posito vt supra, orabit pro te, eris certus de ipsius oratione; at si Deus non poneret centum primos Angelos de eo ordine, non eris amplius certus, quia fortasse ille, qui erat oraturus, est vnus ex illis centum non positis, & tamen vtraque series esset infinita syncategorematicè, ergo ablatio centum ab ipsa serie facit minus probabilem, quàm fuerit prius cum illis centum.

Respondeo negando consequentiam; ratio discriminis est, quia certitudo in casu posito non consistit in tantitate numeri, nempe, quod sint tot indiuidua, sed in talitate, nempe, quod sint hæc indiuidua, vel ea sint finita, vel infinita; cum ergo ab ea collectione auferatur vnum, vel plura indiuidua, nulla collectio remanet talis, qualis fuisset non facta ea ablatione, quamuis possit semper fieri æquè tanta, quanta fuisset, non facta ea ablatione, ergo cessat certitudo facta aliqua ablatione, quia destruitur quælibet collectio in ratione talis, at verò non destruitur in ratione tantæ, quia semper fieri potest recompensatio per indiuidua, quæ remanent futura, & ideò semper remanet æqualis probabilitas, quæ vt dixi fundatur in ratione multitudinis æqualis, siuè sit hæc multitudo, siuè alia eiusdem rationis.

Quod autem certitudo in casu posito consistat in ratione talis multitudinis, non autem in ratione tantæ, patet, quia Deus determinat, & applicat reuelationes suas his indiuiduis, & alijs, quamuis in aliquo casu alia sint plura, verbi gratia, si Deus dicat de centum solis Angelis, aliquis ex his centum rogabit pro te, licet ex alia parte futuri sint infiniti, de quibus est probabile, quod aliquis sit pro te rogaturus, tamen de illis infinitis non habes certitudinem vllam, & eam habes de illis centum solis, quia reuelatio est applicata illis determinatis indiuiduis, & non soli numero, sicuti è

contra-

Digitized by Google

contrario si Deus diceret aliquis ex illis centum, vel infinitis orabit pro te, multo probabilius esset, quod reperiretur in illis infinitis, quàm in illis centum, quia probabilitas consistit in tantitate numeri, & quia sunt multa centinaria in infinitum in illis Angelis, & ex altera parte est vnum centenarium, probabilius est, quod sit in aliquo ex illis centenarijs, quàm sit in hoc vno.

Obijcies quartò. Si omnes creaturæ existerent actu in hoc anno certè essent infinitæ, quia ratione coexistentiæ cum hoc anno collectiuè possent accipi, quamuis inter se non coexisterent; ad colligendum enim plura non requiritur, vt coexistant, vel possint coexistere inter se, vt patet in durationibus finitis, sed omnes creaturæ futuræ coexistunt æternitati diuinæ, quæ se habet, vt vnum indiuisibile; nulla quippe est futura creatura respectu huius diei, quæ non coexistat actu cum æternitate Dei, licet non coexistat cũ hac duratione, & creaturis, quæ sunt hodie, nec diuina duratio est in potentia, vt coexistat cum vlla creatura, sed simul simultate indiuisibili ex parte sui coexistit omnibus; sicuti vbicatio diuina indiuisibiliter coexistit eadẽ omnibus vbicationibus creatis quantumuis inter se distantibus, ergo potest Deus ratione istius coexistentiæ realis creaturarum cum sua indiuisibili duratione æterna collectiuè concipere omnia futura, sicut ratione suæ immensæ vbicationis collectiuè coexistit, & quasi colligit in se omnes vbicationes, & ipsas creaturas existentes. Confirmatur, quia vt dicetur in tractatu de duratione, existentiæ creaturarum sunt contradistinctæ à suis durationibus, & præscindunt à tempore, nempe quod sint in hac, vel in illa mensura durationis, sicuti præscindunt ab vbicatione; & sunt indifferentes de se ad quodlibet tempus; non sunt tamen indifferentes ad coexistendum cum diuina duratione, sicuti neque sunt indifferentes ad coexistendum cum diuina immensitate, ergo præscindendo ab omni successione temporaria habet sufficientem simultatem cum diuina duratione, ratione cuius simultatis poterunt accipi saltem à Deo collectiuè.

Respondeo verum esse, quod creaturæ futuræ habeant hanc coexistentiam essentialem cum diuina duratione, nego tamen hãc esse sufficientem ad illarum collectionem. Ratio est, quia ad hoc, vt aliqua duratio coexistẽs cum multis rebus sit sufficiens ad prestandam collectionem illarum, non sufficit, quod singulis, coexistat, sed debet esse in se talis, vt, si sit indiuisibilis realiter, & simul infinita, sit etiam eadem aliquod virtualiter categorematicum, hoc est sit explicabilis per æquiualentiam ad successionem categore-

maticè infinitam: cum ergo diuina duratio in se non habeat realiter partes, ita vt vna succedat alteri, sed solùm sit virtualiter diuisibilis, quatenus essentialiter habet æquiualere cuilibet durationi creabili: duratio autem creabilis, vt probauimus, sit essentialiter infinita solùm syncategorematicè, hinc est quod neque ipsa diuina duratio habeat æquiualere durationi categorematicè infinitę, quæ duratio esset chymæra, adeoque non est sufficiens ipsius cœxistentia cum creaturis futuris, vt ille possint accipi collectiuè, sed solùm distributiuè, sicuti est ipsius æquiualentia, & virtualis diuisibilitas, nempè solùm in ordine ad durationes maiores, & maiores in infinitum, non autem ad infinitum categorematicè; at verò duratio creata vnius anni, cum sit in se realiter quid determinatum, nec explicetur solùm per æquiualentiam ad infinitum syncategorematicùm, hoc ipso, quod continet in se plura, sufficienter quantum est ex parte sua, ea determinat, vt collectiuè accipiatur. Imo quod diximus de duratione diuina, valet suo modo etiam de vbicatione; hoc ipso enim, quod res aliqua est essentialiter infinita ratione suæ perfectionis indiuisibilis per sui cœxistentiam præcisè cum alijs rebus nullum ordinem neq; seriem in ipsis designat; sic si consideretur Italia, & Hispania præcisè prout coexistunt cum diuina vbicatione nullam habent determinationem, vt sint hìc, vbi sunt, vel alibi, sed remanent aliquid indifferens ad omnem vbicationem: at si accipiatur diuina vbicatio, vt æquiualens tali, ac tali vbicationi creatæ, sic habet determinatè Italiam in hoc spatio, & Hispaniam in hoc, cum ergo diuina duratio in se nullam habeat ordinationem partium, quia est indiuisibilis, non possumus ex vi illius cœxistentis cum rebus futuris concipere vllum ordinem, neque seriem in illis, nisi concipiamus ipsam Dei durationē, vt æquiualentem talibus, vel talibus durationibus; cum ergo, vt probatum est non possit æquiualere durationi vlli creatæ infinitæ categorematicè, quia est chymæra, sed solùm possit æquiualere cuicunq. maiori, & maiori in infinitum. Hinc est, quod per hanc æquiualentiam essentialiter syncategorematicam non possit determinare vllam acceptionem infinitā, syncategorematicè creaturarum futurarum. Cæterum hoc argumentum est soluendum ab omnibus, etiam ab aduersarijs. Nam decernat Deus creare durationem incipientem ab hac die semper quidem finitam, & semper etiam maiorem; certè id quod futurum est ex vi istius decreti præcisè cœxistit cum diuina duratione, & tamen non potest accipi collectiuè ratione istius cœxistentiæ, quia ex vno capite esset du-

ratio

Digitized by Google

ratio finita,& ex alio esset infinita,vt supra probauimus, ergo omnes debemus dicere esse solùm finitum in infinitum, & ob solam coexistentiam cum duratione diuina non debere accipi collectiuè id, cum quo ipsa existit per suam indiuisibilem entitatem.

Objcies quintò. Decreta Dei sunt omnia actu,non finita,ergo infinita.

Respondeo primò, decreta Dei,per me non esse adæquatèintrinseca in Deo, sed esse ipsam diuinam entitatem in recto cum actionibus productiuis creaturarum in obliquo, adeoque cum hæ actiones non sint actu infinitæ, sed futuræ finitæ in infinitum, nihil vrget hoc argumentum contra nostram doctrinam. Verum ne alligetur hæc quæstio solum nostræ sententiæ,videamus,quid possit responderi in aliorum sententia ponente decreta Dei adæquatè intrinseca,cum nescio qua distinctione virtuali,seu veritate obiectiua nullam dicente perfectionem, & entitatem. Dicunt aliqui decreta Dei,non esse actu infinita, quia licèt sint omnia virtualiter distincta, tamen prout virtualiter distincta non dicunt perfectionem;sed hæc responsio non satisfacit, nam ad numerum infinitum formalitatum solum virtualiter distinctarum, non requiritur, vt ipsa formaliter sint perfectio, sed vt sint plura actu sine termino;perfectio enim est impertinens ad rationem numeri,quæ solum consistit in multitudine vnitatum,cum ergo formalitas decreti A,non sint virtualiter formalitas decreti B,iam habeo duas vnitates,ergo si habeo infinitas actu omnes virtualiter distinctas non erit infinitum formalitatum? Certè omnia absurda,quæ probata sunt contra infinitum,verificarentur de hac multitudine infinita formalitatum,licet perfectionem nõ habeãt,vt volunt hi Auctores. Melius ergo.

Respondeo secundo iuxta hanc sententiam decreta Dei secundum has formalitates intrinsecas, seu veritates obiectiuas distincta non esse categorematicè infinita,sed solùm syncategorematicè,& confusè. Ratio est,quia in hac sententia Deus vult singulas collectiones creaturarum,quarum numerus incipit à prima mundi creatione per diuersum decretum, decretum diuersum, verbi gratia vult omnes creaturas vsque ad hunc diem per vnũ decretum,& omnes vsque ad diem crastinam per aliud decretum, quia in hac sententia Deus vult pulchritudinem,& proportionem, quã habet hæc collectio inter suas partes,& vnitates, & cum diuersa collectio habeat diuersam pulchritudinem,& proportionem, vult singula per diuersa decreta, ita vt decretum subsequens velit sem-

per

per collectionem aliquam, quæ includebatur à decreto antecedente, adeoque singula decreta sint in signis diuersis vnum post aliud, & semper subsequens inuoluat id, quod inuoluit antecedens, cum ergo non possit dari decretum, quod sit vltimum inuoluens omnia antecedentia, erunt decreta actu pro diuersis signis naturæ, sed inacceptibilia per modum vnius, cum dari non possit vnum inuoluens omnia, quia esset vltimum, quod repugnat. Si ergo petatur decreta, quæ nunc existunt prout virtualiter distincta, sunt ne infinita actu? Respondendum est esse solùm syncategorematicè infinita, hoc est dari plures, & plures, & plures collectiones decretorũ, quæ accipi collectiuè non possint, & ita singulæ collectiones sunt actu, omnes collectiuè non sunt actu.

Dices. Hæc duo repugnant in terminis, nullum est decretum, quod nunc actu nõ sit, & non sunt omnia collectiuè per ipsã enim actualitatem virtualem, quam habent sufficienter colliguntur, aliter possumus dicere dari etiam Angelos actu singulos, sed nõ posse accipi collectiuè, neque valet distinctio syncategorematicè, nam syncategorematicè infinitum est, quod partim est actu, partim potentia, sed nullum ex his decretis est in potentia, sed singula sunt actu, quomodo ergo sunt syncategorematicè infinita?

Respondeo duplicem posse dari actualitatem, alteram perfectã, & hæc est propria omnium entium, quæ habent talia prædicata, vt per se possint accipi, alteram imperfectam, & est earum rerum, quæ per se accipi non possunt, sed sunt essentialiter alligata in suo conceptu ad aliquod possibile, à quo si præscindas, nullus restat conceptus, quo possit accipi ea res, vt distincta ab alia; tales res sũt in hac sentẽtia formalitates virtualiter distinctę decretorum Dei, seu veritates obiectiuè nullam dicentes perfectionẽ; habent enim esse, quid totum in ordine ad obiectum volitum, à quo si præscindas, non distingues amplius inter decretum, & decretum; tales etiam sũt negationes rerum possibilium; Negatio enim ignis nullo pacto concipi potest, si ab igne præscindas, vt patet, tales etiam forta sse sunt partes quãtitatis, si actu sint distinctæ, vt suo loco dicemus. Dico ergo actualitatem entium perfectam benè cõstituere collectionem, & ita si sint Angeli actu infiniti non sunt vllo pacto infiniti syncategorematicè, quia videlicet per suam actualitatẽ habent essentialiter posse colligi, quippe qui non colligantur alicui infinito possibili, vel futuro syncategorematicè, itaut solùm in ordine ad illud possint accipi. Similiter si darentur infinitæ actiones actu sufficienter colligerentur inter se, quia licet accipiantur

in

Digitized by Google

in ordine ad terminos suos, essentialiter tamen hos terminos requirunt actu existentes, & non respiciunt, vt solùm possibiles, vel futuros, adeoque habent etiam actualitatem perfectam, quæ sufficit. Contra verò ea, quæ non habent actualitatem perfectam, quæ sufficit essentialiter alligatam in ordine ad terminos solùm vt syncategorematicè possibiles, vel futuros, sinè quibus concipi non possint, licet actu sint, non sufficit eorum actualitas, vt collectiuè accipi, quin collectiuè etiam eorum termini accipiantur, qui cum supponãtur iam essentialiter inacceptibiles categorematicè, habent etiam impossibilitatem, vt accipiantur decreta essentialiter ordinata ad ipsos terminos, & hoc fortasse intendebant dicere ij Aucthores, qui dixerunt decreta Dei non esse actu infinita categorematicè, quia non dicunt perfectionem, hoc est non dicũt perfectam, & completam actualitatem prout virtualiter inter se distincta.

Ad illud aliud, quod dicebatur infinitum syncategorematicum esse id, quod partim est actu, partim potentia, dico hoc verum esse de perfecta actualitate, non autem de imperfecta; & ratio est clara; in ijs rebus, quæ perfectè, et completè possunt esse, ex nullo alio capite potest oriri syncategorema, et indeterminatio, nisi ex eo, quod non existant, quare si nullum sit, quod non existat, tollitur omnis ratio syncategorematis, et sic debent partim non existere, vt sint syncategorematicè infinita; contra verò, quæ existũt actualiter imperfecta, et confusa, non solum habere debent esse syncategorematicè, et indeterminatè, si aliqua eorum non sint actu, sed etiam si nullum actu non sit, tamen restat in ipsis ratio confusionis, et determinationis, cum ea non tollatur per actualitatem imperfectam, sed essentialiter semper insit in illis, eo quod debeant accipi in ordine ad obiecta essentialiter indeterminata, et semper inacceptibilia per modum vnius. Quare esse syncategorematicè infinita hæc entia, consistit in hoc, quod vel sint partim actu, partim potentia, vel quod non sint acceptibilia per se, sed solum in ordine ad ea, quæ essentialiter habent non posse esse omnia actu, vt semper restet in infinitum maior, et maior collectio, quę posset poni; adeoque syncategorema, et confusio accipitur semper per esse partim actu, partim potentia, vel in ipsis rebus, vel etiam in ipsarum terminis, et non alio pacto.

Cæterum hoc argumentum est æquè soluendum ab omnibus, qui ponunt decreta Dei, ita ordinata, et virtualiter distincta, etiã si ex alio capite teneant dari infinitum categorematicum; nam ponamus, quod Deus de facto decernat producere distantias à pũcto

&o A versus Orientem, itaut prima die producat vnum palmum album, secunda die distantiam bipalmarem rubram, tertia die distantiam tripalmarem nigram, & sic in infinitum singulis diebus, itaut istæ distantiæ singulæ incipiant à puncto A, & procedant versus Orientem. Certè iuxta hanc sententiam de decretis coordinatis Deus non vult solam secundam distantiam rubram bipalmarem per se acceptam, sed vult etiam coexistentiam illius cum prima alba, quia hoc binarium est quiddam pulchrum, vt binariũ, & ita dico de cæteris decretis; habet ergo nunc Deus, posito hoc casu, infinita decreta de his distantijs ita tamen, vt nullum ex his decretis velit omnes distantias collectiuè, si enim vnũ ex illis vellet omnes collectiuè, illud esset vltimum natura, vellet enim omnes reliquas distantias antecedenter volitas per reliqua decreta, nulla autem distantia est vltima, neque vlla potest ante se supponere præcessisse distantias infinitas, sed solùm finitas, vt patet, & supra probauimus, ergo cum singula decreta decernant aliquam distantiam, & velint coexistẽtiam cum omnibus ante illam præcedentibus, nullum ex illis decretis potest velle omnes distãtias versicolores collectiuè, & tamen per te collectio omnium distantiarũ, & concipitur à Deo collectiuè, & est aliqua pulchritudo futura in tota æternitate, & tamen per nullum ex illis decretis est volita, neque per aliud decretum præter illa, quia hoc esset posterius natura respectu infinitorum, quod implicat; ergo de facto darentur in Deo decreta, quæ non essent categorematicè infinita, sed solùm syncategorematicè, & indeterminatè, si enim essent categorematicè iuxta principia huius sententiæ deberent esse volita per aliquod decretum, quod est impossibile. Quare posita hac sententia, etiam si admittas infinitum, debes soluere hoc argumentum, adeoque difficultas non oritur ex ipsa ratione infiniti, sed ratione sententiæ taliter ponentis decreta. Placuit tamen solutionem aliquam inferere huic argumento, vt soluam postea difficultatem de infinitis negationibus actu existentibus, & de partibus quantitatis, de quibus suo loco agemus ex professo.

Supereſt, vt breuiter impugnemus singularem sententiam P. Arriagæ disp. 13. Phys. sect. 3. quã vt non vulgarẽ laudat, quamuis impugnet P. Ouied. controu. 14. Phys. pun. 3. num. 6. & pro qua Authores aliquot antiquiores citat, qui tamen longe ab ea discrepãt; dicit autem hæc sententia esse possibilem creaturam omnium perfectissimam, et omnium infinitam; impugnatur hæc sententia, quia est de ratione potẽtiæ perfectissimæ, vt nullus possit dari terminus

ita

ita perfectus, quo non possit ab ea produci perfectior, ergo implicat perfectissima creaturarum. Consequentia patet, antecedens probatur, nam conceptus potentiæ perfectissimæ consistit in hoc, quod nulla possit excogitari maior, sed hic conceptus in hoc situs est, vt quacunque assignata perfectione ex parte obiecti, possit ea potentia facere maiorem illa, nisi manifesta implicantia assignetur, cum ergo nulla possit assignari implicantia ex parte creaturæ, certè perfectior poterit semper creari; aliter si non posset, esset ex defectu, et limitatione potentiæ.

Neque dicas perfectionem potentiæ infinitæ esse, quod possit facere infinitas species, cum quo stat, vt detur perfectissima creatura; nam possent infra eam dari infinitæ imperfectiores, vt patet in homine respectu cuius possent esse species infinitæ, & imperfectiores. Contra enim est primo, quia in sententia Arriagæ hoc dici non potest, quippe ponit vltimam, & minimam omnium. Secundo, quia si sufficeret ad perfectionem diuinæ potentiæ posse facere infinitas species quomodocunque iam homo, imo quælibet creatura esset omnium perfectissima, supra quam non posset facere aliam perfectiorem Deus, quia iam infra hominem, & infra quamlibet Deus posset facere alias infinitas perfectiores, ergo nulla esset ratio, cur Deus possit facere aliam speciem perfectiorem homine, vel qualibet creatura assignata. Tertio quia de ratione potentiæ perfectissimæ non solùm debet esse, quod possit facere infinitas imperfectiores qualibet perfectione creatæ assignata, sed quod possit facere perfectiores etiam in infinitum; ratio siquidem perfectionis in potētia mēsuratur ex eo, quod facere potest perfectius, & perfectius sinè vllo termino, quia etiam creatura potest facere res in infinitum, sed non perfectiores, & perfectiores, v. g. homo cum speciebus potest facere cognitiones in infinitum, & de facto faciet per totam æternitatem, quia nunquam à cognoscendo cessabit, & non est infinitus in ratione potentiæ cognoscitiuæ, ergo ratio potentiæ perfectissimę non habet solùm facere creaturas infinitas quomodocunque, sed facere perfectiores in quocunque genere in infinitum, & nisi assignetur implicantia, nō possumus absque temeritate negare Deo potentiam ad quamlibet excogitabilem perfectionem; cur ergo Deus non possit facere aliam perfectiorem creaturam quacunq. assignata?

Instabis adhuc tota collectio creaturarum possibilium est quid infinitè distans à Deo, & consequenter est perfectio limitata & ta-

men Deus non potest facere ne vnam quidem creaturam supra totam collectionem omnium possibilium, ergo hoc argumentum nō vrget. Verum hæc instantia in primis non vrget me, qui nego collectionem omnium posibilium, adeoque dico nihil posse fieri, nec assignare, nec concipi creatę perfectionis supra quod Deus nō possit facere perfectius in infinitum, & infra quod Deus non possit facere imperfectius in infinitum. Secundo neque valet instantia etiam si concedamus posse dari aliquod infinitum, nam posset aliquis dicere, quod licet sint possibilia infinita collectiuè, omnia tamen collectiuè implicent propter hoc ipsum, quia diuina potentia est essentialiter potēs syncategorematicè, ita vt quocunque infinito facto possit facere plura infinita infinities in infinitum, adeoque nihil datur vltimo factibile, vt omnium perfectissimum, vel vt omnium minimum. Tertio etiam admissa sententia, quod possint fieri omnia possibilia permanentia simul, tamen ea tota collectio esset talis, vt dicat perfectionem infinitam in ratione creaturæ, licet respectu Dei esset ens imperfectissimum. Non est autem de ratione potentiæ diuinæ, quod possit facere ens sibi æquale in perfectione, & quod à se ipso infinitè non distet in perfectione, sic enim posset facere, & creare alium Deum, quod est impossibile; sed satis est, vt posit facere perfectionem creatam, quantum excogitabilis est; perfectio autem creata quantum est excogitabilis, consistit in hoc, quod posito, quod collectiuè possit accipi (quod certè repugnat) nulla possit excogitari perfectio particularis creaturæ, quæ non sit assignabilis in ea collectione, quod certè verificaretur de collectione omnium possibilium, si collectiuè accipi possent, nō autem consistit in hoc, quod possit accipi, aliquid vltra eam collectionem. At in sententia Arriagæ daretur singularis creatura supra quam Deus non posset facere maiorem in perfectione, ergo nō daretur in obiecto diuinæ potentiæ perfectio excogitabilis creaturę, cum possit super ea maior excogitari. Cæterum, si quod inconueniens sequitur ex acceptione collectiua omnium possibilium, ea potius est neganda, quàm ea vti ad aliud absurdius asserendum.

Argumenta P. Arriagæ partim probant in infinito debere dari vltimum, & ita probant non posse dari infinitum actu, quia haberet semper terminum, vel si hoc non probant, nullam habent vim; solùm enim intendunt probare dari vltimam creaturā in infinitis supra hominē possibilibus, si collectiuè accipiātur, ergo si quidquā probant, confirmant nostrā sententiā, quod nonpossint accipi collecti-

lectiuè omnia possibilia, sed sint obiecti essentialiter indeterminatū.

Denique obijcit, quia Deus potest producere summè perfectam, quàm potest, quæ est propositio identica, adeoque nimis vera; Si ergo eam produceret certè esset omnium perfectissima possibilium. Respondeo primo per istantiam: potest producere Deus chymæram, quàm potest, est etiam propositio identica &c. Respondeo secundo creaturam summè perfectam esse chymæram, sicuti est etiam chymæra quantitas infinita maxima; quare nullam potest producere Deus summè perfectam respectu possibilium, sed semper potest producere perfectius, & perfectius in infinitum, quia eius potentia semper est syncategorematicè ponens. Similis est alia fallacia; faciat Deus nunc quidquid potest nunc facere, quid nam faciet? Respondeo quod faciet quidquid voluerit, semper tamen erit finitum, & tale, vt potuerit etiam nunc velle, & ponere aliud eo perfectius: fallacia argumenti est in voce quidquid, quæ potest facere sensum collectiuum, et disiunctiuum; si accipiatur in sensu collectiuo, est falsa propositio, si in sensu disiunctiuo, est vera, & ponetur à parte rei aliqua collectio finita. Cum etiam Deus posset facere disiunctiuè, vel collectionem A, vel B, & sic in infinitū maiores, & maiores, nō posit antè facere collectiuè, quę potest disiunctiuè, si sēsus sit, faciat Deus collectiuè, quę potest disiunctiuè. Respōdeo Deum nō posse hoc facere, si verò dicatur, faciat disiunctiuè, quæ potest disiunctiuè, faciet vnā ex collectionibus, vel hanc, vel hanc, vel quamlibet determinauerit. Idem posset dici de voluntate Petri, faciant nūc quidquid potest facere nunc. Certè nunc potest facere actum amoris, & odij circa obiectum A, sed disiunctiuè, nempe, vel amorem, vel odium, quare si sēsus sit, faciat quidquid disiunctiuè potest, faciet vnum ex illis duobus actibus, si sensus sit, faciat collectiuè, quiquid potest disiunctiuè, dicendum est nihil posse facere. Eadem est in vtroque casu fallacia, & fallaciæ solutio.

Nec difficilis est sōlutio argumenti pro infinito; quod est huiusmodi. Numerus maior quocunque finito est infinitus, Deus potest facere numerum maiorem quocunque finito, ergo potest facere numerum infinitum actu. Respondetur enim cum distinctione. Numerus maior quocunq. finito determinato est infinitus, nego; numerus maior quocunque finito indeterminato est infinitus, concedo: similiter distinguo minorem, potest Deus facere numerū maiorem quocunq. finito determinato, concedo, maiorem, quocūque finito indeterminato nego, et negatur consequentia: fallacia

consistit in eo, quod vox, quæcunq. potest applicari vni solùm numero, quicunq, tamen ille sit, & hic accipitur determinatè; sensus enim est: numerus maior numero finito, quicunq. ille sit, siue centum, siue mille, dummodo comparatio fiat inter duo, non est per hoc infinitus, sufficit enim, vt illum superet vna vnitate, at verò si comparatio fiat inter numerum, & quemlibet aliorum numerorũ, & respectu cuiuscunq. comparando illum cum omnibus distributiuè, tũc fit comparatio indeterminatè, non enim determinat vnũ, sed æquè cum singulis comparat, et sic esset numerus maior, quã decem, vel centũ, vel mille, et sic percurrendo reliquos numeros, adeoq. esset infinitus, vt patet, et ideo negatur à posse Deo fieri.

Quæres dato, quod Deus posset facere infinitum in numero, posset ne facere aliquod infinitum in aliqua perfectione particulari, v. g. an possit à Deo creari sapientia infinita.

Respondeo, negatiuè ratio est, quia infinitudo quoad perfectionem aliquam indiuisibilem non potest desumi ex eo, quod illa perfectio æquiualeat infinitis alijs æqualibus inter se, vt diximus agentes de materia, nam homo, v. g. æquialet infinitis animalibus nobilioribus formica, et tamen non est infinitæ perfectionis, quare infinita perfectio indiuisibilis debet desumi ex eo, quod sit illa entitas ita perfecta, vt non possit excogitari alia perfectior in ea ratione; atqui omnis entitas creata est talis, vt semper possit assignari alia perfectio maior illa, semper enim habet, quod sit dependens essentialiter adeoq. semper inuoluit imperfectionem.

Quæres tertio, quid dicendum sit de motu.

Respondeo implicare motum infinitè velocem, vel infinitè tardum: ratio est, quia vel tempus constat solis instantibus, vel partibus diuisibilibus in infinitum: si primo modo nõ posset vnico instanti mobile pertransire nisi vnicum indiuisibile spatij, vt suo loco videbimus. Si secundo modo semper poterit dari velocior, nam si v. g. moueatur Angelus per vnum palmum infinita velocitate certè debet fieri motus aliquo tempore diuisibili, hoc posito si medietate illius temporis confeciisset idem spatium palmare, iam motus esset velocior, ergo ille non fuit infinitè velox. Idem dico de hoc altero motu, potuisset enim medietate illius tẽporis fieri alius motus, qui esset illo velocior, ergo nullus est motus infinitus in velocitate; Idem è contrario valet in tarditate: de qualitate, an possit dari infinitè intensa agemus in lib. de Generatione.

Digitized by Google

IN QVARTVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

Ex occasione motus agit Aristoteles de loco, & tempore in quibus fit motus, per occasionem autem loci agit etiam de vacuo, quod esse potest solum in loco. Nos etiam has tres materias tribus quæstionibus perstringemus.

QVAESTIO XII.

De Loco.

ARTICVLVS I.

Quid sit locus.

DVplex est locus, alter extrinsecus, alter intrinsecus. Primus definitur ab Aristotele hoc pacto. Locus est superficies corporis continentis immobilis. Dicitur superficies corporis, quia quando corpus est in pleno, continetur ab alio corpore, adeoque ambitur superficie alterius corporis continentis, locus intrinsecus est spatium illud determinatum, quod occupat corpus, verbi gratia statua Cæsaris verè occupat tantum spatium determinatum, etiam si ipsa non ambiretur vllo corpore, quod spatium nos imaginamur esse ad modum cuiusdam entitatis per totum diffusæ, quæ planè volebant antiqui spatium esse corpus diffusum, quod cum cæteris corporibus penetraretur, & benè hic ab Aristotele impugnantur.

Ad interrogationem, vbi est Petrus, verbi gratia possumus benè respondere per vtrumq; locum dicendo est in tali superficie aëris, vel aquæ continentis, seu in tali spatio, si enim esset Petrus supra vltimam sphæram cælestem, & distaret vno palmo à Polo Arctico, possemus respondere est in tali spatio distante vnum palmum à

Polo

Polo Arctico,& sic de quocunque alio spatio intrinseco. Aristoteles tamen hìc definiuit locum extrinsecum tanquam magis sensibilem,& connaturalem corporibus. Difficultas in hac definitione est in explicanda immobilitate loci, aliqua enim sunt intra aliud tanquam in vase, aliqua tanquam in loco. Si quis enim petat in quo loco vniuersi est vinum, non bene respondetur, est in dolio; similiter si petas, in quo loco est Petrus, non benè respondetur dicendo, est intra suas vestes, quia tàm dolium, quàm vestes habent se, vt vasa mobilia, non autem, vt loca immobilia.

Ad hanc difficultatem dicendum est immutabilitatem loci desumi ex certa,& inuariata distantia, quam habet superficies continens corpus locatum respectu omnium punctorum fixorum, quæ possumus imaginari in hoc vniuerso: probatur, quia si res perseueret in eadē distātia à punctis fixis, non est mota, ergo est in eodem loco; quidquid enim perseuerat in quiete naturaliter est ibi, vbi prius: quod autem naturaliter non moueatur, patet quia dum res localiter mouetur, accedit ad aliquem terminum, ergo punctum illud fixum, quod potest concipi in ipso termino motus, non æquè distat à superficie locante sicuti prius, ergo quotiescunque ea superficies æquè distat ab omnibus fixis punctis, versus nullam partem poterit moueri, adeoque erit immobilis, quatenus seruans eā distantiam, non autem debet esse immobilis simpliciter.

Obijcies primo, licet corpus locatum habeat eandem distantiā à punctis fixis, tamen superficies continens illud potuit moueri, vt cum ventus impellit aërem circa turrim, turris nō mouetur, sed superficies aëris non est eadem, ergo turris esset in alio loco absq. eo, quod mota fuisset.

Respondeo, turrim in tali casu esse in eodem loco formaliter, nō in eodem materialiter, quamuis enim non sit eadem numero superficies aëris, tamen habet eandem distantiam superficies adueniens, quam habebat antecedens, adeoq. turris continetur superficie habente eamdem distantiam, quare sola superficies diuersa in ratione distantiæ potest facere locum extrinsecum diuersum formaliter, at verò sola diuersitas superficiei facit diuersitatem loci materialem,& non simpliciter.

Dices, si immota terra Deus moueret cœlum, nempe illud terræ approximando, ex vna parte terra mutaret locum extrinsecum, nec esset amplius in centro vniuersi, ergo amitteret suum locum naturalem absque eo, quod mota fuerit.

Respondeo in tali casu, terram esse in eodem loco præscindendo ab

ab hoc vniuerſo, at verò in ordine ad hoc vniuerſum non erit in eodem loco, quia nõ ſolùm mutata eſt ſuperficies ambiens, quæ mutatio parum faceret, ſed etiam mutata eſt diſtãtia reſpectu hutius vniuerſi; quia terra in tali caſu non diſtaret eodem pacto à partibus vniuerſi, adeoque ſemper verificatur, quod diuerſitas loci deſumitur à diuerſa diſtantia, ſiuè ſimpliciter à punctis fixis imaginarijs, ſiue reſpectiuè ad partes vniuerſi, vt accepit Ariſtoteles, qui putauit eſſentialiter Cœlum exiſtere in tali ſpatio, & eſſe eſſẽtialiter immobile ſecundum ſe totum; ſimiliter ſi nauis mouetur in Occaſum per decem paſſus, & homo eodem tempore ambulat in naui verſus Ortum æquali membrorũ motu per decem paſſus, homo ſimpliciter eſt in eodem loco, quia ſeruat eandem diſtantiã à punctis fixis imaginarijs, & etiam ad partes vniuerſi, eodem modo ſe habet, & tamen reſpectu nauis nunc eſt puppi vicinior, quàm prius, quia nempe potentia motiua nauis, & potentia motiua hominis conſeruarent eundem ſitum reſpectu eiuſdem.

Obijcies ſecundo, locus per Ariſtotelem non eſt maior locato, ſed corpus continens eſt maius locato, vt patet, ergo non eſt ſuperficies corporis.

Reſpondeo, ſuperficiem continentem per ſe acceptam non eſſe maiorem locato, neque eſſe propriè in loco, ſed eſt in loco ratione corporis, cuius eſt ſuperficies. Corpus enim continens eſt etiam in aliquo loco, & conſequenter eius ſuperficies eſt in loco cum ipſo.

Obijcies quarto. Duæ res ſpecie diuerſæ non poſſunt facere vnũ ergo duæ ſuperficies altera aquæ, altera aëris non faciunt vnum locum, ergo nauis, quæ partim eſt in aqua, partim in aëre non eſt in vno loco.

Reſpondeo, quod duæ res ſi ſumantur, prout differunt ſpecie, tranſeat, quod non faciant vnum, ſed duæ illæ ſuperficies non ſumuntur in ordine ad locum prout differunt ſpecie, ſed prout faciunt vnam continentiam cum tali determinata diſtantia, quare materialiter ſe habent differentiæ ſpecificæ in ratione loci.

Petes: Cœlum vltimum, quod non continetur ab alio, poteſt ne dici eſſe in loco?

Reſpondeo non eſſe in loco extrinſeco, eſſe tamẽ in loco intrinſeco: quare etiam ſi vltimum Cælum moueretur, vt placuit Ariſtoteli, qui ignorauit Cælum empyreum, non tamen mutaret locum extrinſecum, quem certè non habet, ſed ſingulæ partes mutarent locum intrinſecum, & ſecundum ſe totum non mutaret formaliter

locum

locum intrinsecum, sed solùm materialiter, quia licèt singulis instantibus locus intrinsecus totius Cœli mutaretur quoad entitatē, tamen secundum se totum seruaret eandem distantiam à punctis imaginarijs, adeoque formaliter non mutaretur.

ARTICVLVS II.

An detur vbicatio distincta à corpore locante, & locato.

QVærimus hìc, quidnam sit locus intrinsecus, hoc est illa forma intrinseca, per quam res constituatur in tali determinata distantia à punctis fixis, & consequenter quærimus, quid sit spatium cuiuscumque rei.

Prima sententia dicit talem formam, per quam vna res distat taliter à punctis fixis, & à spatio alterius rei non esse entitatem superadditam rei locatæ, sed haberi per connotationem extrinsecā. Ita communiter Nominales, & aliqui recentiores.

Secunda sententia communior negat posse aliquid esse in spatio aliquo sine aliquo superaddito, quod appellatur vbi intrinsecū. Ita Suarius disp. 51. Metaph. sec. 1. Albertinus tom. 2 de Prædicamento Vbi disputat. vnica. Hurtad. Arriaga, & alij in 4. Physicorum.

Dico rem quamlibet esse in loco seu spatio determinato per vbi intrinsecum, quod est modus ipsi rei superadditus.

Probatur primo, quia non potest dari noua denominatio realis, nec auferri vetus denominatio, nisi detur de nouo, vel auferatur aliqua forma, sed Petrum, v.g. esse in tali loco, in quo non fuerat, est noua denominatio realiter, & non esse amplius in loco, in quo erat prius, est ablatio illius prioris denominationis, ergo debet dari aliqua forma de nouo quando de nouo est hìc, & auferri aliqua quando de nouo non est ibi. hic syllogismus est alibi probatus, quia noua denominatio realis est nouum esse reale, cum denominatio nihil aliud sit, quàm esse, si ergo tale esse non est de nouo, sed erat, neque talis denominatio est de nouo, sed erat. Neque dicas erat quoad realitatem, non quoad denominationem, nā ad hoc, vt sit quoad denominationem, vel aliquid requirit ex parte obiecti de nouo, vel non. si nihil requirit, ergo erit ad nostrum libitum facere illā de nominationem de nouo. Si requiritur aliquid de nouo, habemus intentum.

Eo-

Digitized by Google

Eodem pacto impugnatur si dicas solam conceptib ilitatem esse de nouo, nam conceptibilitas de nouo, vel requirit ens reale de nouo, vel non, si secundum, ergo semper est talis conceptibilitas de nouo, quia est ad libitum concipientis: si primum ergo iam admittis aliquid reale de nouo, quod est intentum argumenti.

Dices, Petrum esse hic, est esse Petrum, & tangere talem superficiem aëris distantem tanta distantia a punctis fixis. Sed contra est primo, quia Petrum tangere hanc superficiem est quid de nouo, prius enim non tangebat, vt suppono; hæc ergo noua denominatio non solum est esse Petrum, & esse talem superficiem, quia prius erat vtrunque, & tamen Petrus non tangebat, ergo erit aliquid aliud præter Petrum, et superficiem, hoc autem appello vbi. Contra est secundo, quia remanet difficultas in explicando per quid hæc superficies distet tanta distantia à punctis fixis; quando quidem puncta fixa, et hæc superficies aëris tangens Petrum sunt indifferentia, vt habeant, vel non habeant tantam distantiam inter se.

Respondebis præter superficiem, & Petrum requiri negationem quantitatis interceptæ inter Petrum, et talem superficiem; sed cõtra est, nam ista negatio, vel negat solam quantitatem, vel negat quantitatem simul cum modo, per quem determinaretur quantitas, vt esset intercepta inter Petrum, & superficiem. Primum falsum est, quia potest dari Petrus remotus ab hac superficie, et negatio quantitatis extra Cœlum, et tamen Petrus non propterea est proximus huic superficiei, ergo negatio pura quantitatis non sufficit. Si dicas requiri negationem quantitatis interceptæ, seu interceptibilis inter Petrum, et superficiem aëris; contra est, quia quantitas intercepta non est mera quantitas, Petrus, et illa superficies, quia possunt existere ista tria absq; eo, quod quantitas sit intercepta, ergo esse interceptã habetur formaliter per aliquid aliud, quod appello vbi, ab eo enim modificatur quantitas, et determinatur formaliter ad esse interceptam: ratio à priori est, quia nisi ponas in ipso Petro aliquod determinatiuum formale, per quod sit indistans à superficie, quam tangit, Petrus semper erit idem, et extrinseca Petro erunt eadem, siuè Petrus sit coniunctus cum superficie, siue non sit coniunctus, quia tam Petrus, quàm extrinseca Petro, siuè collectiuè accepta, siuè quomodocunque sunt indifferentia, vt sint coniuncta localiter, ergo nisi aliquis modus realis detur formaliter determinans hanc indifferentiam frustra assignantur extrinseca.

Dices secundo. Determinatiuum esse decretum Dei volentis, vt Petrus sit coniunctus cum ista superficie; sed contra est, quia cum vult Petrum esse coniunctum cum superficie, quodnam est obiectum volitum, est ne Petrus, et superficies, an præterea est aliquid aliud? si est aliquid aliud, illud appello vbi, si nihil aliud est, nisi illa duo, certè Deus non vult Petrũ esse coniunctum cũ tali superficie, quia quando Petrus non est coniunctus cum ea, sed cum alia, adhuc datur totum obiectum volitum ab eo decreto, nempe Petrus, & hæc superficies à qua Petrus est remotus, quid ergo recurris ad decreta Dei, quæ diuersa non possunt esse in hac materia, nisi assignentur obiecta volita diuersa?

Probatur secundò conclusio à paritate motus localis, nam, vt aliqua res connotet diuersum, & diuersum spatium successiuè debet poni motus distinctus à mobili, per quem formaliter habeatur talis connotatio. Neque sufficit dicere, quod sit mobile, & spatia successiuè diuersa, ergo neque sufficit dicere, quod res in tali loco permanens sit ipsa res, & locus intrinsecus.

Dices, imò ex motu tollitur necessitas vbi permanentis, nam Petrum esse hic, est esse Petrum, fuisse talem motum Petri, & esse negationem motus vlterioris: his enim positis essentialiter habetur denominatio, quod sit hic. Sed contra est primo, quia Petrũ esse hic formaliter, non habetur per formam negatiuam, quia forma hæc negatiua formaliter est non esse motum, non autem est permanere in tali distãtia, sicut autem in successione esse in spatio successiuè non habetur per negationem formæ permanentis, sed debet dari positiua forma, nempe motus, ita etiam non potest haberi hic effectus formalis positiuus, Petrum esse hic per negationẽ. Secundò quia Angelus, v. g. etiam si ignoraret motum præteritum Petri, tamen intuendo Petrum hic videret Petrum esse hic, ergo id per quod formaliter est hic, nullo modo est negatio motus præteriti. Tertiò quia etiam sine motu Deus poterat producere Petrũ hic, & in tali casu nihil valet motus. Quarto, quia potest Deus simul facere, vt Petrus sit hic, & etiam moueatur vlterius, ergo esse hic non habetur per negationem motus.

Respondebis præter negationem motus requiri negationem omnium vbicationum supernaturalium, quæ fiunt præter leges naturæ, ergo posito tali motu, & negatione omnium vbicationum supernaturalium formaliter habetur Petrus hic. Sed cõtra est primo, quia ad hoc, vt altera vbicatio sit supernaturalis debet intelligi Petrus hic pro aliquo priori, nam in tantum vbicatio est super-

natu-

naturalis in quantum Petrus habet aliquam vbicationem hic, & nunc sibi debitam, vel saltem debet illam habere; peto ergo quid sit ista vbicatio sibi naturaliter debita ratione cuius dicitur supernaturalis alia vbicatio hic, & nunc? Certè hæc vbicatio naturalis non potest inuoluere negationem vbicationis miraculosæ; si enim illam inuolueret, implicaret concipi vbicationem pro priori ad vbicationem miraculosam, quidquid enim est pro priori ad aliquod, non potest inuoluere negationem illius, quia esset impossibile cum eo coniungi id, quod denominatur supernaturale, ergo implicaret contradictionem, quod Petrus esset hic naturaliter, & alibi supernaturaliter, quod certè est falsum; natura enim solum vult Petrum hic, & non habet vires ponendi alibi, at neque habet repugnantiam, vt Petrus supernaturaliter alibi ponatur. Secundò contra est, quia si semel Petrus esse hic est effectus formalis negatiuus saltem partialiter, non potest hoc præstari per formam positiuam, neque supernaturaliter, vt diximus de actione. Tertio quia negatio vbi miraculosi solum facit formaliter esse hic naturaliter. Ponamus enim Petrum esse in hac schola per vbi miraculosum, & simul esse in India per aliud vbi miraculosum si Deus auferret vtrumque vbi miraculosum, iam per te daretur forma negatiua, per quam Petrus esset in loco naturaliter, hic ne, an in India? Certè neutrum potest dici, quia nulla datur maior determinatio, vt sit hic, vel in India, ergo patet ex hoc, quod per negationem vbicationum supernaturalium non habetur sufficiens determinatio.

Ex dictis infero, quid sit præsentia Petri, verbi gratia ad locum extrinsecum, est enim vbi tale Petri, nempe modus in Petro ipsũ determinans, vt sit in tali determinata distantia ab omnibus punctis fixis imaginarijs, & præterea est vbi loci extrinseci cum tali propinquitate respectu vbicationis Petri; impossibile enim est, quod si locus, et Petrus habeant tales vbicationes, Petrus non sit hic, et non ambiatur à tali loco extrinseco; at verò ipsa vbicatio habet ex se esse hic, imo vt infra dicemus, ipsum hic nihil est aliud nisi talis vbicatio; quare vbicationes habent relationem ad inuicem prædicamentalem, quæ relationes sunt propinquitatis, seu distantiæ; vbi enim Romanum, & Neapolitanum, si ambo existant habent tantam distantiam.

Obijcies primo. Non potest dari causa vbicationis, ergo vbicatio non datur. Antecedens probatur, quia causa productiua huius vbi debet esse hic, vt sit applicata ad tale vbi producendum,

ergo antecedenter ad productionem vbi Petrus, verbi gratia, qui est causa sui vbi, debet intelligi esse hic, ad quid ergo producit vbi?

Respondeo negando antecedēs, ad probationem negatur, quod causa, vt sit applicata debet pro priori intelligi esse hic, sed pro priori præscindit, et neque potest dici esse hic positiuè, neque non esse hic negatiuè, sicuti in omni productione effectus, causa pro priori non debet intelligi cum actuali priuatione effectus, neque cum actuali existentia effectus, sed debet præscindere, quamuis enim in eo instanti causa habeat effectum, si tamen illa consideretur tanquam pro priori hoc est, vt causa in actu primo proximo non debet accipi effectus ipsius, sed debet ab eo præscindi.

Dices pro eo instanti, pro quo causa producit vbi, esse debet determinata ad illud producendum. sed non potest esse determinata, quia inter cætera determinatiua saltem aliquando debet dari motus, in instanti autem non datur motus, ergo non potest dari causa determinata.

Respondeo primo hanc difficultatem soluendam esse ab omnibus in motu locali, cuius vna pars determinat potentiam motricem ad partem subsequentem producendam, & tunc non est pars antecedens. Secundo respondeo directè causam determinatam ad producendum vbi esse virtutem causatiuam, siuè in locato, siuè in alio agente extrinseco cum negatione impedimenti in actu primo proximo, & motum præcedentem; non debet autem motus tunc existere, sed solùm debet præcessisse, & requiritur, vt conditio.

Obijcies secundò, si intelligamus Petrum, motum antecedentē, & negationem cuiuscunque vbi supernaturalis, & motus consequentis, implicat, quod Petrus non sit in tali loco, ergo per illa, quæ diximus, et non per modum superadditum Petrus existit in hoc loco.

Respondeo, distinguo consequens, per illa existit causaliter cōcedo, formaliter nego; si enim sunt illa omnia, datur adequata causa necessaria, vt ponatur aliquis modus, per quem Petrus sit hic, non autem formaliter per illa sine modo habetur, quod Petrus sit hic propter rationes supra dictas. Est autem malus modus argumentandi ex sola positione causæ necessariæ negare dari effectum v.g. ex positione solis, et reliquarum circumstantiarum sequitur necessariò, quod detur luminosum, non tamen valet inferre, ergo

causa

Digitized by Google

causa formalis luminosi est sol, cum reliquis circumstantijs; sed debemus videre, an præter solem, & circumstantias debeat dari aliquod ab illis productum, per quod habeatur denominatio luminosi formaliter.

Objicies tertio. Omne agens debet intelligi approximatum passo, vt aliquid in eo producat, ergo cum plumbum, v.g. descendit ad pauimentum, & in eo sistit, pauimentum, vt determinet plumbum ad productionem vbi permanentis, debet intelligi approximatum ipsi plumbo, ergo iam plumbum itelligitur vbicatum prope pauimentum.

Respondeo, si loquamur de vbi permanenti plumbi debet quidem plumbum esse applicatum pauimento pro tempore antecedente ad productionem vbicationis permanentis, nam per motú localem plumbum fuit in toto spatio vsque ad pauimentum per vbicationem fluentem essentialiter maiorem ipso plumbo, quæ vbicatio habuit pro termino extrinseco ipsum pauimentum. Sufficit autem talis applicatio per motum localem antecedentem, & nõ debet dari noua applicatio pro priori in eo instanti, seu tempore, quo producitur vbicatio permanens plumbi; hoc ipso enim, quod datus fuerit ille descensus vsque ad pauimentum, & negatio causæ impedientis in actu primo proximo datur sufficiens determinatio, vt producatur vbi permanẽs in plumbo.

Ex dictis impugnatur sententia Alberti M. de principijs tract. 1. cap. 1. & aliorum dicens, vbicationem consistere in quadam relatione resultante ex eo, quod corpus ambiatur loco; Nam antecedenter ad hanc relationẽ sufficienter corpus est hic; hoc ipso enim, quod ambitur tali loco ita distante à punctis fixis, iam habet in se formam intrinsecam, per quam hic constituatur, adeoque superflua erit omnis alia forma, vt constituatur hic. Quod si nomine relationis intelligas ipsam vbicationem, per quam corpus connotat aliam vbicationem corporis ambientis, benè appellas relationem prædicamentalem, sed non est necesse, vt detur sub denominatione relationis, nam etiam si destrueretur omnis alius locus, & vbicatio ipsi extrinseca, adhuc corpus illud esset hic præcisè per suam met vbicationem intrinsecam, quæ in tali casu ex defectu terminí non esset talis relatio prædicamentalis.

Impugnatur secundò singularis aliquorum sententia apud P. Arriag. loco citato num. 32. ponens nescio quas formalitates in Deo virtualiter inter se distinctas, quarũ vna habet ex se, vt sit tale

le spatiũ, v.g. Romanũ, alia sit spatiũ Florẽtinũ, & sic de cęteris. Hãi sentẽtiã pluribus, & meritò impugnat idẽ P. Arriaga, & sanè mih maximè displicet, quia ponit mera vocabula sinè re, & dissecat Deũ in partes, quas virtuales appellat, sed sinè vllo conceptu obiectiuo huius virtualitatis, paulatim dicent solem, & Cælum esse ipsum Deum secundum quasdam virtualitates, quarũ alia habet, vt sit sol, alia vt sit Cęlum. Verùm neque quidquam saluant per has virtualitates, quas nescio, quàm decenter ponant in Deo. Nam Petrũ esse Romæ, quid est? Dices, entitas Petri, & virtualitas Dei Romana, sed datur etiam entitas Petri, & virtualitas Dei Florẽtina, ergo Petrus erit Florentiæ; quare debes dare aliquid, per quod Petrus connectatur potius cum hac, quàm cum illa virtualitate diuina, & hoc aliquid appello vbicationem: ratio à priori est clara, cum enim duæ res sunt ab inuicem absolutæ, vt est Petrus, & virtualitas Dei Romana, debet dari aliqua entitas, per quam connectantur; ergo non possunt fugere entitatem aliquam superadditam locato, vt sit in loco.

Restat solùm videre, an vbicatio sit modus, an accidens absolutum. Communis est sententia vbicationem esse modum superadditum rei locatæ, non autem accidens absolutum, hoc est vbicationem essentialiter afficere sine vnione distincta, sed per suam entitatem subiectum, quod vbicat, sicuti vnio per suam entitatem vnit extrema sinè alio distincto. Contra sententiam communem sensit P. Arriag. 14. disp. Phys. sect. 2. num. 49. nihili faciens aliorum authoritatem ob suas rationes, quæ reducuntur ad meram paritatem albedinis, sicut enim albedo est accidens absolutum, sic etiã erit vbicatio, & deinde conatur soluere disparitates, quæ possent assignari, quoad hoc inter albedinem, & vbicationem. Affert etiã exemplum visionis, et amoris, quos actus dicit esse entitates absolutas, et non modales.

Vt ergo communitatem, cuius semper amator fui, contra singularitatem tuear, dico vbicationem esse modum, et per se ipsum afficere subiectum, quod vbicat.

Probatur conclusio primo, quia nullum est indicium in natura, quod vbicatio sit accidens absolutum à subiecto, ergo se debet habere, vt accidens modale; Consequentia videtur bona, nam si nullum sit indicium in natura, quod vbicatio sit accidens absolutum, adeoque multiplicarentur tot vniones in natura, quot sunt vbicationes rerum sine vlla necessitate. Antecedens probatur nã albedo, et cœtera accidentia, quæ communiter ponuntur vt absolutæ

luta, certè ob aliquam rationem ponunt ur absoluta, & non gratis nempe, vel quia scitur ex fide, quod aliquando sint sinè subiecto, vt quantitas in Sanctissimò Eucharistiæ Sacramento; vel quia remanent mutatis subiectis, vt colores, qui aliquando remanent etiã si fiat mutatio substantialis, vt in fructibus, qui non mutant colorẽ, etiam si vita careant, vel quia violenter producãtur, & per accidens in subiectis sibi non debitis, vt vi ignis mutatur color in metallis, & lateribus, vel ex alio capite, quia videlicet sunt accidentia, quæ pertinent ad ornatum, vel ad actiuitatem substantiarum, vt sunt colores, & accidentia actiua; nulla autem ex his rationibus potest militare pro vbicationibus; vbicatio enim non perficit rem secundum suas omnes proprietates, res enim, siue sit hìc, siuè alibi, est æquè in se perfecta; at si careat, v.g. albedine non est perfecta, quia caret accidente intrinseco, sicuti si esset lac sine albedine esset imperfectum: at si existat in spatio A, vel in spatio B, nihil acquirit, nec amittit formaliter perfectionis. Dixi formaliter, quia efficienter posset amittere ex propinquitate alicuius agentis contrarij: rursus neq; vbicatio, quæ est in vno corpore apparet in altero sicuti apparẽt colores, & reliquæ qualitates visibiles, vel tangibiles, vel immediatè sensu perceptibiles. Ergo nulla est ratio, cur ponatur vbicatio tanquam accidens à subiecto ãbsolutum.

Hinc ruit totum fundamentum sententiæ oppositæ ex paritate colorum, & actuum vitalium. Nam in primis actus vitales sunt per me accidentia modalia, quia sunt essentialiter alligata principijs suis, à quibus procedunt, vt videbimus in libris de anima. De coloribus assignatur ratio ex dictis, cur non exigant subiecta determinata. Et ratio à priori est, quia colores non habẽt solùm determinare formaliter subiectum ad aliquod sicuti vbicatio, sed pertinent ad ornatum: natura autem solùm instituit modos, vt essent pura determinatio, vt est actio, vnio, duratio, vbicatio, et similes; ex quibus excepta vnione omnes sunt extra conceptum rei, vt patet. Præterea habemus à posteriori reliqua accidentia posse separari à substantia in mysterio Eucharistiæ, ergo non sunt modi ipsius substantiæ.

Dices, hæc accidentia esse modos quantitatis, à qua non habemus argumentum, quod possint separari, vel non sunt modi quãtitatis, et ita neque vbicatio erit modus rei vbicatæ. Sed contra est, nam accidentia, v. g. albedo &c. sunt debita non quidem quantitati, sed substantiæ panis, ergo si essent modi deberent non posse separari à substantia panis, quod à posteriori videmus esse

falsum

falsum. Natura enim quando facit accidens intuitu alicuius subs-tantiæ, si illud accidens est modus debet esse modus respectu illius, et non modificare aliam rem, respectu cuius non est debitus; ergo si albedo est accidens debitum pani, panem debet modificare, non autem quãtitatem, cui non est debitum, ergo habemus indicium sufficiens, quod albedo, et similia accidentia nõ sint modi, sed accidentia absoluta debita alicui substantiæ. Denique accidentia absoluta suscipiunt magis, et minus, quia potest addi noua pars perfectior eiusdem accidentis, quæ faciat vnum cum alia parte eiusdem prius antecedente, vt explicabimus agentes de intensione; vnde potest optime argui, quod non habeant solùm determinare sua subiecta, sed perficere per maiorem, et maiorem intensionem. At vbicatio non suscipit magis, et minus, sed solùm determinat subiectum ad essendum hic, adeoque datur peculiaris ratio, quod non sit accidens absolutum, quod satis est pro defensione communis sententiæ, nam de cætero hæc quæstio non est maximi momenti.

ARTICVLVS III.

Quid sit spatium imaginarium, & an Deus in eo existat.

SVnt qui putant, spatium imaginarium nihil aliud esse nisi chymæram Ita P. Hurtad in Phy. disp. 14. sect. 2. P. Arriaga disp. 14. Physicæ sect. 13. Quied. in Physica controuersia 15. punct. 2. P. Vasqu. et alij. Probant, quia non potest esse quid reale positiuũ. nam extra Cœlum Empyreum supponimus nihil esse reale, et tamen ibi imaginamur spatium; præterea vel hoc reale esset accidens solum, vel substãtia, non est accidens solum, quia est debitum substantiæ, et debet existere cum sua substantia; non substantia, quia si Deus annihilaret aërem existentem inter duos parietes, daretur quidem spatium imaginariũ inter illos, et tamen nulla daretur ibi substantia.

P. Arriag. probat spatium imaginarium non esse negationem corporis, quia negatio nõ cohæret cum forma, quam negat, at spatium imaginarium non destruitur per positionem corporis in eo spatio. Hæc impugnatio nulla est, quia vel supponit falsum nempe remanere spatium imaginarium cum spatio reali, nomine enim spatij imaginarij non intelligitur spatium plenum corpore, sed cur-

Digitized by Google

corpore vacuum, vndè dicimus extra Cælum esse spatia imaginaria, vel si nomine spatij imaginarij, vis accipere aliquid commune vacuo, & pleno, dicetur, spatium imaginarium esse hoc disiunctũ, nempe, vel realis vbicatio, vel negatio realis vbicationis, quare semper remanet, siue ponatur corpus cũ positiua vbicatione, siue tollatur; vel deniq. nomine spatij imaginarij venit aliqua negatio vbicationis indeterminatæ, quæ sèper, remanet, vt infradicemus.

P. Ouied. loco citat. n. 3. cum alijs, probat non esse quid negatiuũ primò, quia esset negatio repugnantiæ corporis ad existendum in illo, sed repugnantia est negatio, ergo esset negatio negationis, & per consequens quid positiuum. Hæc probatio est omninò inefficax, nam in primis repugnantia non est negatio, sed potius est conflatum chymæricum, & impossibile, vt explicauimus in logicis de ente rationis; quod autem non sit negatio patet, non enim est negatio entis realis positiui, quia sequeretur, quod nunc esset repugnantia alterius mundi, quia nunc est negatio realis ipsius, & idem dico de qualibet negatione reali, quam assignaueris sub nomine repugnantiæ, ergo ex hoc capite non concludit argumentum; sed neque est verum, quod spatium imaginarium sit negatio repugnãtiæ, sed est negatio vbicationis, si nomine spatij imaginarij accipis aliquod vacuum; vel si præscindas à vacuo, & pleno erit disiunctum, nempe, vel vbicatio realis, vel realis negatio vbicationis realis.

Postquam ptobarũt hi Auctores spatium imaginarium, neque esse quid positiuum, neq. quid negatiuũ, concludunt esse quid fictium, & ens rationis, habens esse obiectiuè tantùm in intellectu, in ordine ad quod explicatur corporum præsentia per vbications, quæ habent collocare res locatas in tali spatio imaginario.

Maximopere displicet hæc doctrina primo, quia non possumus per comparationem ad aliquam chymæram explicare essentiam entis realis, qualis est vbicatio, quomodo enim prædicata realia habent vllam connexionem cum prædicatis omninò repugnantibus? posset benè res spiritualis concipi per res materiales, vt concipitur Angelus ad modũ iuuenis alati, quia phantasia non potest attingere res spitituales, at ibi nulla fit fictio, nec venit obiectiuè chymæra, sed verum ens reale, cui potest habere aliquam similitudinem ens spirituale, at chymæra, quæ neque potest ab intellectu fingi nisi per species veri entis realis, quomodo adiuuat, vt per comparationem ad ipsam, intelligatur vera essentia entis realis?

Secundò, quia neque potest explicari, quid veniat obiectiuè in hac chymæra, quod sit vtile, vt melius cognoscatur corporum præ-

sentia, vel enim concipis (vt videntur sentire hi Auctores) corpus diffusum per illud spaaium, sed cũ in hoc obiecto duo veniant, nempe corpus diffusum, & spatium in quo diffunditur, inquiro sub illa voce, in hoc spatio, quid venit ex parte obiecti? videtur enim, quod tota ratio chymeræ sita sit in ea voce, spatium, quid est hoc spatium, quod concipis, & dicis esse fictitium, certè per species alicuius entis realis debes cõcipere, vt vidimus in ente rationis; hoc reale, siuè hæc realia inquiro quæ sint? non est purum corpus, tũ quia non esset chymæra, tum quia corpus non habet per sua prædicata extendi per spatium, ergo aliquid aliud debet venire.

Dices, concipi aliquid reale existens necessarium, & indestruibile à Deo, quod essentialiter commensuret vbicationes temporum, hoc autẽ est quid chymericũ. Sed contra est, quia hoc chymæricum est omninò superfluum, & impertinens ad commensurandas vbicationes reales; præsertim ob duplicem rationem; prima est, quia ipsamet vbicatio realis est essentialiter illa extensio per suam entitatem, non enim habet hoc per aliquid superadditum, nam illud superadditum ego appello vbicationem, ergo concipiendo ipsam vbicationem realem sufficeret concipere spatium reale sine vlla fictione. Hinc sequitur, quod non minus ipsa commensuraret illud totum spatium fictitium, quam spatium fictitium commensuraret ipsam; in tantum enim spatium fictitium commensurat ipsam, quia ipsa essentialiter per suam entitatem ipsi coextenditur, si enim esset indifferens vt coextenderetur non posset ipsam commensurare, vt patet, ergo nihil plus explicasti de ipsa vbicatione per spatium imaginariũ, quàm de spatio imaginario per ipsam. Secunda ratio est, quia illud reale commensurans vbicationes, non commensurat eas per illa prædicata implicatoria, sed per prædicata realia, prædicatum enim implicatorium in eo esset, quod sit quid indestruibile, & existens necessariò, quod est proprium solius Dei, hoc autem prædicatum est per accidens in ordine ad commensurandas, & explicãdas vbicationes reales; sicuti si dicas, quod vlna mensurans pannum sit ens indestruibile, & necessarium, ponis in vlna prædicatum chymericum, sed omninò impertinens in ordine ad mensurandum; prædicata ergo per quæ explicaret, & commensuraret vbicationes essent, quod sit tale spatium, sed hoc prædicatum est reale, & competens omni vbicationi, ergo explicas ad summum vnam vbicationem per aliam. Displicet tertio, hæc doctrina, quia non potest co-

Digitized by Google

cohærere eũ eo, quod multi ex his auctoribus dicunt, nempe Deũ esse in spatio imaginario, & quod vt videbimus est ab omnibus concedendũ. Probatur, quod non cohæreat, nam Deus non est in chymæra, neque chymæræ coexistit, sed per te spatium imaginarium est chymæra, ergo Deus illi non coexistit.

Neque dicas cum Arriaga Deum esse in spatio imaginario, quia habet per suam immensitatem, vt coexistat cum qualibet creatura, si illa ponatur sine vlla sui mutatione intrinseca, quod sanè certum est, apud omnes fideles; nam ex hoc ipso teneris dicere, spatium imaginarium non esse chymæram; ex eo enim, quod Deus habeat de se, vt coexistat cum creatura si ipsa ponatur, non habet certè, vt coexistat chymeræ, ergo vel per hoc non habet coexistere spatio imaginario, vel spatium imaginarium non est chymæra, sed est, vt aliqui volũt creatura, & vbicatio possibilis de qua sententia mox dicemus. Præterea totum hoc, quod dicis nempe Deum per suam entitatem habere coexistere creaturæ si ponatur sinè vlla sui mutatione est prædicatum, quod bene explicat diuinam immensitatem, sed non soluit quæstum, de hac enim immensitate quæritur, an coexistat spatio imaginario tunc quando creatura nõ est, verbi gratia, extra Cœlos. Si dicas coexistere sequitur, quod coexistit chymeræ, si dicas non coexistere, tibi contradicis ponens conclusionem affirmatiuam, quod Deus coexistat spatio imaginario contra P. Vasquez & alios.

Rationabilius alij negant actuale spatium imaginarium, sed asserunt actu nihil dari, nisi spatium reale, spatium autem imaginarium nihil esse præter spatium possibile, hoc est vbicationem possibilem; hæc sententia omninò probatur, si tamen explicatur iuxta nostram sententiam peculiarem, qua diximus in logicis possibile nihil esse aliud, nisi distinctum, nempe, vel res, vel negatio rei; quare spatium imaginarium est, vel vbicatio realis, vel priuatio defectibilis illius, quòd si loquamur de mero spatio imaginario prout contradistincto à reali positiuo, est priuatio ipsa vbicationis realis, quod si negas dari reales negationes, & explices possibile per aliquid aliud, difficulter negabis dari actu spatium imaginarium, quod in aliqua vera negatione consistat, sic enim si hoc negaueris argumentor. Annihilet Deus aerem in hac aula, hi parietes habebunt actu eamdem distantiam, quam habebant prius, & tamen nullum spatium positiuum intercedit, ergo distant per spatium imaginarium, hoc est per negationem existentem possibiliũ vbicationum, quæ de facto non existunt.

Dices hos parietes actu non distare nisi aptitudinaliter, quia potest inter ipsos ita vbicatos poni spatium reale, per ipsas ergo vbicationes actuales, non habent sufficienter distare. Sed contra est, nam distare aptitudinaliter non est actu distare, sed habere aptitudinem ad distandum, ergo actu non distant, sicuti habere aptitudinem ad durandum cras non facit, vt res duret cras, sed solùm vt sit apta durare cras, ergo similiter nunc actu non distant, quamuis apti sint distare.

Dices iterum distare non est denominatio, quæ denominatur à spatio intermedio, sed solum sumitur ab ipsis vbicationibus parietum, cum ergo actu paries vnus habeat hanc vbicationem, & paries alius habeat aliam; habent actu sufficientes formas, vt dicantur distare, sicut duo alba per duas albedines dicuntur similia, vel per albedinem vnius, & nigredinem alterius dicuntur dissimilia. Sed contra est, quia distare vnum ab alio non habetur per formam positiuam, nempe ex eo, quod vnum habeat vbicationem A, & alterum vbicationem B, essentialiter distantes, sed præterea requirit negationem immediationis vnius respectu alterius, quæ negatio est negatio vbicationis intermediæ.

Probatur hoc, quia si paries crassus vno palmo penetretur cum vbicatione B, distante per vnũ palmum ab vbicatione parietis A, & rursus idem paries B, replicaretur per vbicationem C, immediatam ipsi parieti A, in tali casu realiter paries B, non distaret à pariete A, quia esset illi contiguus, & tamen esset in vbicatione C, quæ essentialiter distat ab vbicatione parietis A, ergo non sufficit, quod habeat vbicationem distantem, sed debet habere negationem vbicationis intermediæ, adeoque ratio distantiæ non desumitur à solis vbicationibus existentibus, sed à spatio intermddio imaginario nempe à negatione vbicationis intermediæ.

Replicabis, verum esse, quod corpora distent non solùm per suas vbicationes essentialiter distantes, sed per negationem vbicationis intermediæ, at ipsæ vbicationes se ipsis distant. Sed contra est, quia hoc solùm sufficit mihi, nõ posse explicari duo corpora distantia inter se, nisi per spatium imaginarium intermediũ, quod sit realis negatio vbicationis intermediæ, nam si non potest negari, quod duo parietes huius aulæ distent inter se dato vacuo in toto aëre, qui est in hac aula, neque potest negari, quod detur id per quod formaliter distant inter se, nempe per negationem vbicationis intermediæ; cæterùm loquendo de ipsis vbicationibus neque possunt explicari quomodo distent nisi in ordine ad

spatium

ſpatium imaginarium intermedium, vel enim vbicationes poſsũt replicari de potentia Dei abſoluta, vel non, ſi primũ, ad hoc, vt diſtent debet dari negatio vbicationis intermediæ, ſicuti dictum eſt de corporibus. Si ſecundum ergo in tantum diſtant, in quantum eſſentialiter exigunt non poſſe vbicari in ſpatio intermedio, Rurſus quomodo poteſt intelligi, quoddiſtent actu decem palmis, niſi concipiãtur illi decem palmi, quo modo ſaltem negatiuè non poſſunt denominari diſtantes per decem palmos.

Ex dictis dicendum vlterius videtur ſpatia imaginaria prout diſtincta à reali nihil eſſe aliud niſi negatio nã aliquã vbicationis realis, vel ſit hæc vel illa indeterminatè, ſicuti ſpatiũ reale ſignificat aliquam vbicationem realẽ, vel hanc, vel illam, vndè licèt in palmo ligni A pereat vbicatio caloris occupantis lignum, vel auferatur ab hoc ſpatio lignum A, & ſuccedat loco illius vbicatio, v.g, aëris, licèt vbicationes ſint diuerſæ, dicitur tamen idem ſpatium reale, quia ſemper eſt vbicatio eiuſdẽ rationis in ratione ſpatij; ſic etiam in hoc aëre, quia datur negatio vbicationis alterius corporis, adhuc ſemper verificatur dari aliquam negationem alicuius vbicationis, vndè fit, vt licet ex poſitione alicuius vbicationis tollatur negatio ipſi oppoſita, tamen reſtat ſimpliciter ſpatium imaginarium; niſi velis nomine ſpatij imaginarij intelligere ſpatium vbi nõ ſit aliquod reale poſitiuum, nolo enim facere quæſtionem de nomine.

Probatur primò, concluſio ex dictis, quia cum ſpatium imaginarium non poſſit eſſe quid poſitiuum, neque chymęricum, nec res poſſibilis, nec poſſit omninò negari, aliud non reſtat, niſi quod ſit ipſa negatio vbicationis realis.

Probatur ſecundò, quia per huiuſmodi negationem poſſunt omnia benè ſaluari, nec vllum afferri poteſt inconueniens, quod inconueniens, non ſoluatur, ergo ipſa eſt ſpatium imaginarium.

Obijcies primò, duæ vbicationes contiguæ non habent ſpatium imaginarium intermedium, & tamen datur negatio vbicationis intermediæ, ergo talis negatio non eſt ſpatium imaginarium.

Reſpondeo hanc negationem eſſe negationem chymęræ, & nõ ſpatij realis, nam vbicatio intermedia inter duas vbicationes cõtiguas eſt impoſsibilis, adeoque eſt chymæra, nos autem non diximus ſpatium imaginarium eſſe negationem chymęræ, ſed negationem vbicationis realis.

Obij.

Digitized by Google

Obijcies secundò. Si spatium imaginarium esset quid reale, quamuis negatiuum, daretur infinitum actu, nam de spatio imaginario semper possumus actu accipere partes æquales, verbi gratia vni palmo, nec vnquã exhauriretur, quia nunquã actu ponetur totum spatium collectiuè.

Respondeo, hoc argumentum non afferre difficultatem peculiarem huic doctrinæ de spatio imaginario, sed esse difficultatem communem ijs, qui ponunt reales negationes oppositas singulas, singulis formis, quare illi satisfaciemus in quæst. de tempore, vbi definiemus quomodo negationes multiplicentur, & an sint syncategorematicè infinitæ.

In tertio puncto difficultatis in articulo propositæ, nempe an Deus sit in spatio imaginario, variant Auctores; negat P. Vasqu. 1. part. disp. 29. c. 2. Fasol. ibid. quæst. 8. artic 2. dub. 3. P. Moncæus quæst. 1. cap. 2. qui plurimos pro hac sententia Auctores citant. Affirmant è contrario P. Suar. disput. 30. Metaph. sect. 7. num. 3 Molina 1. par quæst. 8. art. 1. disput. 3. Hurtadus hìc disput. 14. sect. 3. Arriag. hic disput. 14. sect. 4. & alij; citantur pro vtraque parte Augustinus, sed quantùm videre potui nihil clarè de hoc asserit, sed Deum esse vbiq; non esse mundo circũscriptũ, in lib. tamen vndecimo de Ciuitate Dei cap. 5. loquendo de ijs, qui ponunt loca imaginaria extra Cælũ hæc habet verba. An fortè substantiã Dei, quã nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed de ea, sicuti de Deo sentire dignum est, fatentur incorpoream præsentiam, vbique totam à tantis locorum extra mundum spatijs absentem esse dicturi sunt, & vno tantum, atque in comparatione illius infinitatis, tam exiguo loco, in quo mundus est occupatam? Vbi August. apertè asserit, quod posito, quod dentur spatia imaginaria, absurdè negetur ibi esse Deum, cæterum ipse nihil certè definit de spatijs imaginarijs.

Dicendum videtur cum secunda sententia Deum existere in spatijs imaginarijs.

Probatur primo, quia si Deus non esset in spatijs imaginarijs Deus non posset creare alium mundum; imo neque potuisset creare hunc, quem creauit de facto. Sequela probatur, nam causa efficiens vbicationem in aliquo debet prò priori intelligi in eo loco, in quo collocat illud, ergo Deus collocans essentialiter mundum in hac vbicatione reali, debet prius intelligi in loco, seu spatio existẽs, vt eam vbicationem efficienter in eo producat, ergo antecedenter ad omnem vbicationem realem per suam essentiam habebat

Digitized by Google

hæc existere in eo spatio imaginario. Antecedens videtur primũ principium, quo pacto enim Angelus existens in hac aula posset se collocare Florentiæ efficienter, vt causa principalis; posset quidem Deus illum adducere Florentiam, quia Deus est etiam ibi per suã immensitatem, & si ibi non esset videtur patere lumine naturæ, quod non posset ibi se collocare, sicuti patet lumine naturæ, quod nulla causa posit agere physicè in distans.

Dices sufficit, vt causa pro eo priori non intelligatur absens ab eo loco, sed nõ est necesse, vt intelligatur ibi præsens. Sed cõtra est, nã loquẽdo de causa materiali hoc verũ est, quia causa matetialis nõ determinat speciẽ actionis, v. g. Angelus est indifferẽs, vt collocetur in hoc, vel illo spatio, at loquẽdo de causa efficiẽte debet habere in se determinationẽ, vt producat hanc vbicationẽ; determinatio autẽ in rebus corporeis est motus localis, vt producant in se vbi permanens, & motus antecedẽs contiguus, vt producant motũ vlteriorẽ in spatio subsequẽti: in rebus spiritualibus, vt sunt Angeli, sufficit præsentia in loco immediato illi spatio, in quo se collocant; non autem potest se collocare in spatio remoto ab eo in quo sunt, vt est communissima sententia; quomodo ergo Deus collocabit mundum in spatio, in quo Deus ipse per te nõ est, ante quam mundus ibi collocetur?

Dices ad hoc sufficere, quòd Deus habeat essentialiter de se, vt posita vbicatione existat cum illa. Sed contra est, nam etiam Angelus habet de se, vt posita vbicatione quacunque sua coexistat cum illa, & in eo spatio; & sola differentia est inter Angelum, & Deum, quod Angelus habet essentialiter coexistere cum sua vbicatione, Deus autem habet coexistere cum quacunque vbicatione; sed sicuti Angelus in priori naturæ, non est in spatio suæ vbicationis, adeoque non potest efficienter illam in se producere, nisi intelligatur saltem præexistere in spatio illi immediato, quamuis illa, quam producturus est, sit vbicatio propriè, & verè sua, sic etiam Deus non posset eam producere, nisi intelligatur per suam immẽsitatem applicatus illi spatio imaginario, quod certè nulla creatura potest habere; nulla enim creatura habet esse in quocunq. spatio imaginario & sola vbicatio, quia est spatium reale habet existere in aliquo limitato spatio imaginario.

Dices hoc argumentum esse ab omnibus soluendum, nam ipsa negatio vbicationis liberè ponitur à Deo, ergo debet præintelligi ibi, vt ipsam ponat.

Respondeo, sufficit, quod in Deo detur pro priori necessitas

ad

ad coexistendum huic disiuncto nempe, vel vbicationi, vel ipsius negationi, & hoc habet ratione suæ immensitatis, quarè siuè liberè ponat vbicationem siuè liberè non ponat (quod est liberè ponere eius negationē) sufficienter præintelligitur ibi applicatus Deus per necessariam connexionem cum hoc disiuncto; hanc autem necessitatem non habet creatura; nam Angelus existens Romæ nunc, neque connectitur cum vbicatione sua Florentina, neque cum ipsius negatione, & consequenter non habet necessariam connexionem cum eo disiuncto, sicuti habet Deus. Vnde confirmatur nostra sententia, quia scilicèt si Deus non existeret in spatio imaginario non haberet essentialem connexionem cū hoc disiuncto, adeoque non posset ponere efficienter, neque vbicationem, neque ipsius negationē; quare adhoc, vt causa efficiens determinet vbicationē, debet esse ibi, seu immediatè proximè præexistere, vel habere necessariam, & essentialem connexionem cum eo disiuncto nēpe cum vbicatione, vel negatione ipsius.

Secundo probatur conclusio, quia si Deus non existeret vere in spatijs imaginarijs formalissimè moueretur localiter, quod ab omnibus negatur; vnde dixit Apostolus in ipso viuimus mouemur, & sumus; non autem ponit Deum nobiscum moueri, sequela probatur, nam moueat Deus totum mundum per modum pilæ, producēdo in eo vbicationem fluentem, in omni rigore, mundus moueretur, & mutaret locum, sed cum eodem etiam rigore moueretur, & mutaret locum Deus, si non esset in spatijs imaginarijs; neque dicas Deum non moueri, sed per extrinsecam mutationem vbicationis illi coexisteret; nam etiam mundus non aliter moueretur localiter, nisi coexistendo diuersæ vbicationi, cum qua connectitur; nec enim est necesse, vt vbicatio sit subiectata materialiter in ipso mundo, nam etiam si esset creata sinè dependentia subiecti, adhuc per eam moueretur mundus, quia vt vidimus effectus formalis habetur per vnionem formæ cum subiecto denominationis, sed eadem vbicatio fluens non minùs vniretur cum Deo, ergo in omni rigore Deus moueretur.

Dices primo spatia imaginaria sunt actu nihil, ergo Deus non existit in illis, nam non existit in nihilo.

Respondeo distinguo antecedens. Sunt nihil, hoc est non existunt suo modo nego antecedens; sunt nihil, hoc est non sunt ens positiuum concedo, nihil enim aliquando sumitur pro, non, sic dicimus, Antichristus nunc est nihil, qua locutione non significamus, Antichristum esse nūc negationem, implicat enim, quod Antichristus

tus sit negatio, sed solum significamus Antichristum non esse, aN-
quando, nihil, significat negationem, sic dicimus tenebræ sunt ni-
hil, & loquendo in tali sensu spatia imaginaria sunt nihil, & Deus
est in nihilo, hoc est in negatione spatij.

Dices secundò, si priuationes vbicationum sunt spatia imagina-
ria sequitur, quod in hac schola dantur omnia spatia imaginaria,
quæ sunt extra cælum, cum enim hìc non existant vbicationes illæ
possibiles extra Cælum debent existere priuationes ipsarum, &
consequenter illa spatia imaginaria.

Respondeo negando sequelam, nam sicuti ipsæ vbicationes po-
sitiuæ sunt essentialiter alligatæ in tali distantia respectu aliarum
vbicationum, sic etiam priuationes ipsarum sunt alligatæ in eadē
distantia ab alijs vbicationibus, & spatijs siuè positiuis, siuè nega-
tiuis, cum ergo vbicationes possibiles extra Cælum per suam es-
sentiam habeāt distare ab vbicatione huius scholæ, implicat, quod
hìc existant, & consequenter implicat, quod existant illæ priuatio-
nes illarum earundem vbicationum.

Dices tertiò, esse hìc negationem vbi Florentini, est nonesse hìc
vbi Florentinum, ergo est hìc negatio illius.

Respondeo aliud esse negationem vbi Florentini existentem,
aliud esse eādem existentem hìc; vox enim hìc dicit aliquid aliud,
quod non dicit negatio vbi Florentini; hoc autem aliquid aliud
est quid chymæricum; est enim negatio dicens tantam distantiam
ab vbi Romano, & negationem eiusdem distantiæ; dicit enim tā-
tam distantiam, quia est negatio vbi Florētini habentis taliter dis-
tare ab vbi Romano; dicit etiam negationem tantæ distantiæ, quia
ponitur esse hìc in vbi Romano, quare esse hìc negationem vbi
Florentini inuoluit sensum chymæricum; ad probationem argu-
menti, dico quod non esse hìc vbi Florentinum, non infert dari ne-
gationem veram vbi Florentini, sed dari negationem chymæræ;
vbi enim Florentinum hìc est chymæra; ergo verificatiuum huius
propositionis, vbi Florentinum non est hìc, nō est vera negatio vbi
Florentini, sed est negatio, vbi Florentini existentis hìo, quod est
chymæra, sicuti quando dicis Petrus non est equus, non debet dari
negatio equi realis, sed negatio equi identificati cum Petro.

Dices quartò, si Deus annihilaret aërē in hac schola, tamē ibi pa-
rietes distarēt actu; ergo esset actu spatiū inter parietē, & parietem.

Respondeo distinguo consequens, esset actu spatium positiuum
nego; imaginarium, seù negatiuum concedo; ad hoc enim, vt duo
actu distent, non est necessarium actuale spatium positiuum inter-

medium, sed satis est si habeant actu tales vbicationes, inter quas mediet spatium siuè positiuum, siue negatiuum, nempe priuatio spatij possibilis.

ARTICVLVS IV.

Quæ nam res habeant proprias vbicationes.

PRima sententia vult, quod omnia sint in loco per vnicã vbicationem, per quam omnia, quæ sunt in composito materiali vbicantur, ita P. Vasquez primò tom. in tertiam partem disp. 199. num. 29. Albertinus de prædicamento quantitatis disput. vnica, quæst. 2. & alij recentiores.

Secunda sententia docet dari plures vbicationes in composito, ita Suarius disp. 41. metaph. sect. 5. Hurtad. disp. 14. physicæ sect. 4. & alij, Arriag. ibi sect. 6. Ruuius hìc quæst. 6. Ouied. hìc punct. 5. & alij.

Dico primò, vbi, & productio vbicationis se ipsis formaliter sunt in loco. Patet, ne detur processus in infinitum, & ratio à priori est, quia talia accidentia non sunt indifferentia ad hoc, vel illud spatium; idem dico de modis essentialiter affixis ipsi vbicationi, quia sunt essentialiter determinati se ipsis ad hoc spatium.

Dico secundo materia, forma, & reliqua accidentia habẽt suas peculiares vbicationes.

Probatur primò, quia potest esse hæc materia absque forma, & forma absque materia, & idem dico de singulis accidentibus compositi. ergo vbicatio quantitatis non habet essentialiter constituere hìc albedinem, vel materiam. Consequentia patet, quia quod est essentiale alicui formæ, semper id præstat ea forma existens, sed potest existere vbicatio quantitatis sinè materia. & forma substantiali, vt patet in Venerabili Sacramento, ergo non habet essentialiter constituere materiam, & formam hìc.

Dices vbicatio quantitatis habet essentialiter constituere hìc quantitatem, & alia omnia, quæ sint vnita quantitati, ergo ablata vnione materiæ cum quantitate, non potest vbi quantitatis præstare amplius suum effectum formalem. Sed contra est, quia, vel ablata, vel posita vnione materiæ cum quantitate, vbi quantitatis non mutatur intrinsecè, ergo non potest plus, vel minus præstare formaliter, quàm priùs. Consequentia probatur, quia totus effectus

tus formalis ex parte formæ est entitas ipsius, nempe entitas vbicationis, sed ipsa entitas non mutatur etiam pereunte vnione materiæ, & formarum cum quantitate; ergo ex parte sua non potest cessare à denominatione, quam dabat.

Respondebis, materiam esse hìc, præter vbicationem quantitatis, dicit tamquam formam partialem ipsam vnionem materiæ cum quantitate. Sed contra est, quia talis vnio non potest ingredi cõceptum formalem per quem materia est hìc ergo nulla est responsio. Antecedens probatur, quia vnio inter quantitatem, & materiã non potest explicari dicendo, quod sit indistantia inter materiam, & quantitatem, quia possent poni simul indistantes quantitas, & materia absque eo, quod vnirentur, vt supradiximus, ergo aliquid aliud est vnio præter indistantiam, vnio enim se habet per modum nexus, qui non potest explicari quid sit, nisi per exigentiam, vt vbi sit vnum extremum, ibi sit etiam alterum; & ita vnio exigit, vt si materia sit hìc, etiã quantitas sit hìc; ergo vnio non potest esse conceptus formalis, neq. partialiter per quem materia est hìc, vbi est quantitas. Probatur hæc consequentia, quia quoties aliquid explicatur per exigentiã alterius, dici nõ potest, quod exigat se ipsũ, sic enim non explicaretur per exigẽtiam essentia ipsius, ergo id, quod exigitur debet contradistingui ab ipsa exigentia; loquendo iam de exigentia per quam explicatur vnio, peto quid exigat, certè non exigit solùm extrema, neq. exigit extrema, & vbi quantitatis, quia sunt multa alia, quæ possunt exigere quantitatem cum hoc vbi, & materiam in hoc alio loco, ergo id, quod exigitur ab vnione est materia, quantitas, & vbicatio similis in vtraque, per quam vbicationem ibi sit quantitas vbi sit materia, ergo vnio non potest ingredi conceptum formalem vbicationis materiæ, quia hoc pacto exigeret se ipsam.

Probatur secundò, quia sit quantitas replicata Romæ, & Florẽtiæ vniatur deinde huic quantitati materia, certè per te materia debet esse ibi, vbi est quantitas: peto iam vbi esset materia certè non est maior ratio, quod sit potius Romæ, quam Florentiæ, ergo erit vtrobique, sed hoc est absurdum, ergo, & id vnde sequitur; hæc minor probatur, quia vnio solùm exigit, vt alterum extremum sit simul cum altero tantùm in suo loco adæquato, vt patet in vnione hypostatica, quæ non ponit humanitatem Christi vbiq; sed solùm in loco sibi adæquato, licèt alterum extremum nempe Verbũ sit vbique, ergo vnio materiæ cum quantitate solum exigit, vt ma-

teria sit cum quantitate in loco adæquato: spatium autem Romanum,& Florentinum sunt locus plusquã adæquatus respectu materiæ,cum vnus solùm debeat esse locus adæquatus rei naturalis, ergo falsum est, quòd hæc vnio formaliter constituat materiam Romæ,& Florentiç,quare solùm habet vnio exigere,vt in materia detur tale vbi,quale ipsi conuenit eo quod hoc vbi sit penetratum cum vbi alterius extremi, at si formaliter vnio haberet ingredi cõceptum formalem vbicationis non posset vnio hypostatica non collocare humanitatem Christi vbique.

Confirmatur,quia si ratione vnionis id,quod est vnitũ cũ quantitate,esset simul vbi esset quantitas formaliter per eam vnionem, vt putat Ouied posse benè dicipro defensione P. Vasquez, sequeretur,quod etiam vbi Romanum deberet collocari Florentiæ,quando quantitas esset Romæ,& Florentiæ.nam vbi Romanum est etiã vnitum cum quantitate in sententia huius Auctoris per vnionem distinctam, in sententia communi per suam entitatem, ergo non potest ipsum vbi non replicari, quod Auctor hic non concedit, & nos probabimus esse impossibile. Neque dicas non replicari vbi Romanum,quia est essentialiter affixum hìc, nam ex hoc ipso ego probo vnionem non habere hoc prædicatum essentiale, vt faciat hunc effectum formalem,vt vbicunque sit vnum extremũ,sit etiam aliud extremum, si enimhunc effectum formalem essentialiter faceret,nõ posset non facere etiam respectu vbicationis; ergo, quod vbicatio sit vnita quantitati, & tamen hæc vnio non præstat hunc effectum formalem, vt collocet hanc vbicationem vbicunque est quantitas colligo naturam vnionis non habere hoc formaliter, sed solùm exigere,vt vbi sit vnum extremum,vt in loco adæquato, ibi etiam sit aliud,vt diximus agentes de vnione.

Tertio probatur,quia aliud est formaliter materiam esse vnitã cum quantitate existente hìc, aliud verò materiam esse hìc, ergo hoc secundum formaliter non habetur per primum.Consequentia patet. Antecedens probatur,quia si semel hoc principium admittitur, quod nempe idem sit formaliter aliquid esse coniunctum cum quantitate habente talem denominationem, ac formaliter denominari tali denominatione,multa sequerentur absurda, nam idem esset calorem esse coniunctum cum quantitate habente durationem hodiernam,ac formaliter calorem durare hodie, quod est falsum: præterea materia esset generata,quia esset vnita cum quãntitate generata,albedo esset dulcis,quia est vnita cum materia dulci,& similia.

Dices

Digitized by Google

Dices: hoc non sequi, quia requiritur etiam capacitas talis denominationis; at verò albedo, v. g. non est capax denominationis dulcis, nec materia potest denominari generata. Sed cõtra est, quia eodem modo, nec albedo est capax denominationis, vt sit hic per vbi quantitatis, sicut si Deus vniret paternitatem Petri cum Paulo, posito, quod paternitas sit distincta, non denominaretur Paulus pater per eam paternitatem, quia Paulus non est capax talis denominationis per paternitatẽ Petri, sic etiã in casu nostro, quãuis per vnionem materiæ cum quantitate intelligatur aliquo modo vnita cum vbi quantitatis, quia tamen illud vbi est modus essentialis quantitatis, non denominabit materiam hic; vnusquisque enim modus debet proportionari cum eo, quod modificat.

Quied. hic reiectis alijs probationibus suam affert, quia videtur albedo, & vbicatio albedinis, & tamen non videtur vnio albedinis cũ quantitate, ergo vbicatio albedinis est diuersa ab vbicatione quantitatis. Verùm hæc probatio est infirmior, quã ea, quam impugnat. Nam vbicatio verè non videtur, vt suo loco probabimus, si Deus enim totum mundum per modũ vnius, sicuti pilam, moueret, nihil prorsus mutationis videremus in obiectis, & tamen omnes vbicationes essent mutatæ, solùm per visionem cognosceretur vbicatio obiecti intransitiuè, quia videlicèt talis vbicatio obiecti mittit aliquando taliter species ita afficientes potentiam visiuam, vt faciant talem visionem taliter respicientem obiectum, vndè arguitur talis vbicatio, vt fusè explicabimus suo loco, ad quod parum facit, an vbicatio albedinis sit propria, an sit vbicatio quantitatis vnitæ albedini, adeoque ruit totum argumentum.

Aduertè hanc totam quæstionem fieri posse in alio sensu, nempe an vnicum vbi essentialiter vbicet omnia, quæ sunt in composito, ita vt pereunte quouis minimo accidente pereat illud vbi, & aliud producatur, sed in hoc sensu quæstio est valdè facilis, vt resoluatur per partem negatiuam; cur enim natura per vnicum modum vbicauit tot res, quo ita se habent vt vna possit perire, altera remanẽte; cum præsertim sit debitum cuicumque enti esse in loco. Præterea omne ens habet ius ne destruatur, nisi sit causa destructiua, cur ergo producto minimo calore in composito corrumpitur vbi antecedens, & potius non producitur vbi proprium caloris noui? res ita clara est, vt impugnatione non egeat.

Obijcies primo, implicat quod existat quantitas hic vnita materiæ, quin materia sit etiam hic, ergo non debent multiplicari vbi-

catio.

cationes, quandoquidem est ablata iam indifferentia materiæ, ad hoc, vt sit hìc vel alibi per vbi quãtitatis, & vnionem cum illa.

Respondeo hoc argumentum habere multas instantias etiam si concedatur antecedens, primo, quia implicat, quod sit quantitas nunc vnita materiæ, & materia non sit etiam nunc, & tamen materia non est nunc per durationem quantitatis, & vnionis, vt etiam volunt aduersarij. Secundò impliçat nunc existere quantitatem vnitam materiç, quin existat materia, & tamen materia non existit formaliter per existentiã quantitatis. Tertio implicat, quod equus sit coniunctus cum curru, quin moueatur currus ad motum equi, & tamen motus currus, non est formaliter motus equi. Quarto implicat, quod sit pater, quin sit filius, & tamen filiatio non est paternitas, & alia plurima possent adduci.

Ratio est, quia hoc ipso, quod existit exigentia essentialis albedinis, v.g. necessariò debet existere albedo: non autem ex hoc sequitur, quod albedo habeatur formaliter per exigentiã albedinis; nam exigentia habet solum tollere indifferentiam efficienter, non autem formaliter, quarè debet poni forma per quam tollatur formaliter indifferentia.

Respondeo secundò negando antecedens, potest enim existere quantitas hìc vnita materiæ, & tamen potest materia non esse hìc si enim esset quantitas hìc, & Florentiæ, posset materia existens Florentiæ vniri cum quantitate, in quo casu materia non esset hìc, & tamen esset vnita cum quantitate existente hìc; solum necesse est, vt vbi est vnio, ibi sint etiam partes.

Obijcies secundò, albedo v. g. subiectatur in quantitate extensa localiter per vbicationem, ergo per vnionem, quam habet albedo cum quantitate, efficitur, qnod vna pars albedinis sit in ista parte quantitatis, & alia pars in alia, ergo antecedẽter ad vbi proprium albedinis intelligitur iam extensa localiter; frustra ergo superadderetur vbicatio.

Respondeo quod albedo per vnionem cum quantitate, habet quidem, vt vna pars sit vnita cum vna parte quantitatis, & alia cũ alia, non autem habet, vt sit vnita hìc, nisi habeat suum proprium vbi, per quod respondeat vbicationi quantitatis; quantitas enim, vt suo loco dicemus non est extensio localis, sed solùm est impenetrabilitas; quare quod vna pars quantitatis sit hìc, alia sit ibi, habetur formaliter per vbi quantitatis, et idem in albedine habebitur formaliter per vbi albedinis; imo, vt diximus, potest quãtitas hìc extendi per vnum palmum, et Florentiæ extendi per minimum

Digitized by Google

nimum, in quo casu albedo, si habebit vbi Florentinum suum, erit extensa solùm per minimum loci, & tamẽ in eo casu esset verè vnita quantitati extensæ per palmum in spatio Romano.

Obijcies tertio, & materia, & accidentia sunt extensa per vnicã quantitatem, ergo sunt in loco per vnicum vbi.

Respondeo nego antecedens, non enim sunt extensa localiter per quantitatem, sed per vbicationem, solum ergo quantitas facit formaliter, vt quidquid est, cum ipsa vnitum non possit penetrari cum alia quantitate, nisi miraculosè, atque hęc immediata exigẽtia impenetrationis, habetur formaliter à quantitate, vnde si Angelus esset vbi est quantitas palmaris, redderetur tunc impenetrabilis cum alia quantitate, non esset tamen quantus, quia Angelus non exigit habere quantitatem, adeoque non haberet radicalem potentiam impenetrationis, quæ est necessaria, vt res denominetur quanta, quare materia, & accidentia, quia sunt vnita cum quantitate naturaliter exigunt, vt sint impenetrabilia cum alia quantitate.

Restat videre, qualia sint vbi requisita ad res locandas: ad quod dico duplex esse vbi creatum, alterum definitiuum, alterum circũscriptiuum. Vbi circumscriptiuum est, quod facit rem formaliter vbicatam existere totam in toto spatio, & partem in parte spatij; itaut nulla pars eadem sit in duobus locis, atque hoc vbi conuenit rebus omnibus materialibus. Vbi definitiuum est, quod ita locat rem locatam in toto spatio determinato, vt tamen tota res locata sit in qualibet parte minima, & minima illius spatij determinati, adeoq. dicitur esse in toto, & tota in qualibet parte spatij, atque hoc, vbi conuenit rebus spiritualibus, & corpori Christi Domini in Eucharistia.

Quæres primo, materia, & formæ materiales possunt ne habere, vbi definitiuum.

Respondeo posse quidem habere, si sint sinè quantitate, quãuis enim habeant partes in ordine ad se, vt suo loco explicabimus, tamen possunt omnes partes reperiri in eodem spatio, & in qualibe ipsius parte sinè vllo absurdo. Connaturaliter tamen debent habere vbi circumscriptiuum, etiam si non habeant quantitatem, cũ enim exigant naturaliter quantitatem exigunt etiam naturaliter habere vbi proportionatum vbicationi quantitatis, quę naturaliter loquendo exigit vbi circumscriptiuum.

Dices, si materia, & accidentia materialia essent sine quantitate pene-

penetrarentur cum alijs corporibus; ergo illa vbi, non essent circũ scripriua.

Respondeo, quod cum vbi circumscriptiuum semper sit naturaliter coniunctum cum quantitate, vel saltem illam semper exigat, etiam si ponatur miraculosè sinè ea habet, vt debeat circumscribere naturaliter, & propter hanc exigentiam dicitur vbi circumscriptiuum. Hinc infero corpus beatum habere vbi circumscriptiuum, & quantitatem, licet habeat etiã subtilitatem, subtilitas enim nihil aliud est, nisi potentia producendi suum vbi intra vbicationem alterius quantitatis dispensando inclinationi, & exigẽtię quã habet quantitas, ne cum alia penetretur.

Quæres secundo quale sit vbi animæ rationalis.

Respondeo, posse quidem esse indiuisibile, cum anima sit ens spirituale sine partibus; tamen probabilius est esse diuisibile, ita vt vna pars vbicationis sit extra aliam, & ab alia distincta; licet cum toto eo vbi, & quacunque minima illius parte coexistat tota anima: ratio est, quia quando mouetur solus digitus, vel arteria impulsu, qui motus assiduè fit, tota anima deberet acquirere nouum vbi totale, si esset indiuisibile, quia iam acquireret nouum spatiũ, quod certè videtur durum, & gratis dictum. Contra verò si vbi sit diuisibile solùm deperditur ea pars vbicationis, in qua fit motus, suppono autem non repugnare rem spiritualem diuisibilem, vt patet in multis, talis enim est duratio Angeli, intensio specierum intellectualium, & similia.

Quæres tertio, potest ne dari vbi quod respectu vnius subiecti sit circumrsciptiuum, respectu alterius sit definitiuum.

Respondeo ad hoc, naturaliter dari non posse, nam si sit circumscriptiuum erit materiale, adeoq. non poterit vbicare rẽ spiritualem ponendo totam in singulis partibus spatij, neque poterit aliam rem materialem definitiuè collocare, quia nulla res materialis diuisibilis exigit simul habere suas partes in eodem spatio. Si loquamur supernaturaliter non apparet repugnantia talis vbicationis, quæ vnum subiectum diuisibiliter collocaret, hoc est vnam partem ipsius in vna parte spatij, & alteram in altera, aliud verò subiectũ indiuisibiliter collocet in qualibet parte spatij, hoc enim metaphysicè loquendo non implicat, adeoque non est denegandũ Diuinę Omnipotentię.

Obijcies primo, si anima haberet suum vbi, quando vel à vento trahitur in naui, vel ob grauitatem corporis deorsum cadit, illud vbi spirituale non potest produci ab impellente, quod est materiale,

Digitized by Google

riale, ergo tunc nullum poſſet habere vbi proprium.

Reſpondeo probabilius eſſe, quod illud vbi producatur ab ipſa anima determinata à motu corporis, quem motum in corpore producit impellens; quare primo, & principaliter mouetur corpus, ad cuius motum, anima, quia eſt illi vnita determinatur ad producendum ſuum motum ſpiritualem, ſicut determinata à phantaſmatibus materialibus producit intellectus in ſe ſpecies ſpirituales.

Obijcies ſecundò, adhuc vbicatio animæ eſſet materialis, quia vna pars ipſius vbicationis eſſet impenetrabilis cum alia.

Reſpondeo, negando antecedens, nam vbi materiale eſt, quod ſua natura exigit quantitatem, quam exigentiam non habet vbi ſpirituale diuiſibile. Omne autem vbi diuiſibile habet hoc, vt vna pars ipſius ſit extra aliam. Hanc autē diuiſibilitatem in vbi ſpirituali admittimus, etiam in vbi Angelico, nulla enim apparet repugnantia, quod Angelus, verbi gratia poſſit collocari in hac ſchola, per vbi diuiſibile; non tamen negamus poſſe etiam collocari per vbi indiuiſibile, adeo vt ipſum vbi, ſit in toto aëre huius ſcholæ, & totum in qualibet parte huius aëris.

Hinc infero vbi ſpirituale animæ, vel Angeli quando eſt diuiſibile differre ab vbi corporis Chriſti Domini in Euchariſtia, nam hoc vbi animæ non eſt diuiſibile ex parte ſubiecti vbicati, anima enim non habet partes, at verò vbi Corporis Chriſti Domini in Euchariſtia habet etiam diuiſibilitatem ſubiecti, quia vbicatio manus Chriſti facit præſentem manum in tota, & in qualibet parte hoſtiæ, idem facit vbi capitis, & cætera vbi aliarum partium, quod ſi auferretur manus à Chriſti corpore, periret illud vbi manus, ſed cætera remanerent cum eadem diuiſibilitate ſpatij, quare hoc vbi Sacramentale habet, & diuiſibilitatem ſpatij, & etiam ſubiecti.

ARTICVLVS V.

An vbicationes, & corpora poſſint replicari, & quomodo.

COmmunis eſt ſcriptorum ſententia, vbi neque de potentia Dei abſoluta poſſe replicari, & vt plurimum hoc ſupponunt

tanquam certum. Non desunt tamen docti recentiores, qui hoc negent, multos ego audiui Romæ; alios etiam ingeniosos Magistros huius sententiæ fuisse asserit P. Quiedus hic quæst. 10. num. 3. quos ipse impugnat potius auctoritate communi, quàm argumento efficaci; tres tantùm affert rationes, quas ipse dicit non esse conuincentes, alteram à priori, quia videlicet vbicatio, v. g. Romana habet incapacitatem alterius vbicationis, & hanc incapacitatem probat quia non affertur vllum fundamentum ad ipsam probandam. Sed hæc ratio est prorsus nulla, nam in ordine ad potentiã Dei sufficit ratio negatiua, quod scilicet non repugnet, hic enim agitur de sola potentia passiua vbicationis, & non de virtute actiua; quare non debent aduersarij afferre rationem passiuam, sed solùm soluere implicantiam, si quæ afferatur. Secunda ratio est quia si vna præsentia Petri v. g. Florentina esset posita Romæ, Petrus non esset Romæ, & solùm ibi esset præsentia Florentina Petri, quod videtur absurdum. Facilè respondebunt Aduersarij si Deus ponit Romæ præsentiam Florentinam Petri, tenetur etiam per aliam vbicationem ponere Petrum Romæ, quia præsentia Florentina se ipsa vnitur Petro essẽtialiter, & sicuti, si Deus poneret Romæ vnionem inter animam, & corpus Petri teneretur ponere animam, & corpus ipsius, quia vnio essentialiter exigit secum terminos, quos vnit, sic si ponatur Romæ vbicatio Florentina Petri, quæ se ipsa essentialiter vnitur Petro, deberet Deus ponere Romæ etiã Petrum per aliam vbicationem Romanam. Quod si neges cum Arriaga vbicationem per suam entitatẽ vniri Petro, sed per vnionem distinctam nihil prorsus est absurdi, quod illa vbicatio sit Romæ sine Petro, sicuti potest esse color eiusdem sinè Petro, quia est accidens absolutum à subiecto.

Neq. vera est tertia ratio ex paritate actionis, quod nempe non possit dari actio ad actionem, est enim disparitas manifesta, quoad hoc; nam in tantum datur actio, vt determinetur hic effectus, vt pendeat & producatur ab hac causa, quod non poterit præstare actio nisi essentialiter per suam entitatem pendeat ab hac causa, ergo alia actio nihil faceret! At in casu præsenti vbicatio Florentina habet ex se constituere Petrum in spatio Florentino ad quem effectum formalem nihil facit vbicatio Romana, sed solum tollit aliam indifferentiam, quam habet vbicatio Florentina nempe esse Romæ de potẽtia Dei absoluta, adeoque aliquid præstat hæc vbicatio Romana, quod non habet de se Florentina, nisi ergo ostendatur

datur repugnantia essendi Romæ, nihil conficitur contra aduersarios, & mera auctoritate plurimorum impugnatur, sed non affertur implicantia.

Tota ratio, cur difficulter afferatur implicantia replicationis in vbicationibus videtur orta ex eo, quod aliqui accipiunt vbicationes reales, vt quid diuersum ab ipso spatio reali, & ita dicunt, vbicatio ponitur hic in tali spatio; at re vera spatium reale nihil est aliud nisi ipsa vbicatio, quæ per suam entitatem est ipsum spatium reale, nihil enim aliud datur, quod sit spatium reale, nisi ipsa vbicatio, quare non debemus loqui de ea tamquam de re diuersa à spatio reali, sed tamquam de ipso spatio reali, adeoque quæstio prorsus est, an spatium reale, v. g. Romanum possit poni, in spatio Florentino. Ad hanc quæstionem.

Dico primo, vbi neque de potentia Dei absolutâ potest esse in alio spatio.

Probatur primo, conclusio, quia non posset explicari essentia huius spatij, si esset alio transferibile, ergo non potest transferri. Antecedens probatur, quia hoc spatium esse hoc tale hic, non potest explicari nisi per exigentiam essentialem tantę, & tantæ distantiæ determinatæ ab alijs spatijs possibilibus posito, quod sint possibilia: sicuti, quod Petrus sit talis homo in indiuiduo, non potest explicari nisi per exigentiam, ne sit aliud ens, sed talis exigentia essentialis repugnat cum transferibilitate, ergo non potest explicari essentia spatij, si esset transferibile. Maior probatur, nam nullum aliud est assignabile prædicatum per quod talis essentia explicetur; nam si dicatur, quod essentia ipsius, sit ponere v. g. Petrum hic, redit difficultas in explicanda illa voce hic, quid enim est illud hic, quod sanè nihil est aliud, nisi tale spatium. & per quid differt ab alio hic distante à se; sin autem dicas tale hic esse exigentiã essentialem taliter distandi ab illo, & cęteris spatiis possibilibus optimè rem explicasti, quod autem talis exigentia sit essentialis, & non purè naturalis, patet: nam etiam per aduersarios, hoc vbi, licèt alio transferatur, tamen non potest desinere esse hic in tali distantia, at si solum exigeret hoc naturaliter posset hoc vbi, saltem miraculosè non esse hic, ergo exigentia talis distantiæ ab alijs spatijs est illi essentialis, & non merè connaturalis. Probatur iam minor, quod scilicèt hæc essentialis exigentia stare non possit cum transferibilitate, nam si spatium Romanũ trãsferatur in Florentinum, per vbi miraculosum non distaret à Florentino, quan-

doquidem esset intimè præsens in eo, ergo exigeret distare, & de facto non distaret.

Dices. Adhuc distaret positiuè à Florentino, quia verè inter vbi Romanum, & Florentinum daretur spatium intermedium, quantum nempe est inter Romam, & Florentiam, ergo licèt vbi romanum esset in Florentino, tamen hæc realis vbicatio intermedia nõ tolleretur; sed contra est, quia verè sequeretur, quod tolleretur, & nõ tolleretur in ratione vbicationis intermediæ, & ideo sequitur implicantia; non tolleretur, quia iam illam ponis, tolletetur autem, quia spatium Romanum esset intimè præsens Florentino, hoc autem prædicatum inuoluit negationem distãtiç ab illo, quid enim est hoc esse intra illud, nisi non dari aliquod intermedium, ergo daretur, & non daretur hoc interme dium.

Neque dieas spatium Romanum esse præsens Florentino est effectus positiuus, ergo non inuoluit negationem distantiæ; nam contra est, quia licèt esse præsens sit res positiua, tamen non potest explicari nisi per negationem distantiæ, quam essentialiter exigit, vndè implicat respectu eiusdem præcisè, quòd idem sit distans, & indistans. Dixi respectu eiusdem prçcisè, quia non est absurdum respectu alterius non distare, quia non sunt contradictoria: sic ego sum præsens immensitati diuinæ, nec possum vllo pacto ab ipsa distare, sed non sum illi præsens Florentiæ, verbi gratia, quia respectu spatij Florentini sum distans: at in casu nostro præcisè respectu eiusdem spatj Florentini spatium Romanum esset distans, & non esset distans.

Imo sequererur etiam vbi Florentinum esse in spatio Romano; implicat enim quod vbi Florentinum habeat intra se spatium Romum, & non sit in illo, sicuti corpus est in vbicatione, & vbicatio est in corpore, quia illi vnitur; cum ergo vbi Florentinum vbicet per se vbi Romanum, est cum eo penetratum, adeoque est in spatio Romano. Neque dicas esse quidem in spatio Romano, sed non Romæ, contra enim est, nam formaliter esse Romæ, quid est aliud, quam esse intra spatium Romanum? dices fortasse est vbicari à Romano, quod scilicet vbi Romanum se habeat vt modus, et exercens rationem modi. Sed contra est, quia spatium exercebit semper rationem spatij ex eo, quod aliquid ipsi vniatur, verbi gratia si Deus vniret per vnionem distinctam Angelum vbicationi, materiali columnæ Antonianæ quæ est Romæ; Angelus, et multò magis ipsa vnio Angeli cum ea vb icatione non posset

set non esse in eo spatio; esse enim in aliquo spatio formalissimè est ipsi spatio vniri, quacumque tandem illi vnione vniatur; cum ergo spatium Florentinum miraculosum essentialiter vniatur, per tè spatio Romano, per suammet entitatem formalissimè existeret in ipso spatio Romano: quare ipsum spatium Florentinum, quod essentialiter afficeret Romanum, & cum eo vniretur, se deduceret in spatium Romanum Romæ, et poneret in Florentino spatium ipsum Romanum, quæ omnia sunt contra rationem spatij realis.

Sed respondebis ad hæc, essentiam vbicationis consistere in prædicato positiuo, quod explicari posset sufficienter per exigentiam naturalem distandi ab alijs spatijs, quæ non sunt ipsum, nec eiusdem speciei. Licèt autem Deus possit facere contra hanc naturalem exigentiam, collocando hoc spatium cum alijs spatijs, sèper tamen remaneret illud prædicatum positiuum per quod esset hìc, nempè illa naturalis exigentia, sicuti explicamus ignem per exigentiam caloris, et siccitatis, vndè quamuis Deus tolleret ab eo calorem, et siccitatem, adhuc tamen remaneret substantialiter ignis, quia remaneret illa exigentia. Sed contra est primò, quia si Deus replicaret spatium Romanum Florentiæ, quia remaneret illa exigentia, remaneret esse positiuum spatij Romani. Peto iam hæc positiua exigentia in hoc casu distaret ne à spatio Florentino per suammet entitatem: si dicas nõ distaret, ergo vbi, seu spatium Romanum non vbicaret nunc Petrum Romæ, quia etiam ipsum cessaret esse Romæ. Si distaret per suam entitatem, ergo habet essentialiter per suam entitatẽ distare, adeoq; implicat per accidẽs superadditum non distare, nam distare est esse in aliquo spatio vel esse aliquod spatium, et non esse in eo spatio, à quo distat, sed per te hæc negatiua, nempe non esse in alio spatio, est falsa, quia per accidens miraculosum esset Florentiæ, ergo esset, et non esset realiter in spatio Florentino quæ sunt omninò contradictoria, siuè per eamdem entitatem verificentur, siuè per duas.

Secũdo contra est, nam si vbi Romanũ per suam entitatẽ habet esse hìc, et hoc nõ amittit, quãuis miraculosè alibi collocetur, ista exigentia naturalis quã habet nõ essendi alibi, est quędã exigentia cõmunis omnibus entibus creatis, nẽpe exigẽtia existẽdiin vno loco, et non in duplici, vel pluribus locis, et præscindendo ab istà limitatione propria creaturę non habet vllam peculiarem rationẽ vbicatio habendi talem exigentiam. Ponamus enim esse connaturale Angelo existere in duplici loco per duplicem vbicationem,

certè

certè cessaret tota ratio, cur vbicatio non deberet connaturaliter alibi replicari. Ergo hoc prædicatum talis exigentiæ, non est vllo pacto explicatiuum naturæ, & essentiæ vbicationis, prout est talis modus, sed est prædicatum commune omnibus entibus, nempe, quod non existant in duplici loco; Quomodo ergo per prædicatum, quod solùm fundatur in ratione limitationis entis creati, vis declarare prædicatum peculiare spatij, & ipsius constitutiuum, vt spatium est?

Tertio contra est, quia si vbi posset replicari supernaturaliter, falsum esset, quod per hanc exigentiam naturalem ne replicetur, constitueretur essentia vbicationis; nam esset iam per te aliquod vbi, quod essentialiter exigeret esse alibi, vt enim infra probabimus, vbi miraculosum, per quod vbi Romanum collocaretur Florentiæ per suam entitatem haberet penetrari cum vbi Romano, ergo per suam entitatem haberet esse in spatio Romano, adeoque esse Romæ, ergo nullo pacto haberet exigentiam naturalem non essendi alibi, cum per suam entitatem haberet penetrari cum spatio Romano, vt infra clarius probabimus.

Dices iterum hoc soluendum est in corpore existente Florentię, & hìc, quod suppono esse possibile; tale autem corpus non distaret Florentia, quia esset ibi, & distaret ab eadem, quia esset Romæ ergo hæc difficultas est ab omnibus soluenda. Sed contra est quia admisso casu, falsum est corpus illud distare Florentia; distare enim Florentia dicit aliquid negatiuum, nempe non esse Florentiæ, quam negationem illud corpus non habet, effectus autem formalis vbi Romani est collocare in spatio distante ab vbi Florentino, qui effectus semper remanet, quamuis idé corpus sit hìc, & Florentiæ, adeoque esset in spatio distante à Florentino, & esset etiam in spatio Florentino, quod dici non potest de ipsis vbicationibus, spatium enim Romanum essentialiter habet distare per suam entitatem à Florentino, quod non habet corpus, quod est indifferẽs ad quodlibet spatia; verificaretur ergo, quod corpus non distat à spatio Romano, neque distat à Florentino, sed est præsens duobus spatijs inter se distantibus.

Dices tertio, quod non distat ab vbi Romano distat à Florentino, sed hoc corpus non distaret à spatio Romano, ergo distaret à Florentino. Maior probatur quia vbi Romanum habet essentialiter tantam distantiam à Florentino, ergo non distare à spatio Romano, est non distare à termino ita distante à Florentino, ergo est

est distare ab ipso spatio Florẽtino quid enim est distare ab aliquo, nisi esse in termino distantiæ illius?

Respondeo, negando maiorem ad probationem dico, quod quando dicitur corpus non distare à termino tantæ distantiæ, propositio semper est vera; falsum est autem, quod non distare ab hoc termino distantiæ sit formaliter distare ab altero termino eiusdẽ distantiæ. quare duo requiruntur ad hoc, vt vnum distet ab altero Primum, vt sit in termino distantiæ, secundum, vt non sit in alio termino, corpus autem cum sit in vtroque termino positiuè, non distat ab vtroque realiter. sed solùm præcisiuè, hoc est quatenus est in hoc termino, præscindendo ab eo, quod sit in altero. non habet non distare ab altero; Atque hinc confirmatur cõclusio, quod scilicet vnus terminus distantiæ non possit esse in altero per aliam vbicationem, hoc est, quod vnum vbi non posit replicari, quia si esset in altero non distaret ab illo, & ita spatium Romanum non distaret à Florentino; at ex alio capite, quia spatium Romanum habet essentialiter, vt sit terminus distantiæ à Florentino non posset neque præscindi ab hoc prædicato, quod positiuè distaret ab illo.

Probatur secundo. ab alijs conclusio, & benè, nam sequeretur quod loquẽdo de spatio Romano si esset existens in spatio Florẽtino Petrus, vt est in spatio Romano existeret in spatio Florentino, Consequens est absurdum, ergo, & antecedens. Sequela probatur, nam spatium Romanum penetratum cum Florentino vt volunt aduersarij esset illi intimè præsens, ergo Petrus prout existens intra spatium Florentinum vbicatiuum Romani existeret intra spatium Romanum. Confirmatur, quia Deus in eo casu prout coexistit spatio Florentino coexisteret etiam Romano, quia Florentinum habet essentialiter per te vbicare spatium Romanũ, loquor enim de illo vbi Florentino, quod est modus miraculosè vbicans per te spatium Romanum; Quod autem hoc sit absurdũ. Probatur quia spatium Romabum afficiens Petrum, ipsum constituit in spatio Romano, non in Florentino: similiter Florentinum constituit Petrum in Florentino non in Romano, sed per te Florentinum prout talè constitueret Petrum in Romano quia essentialiter habet vbicare intra se spatium Romanum, ergo formaliter vbicaret Petrum intra spatium Romanum.

Dices primò esse in spatio Romano solo, est esse in tãta distantia

ab

ab vbi Florentino: at verò esse in spatio Romano vbicato Florētiæ, est esse in tanta distātia ab vbi Florētino, & præterea esse intra vbi Florētinū. Sed cōtra est, quia quādo dicis, quod Petrus est in spatio Romano Florentiæ, spatiū Romanū prout est Florentiæ, vel retinet essentiā suā, vel amittit: si amittit ergo destruitur: si retinet, ergo etiam prout est sub vbi Florentino realiter distat ab eodē Florentino, quia distare à Florētino est de essentia spatij Romani; adeoq. hoc spatiū etiam prout Florētiæ semper habebit distare positiuè à spatio Florentino. Quotiescumque enim aliquod habet per suam essentiam esse tale, nō potest per vllum accidens superadditum nō esse tale: v. g. homo, si habet per suam essentiam esse animal rationale, non potest per aliquid superadditum positiuè non esse animal rationale; quamuis enim possit dici homo, prout albus, seu per albedinem non est animal rationale, non tamen potest dici, quod quatenus est sub albedine, positiuè non sit animal rationale, sed solùm præcisiuè, hoc est, quod ea prædicata non recipiat ab albedine: at verō in casu nostro vbi Romanum realiter, & positiuè esset intra vbi Florentinum, & consequenter realiter non distatet ab eo, quod non facit solùm sensum præcisiuum: sensus enim præcisiuus esset vbi Romanum non habet à Florentino distare ab eo, sed habet à se, quod in omnium sententia verum est.

Dico secundò duo corpora quanta possunt esse in eodem loco miraculosè. Probatur, primò ex miraculo quando Christus Dominus intrauit ianuis clausis in cœnaculum, certè Corpus Christi fuit simul pro aliquo breui tempore, vbi erant fores, vel parietes; sic etiam cum egressus est de vtero B. Virginis. Secundo, quia nulla est repugnantia in ordine ad potentiam supernaturalem; nam exigentia impenetrationis, quam habet quantitas, solùm est naturalis in ordine ad virtutem agentium naturalium; et ratio à priori est, quia impenetratio actualis, ideo est debita corporibus, ne si penetraretur ab alijs corporibus faciliùs corrūperentur, quod solùm valet in ordine naturæ.

Dico tertio, corpora quanta possunt esse in pluribus locis etiā circumscriptiuè per virtutem solùm supernaturalem. Hæc conclusio est contra antiquos S. Bonauenturam, S. Thomam, et alios, quos affert Suarius tertio tom. in tertiam partem disp. 48. sect. 9. Est tamen communis sententia, vt patet ex plurimis citatis ab eodem Suario, tam ex antiquis, quàm ex Recentioribus, & fortasse potest esse contrquersia de nomine; si enim nomine vbi circumscriptiui intel-

intelligatur illud, quod ità ponit totum in spatio, vt ponat partem in diuersa parte spatij, nō autem ponat in duplici parte spatij, certè implicat replicari corpora in isto sensu, at nostra conclusio est in alio sensu; videlicet an possit esse totum corpus in vno loco, ita vt singulæ partes corporis sint in diuersis partibus illius loci, & etiam possit esse idem corpus eodem pacto in alio loco. Probatur primò conclusio, quia nulla potest assignari implicantia. Secundo, quia corpus est indifferens, vt sit hìc, vel ibi circumscriptiuè, sicuti est indifferens, vt sit, vel calidum, vel frigidum; ergo sicuti per potentiam Dei potest esse calidum, & frigidum simul, sic etiam potest esse hìc, & ibi circumscriptiuè; duo enim vbi circumscriptiua sunt duo accidentia, quorum habet capacitatem corpus. Tertio, quia corpus Christi est definitiuè in multis locis, ergo potest etiam esse circumscriptiuè, cum assignari non possit maior repugnantia.

Obijcies primo, vnum est indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio; sed si esset idem corpus circumscriptiuè in pluribus locis non esset indiuisum in se, quia esset hìc, & ibi.

Respondeo primò hoc ipsum esse soluendum in Eucharistia.

Respondeo secundò diuisionem, quæ repugnat vnitati esse diuisionem entitatiuam, itaut sint duæ entitates, & ambæ sint idem; non autem est diuisio, seu distãtia localis, quæ non facit, quod corpus non sit idem.

Obijcies secundò. Circumscribi est esse hìc, & non vlterius, est enim ita finiri ab hoc loco, vt vlterius non extendatur; ergo res circumscripta non potest alibi esse.

Respondeo primò esse definitiuè est esse hìc, & non vlterius in spatio alio non contiguo, & tamẽ Christus Dominus est hìc in vna hostia consecrata, & alibi in alijs.

Respondeo secundò, Corpus Christi Domini est circumscriptiuè in Cœlo, & tamen est extra illud spatium in Eucharistia, ergo non est de essentia vbicationis circumscriptiuæ, vt corpus non sit alibi.

Respondeo tertiò. Circumscribi est habere partes omnes extra partes in hoc loco determinato ex vi talis vbicationis, non autem est, non habere vlterius easdem partes, quare solum naturaliter non deberet habere vlterius suas partes, & de potentia Dei possunt adhuc poni vlterius per alias vbicationes.

Obijcies tertiò, ergo corpus esset maius loco, quia occupat duplum loci, quando replicatur.

Respondeo cum distinctione, esset maius loco adæquato sibi de-

bito nego; loco pluſquam adæquato concedo, locus autem adæquatus eſſet vnica vbicatio, non autem duæ ſimul.

Petes primo, quid fiet de accidentibus hominis replicati.

Reſpondeo, accidentia, quæ eſſentialiter non ſunt affixa ſpatio, poſſunt replicari, & non replicari cũ corpore replicato, prout Deus voluerit ſupernaturaliter loquendo; & ita corpus Romæ habebit aliquando albedinem, idem corpus Florentiæ, non habebit albedinem Florentiæ; vnde qui illud Florentiæ videret non videret eſſe album. Hæc doctrina facilè ſequitur ex dictis, quia cum accidentia habeant ſuas vbicationes particulares, nulla eſt implicantia, quod ſolùm de potentia Dei, ponatur aliud vbi in eodem corpore, abſq. eo, quod ponatur aliud vbi in accidentibus, quare habebit quidẽ corpus illud ſua accidentia debita, ſed non habebit in vtroque loco: vnde propoſitio negatiua eſt ſimpliciter neganda, quod ſcilicèt non habeat accidentia, et ſolùm eſt concedenda cum limitatione, quod nempe ea non habeat in tali loco, ſed in alio. Aduertendum eſt tamen, quod ſi ſemel hìc ponitur vnio, etiam hìc debent poni extrema, non autem è contrario ſi ponuntur extrema debet poni vnio, et ita ſi penetrentur anima, et corpus Petri Florẽtiæ, non autem vnio, verè Petrus, non eſſet Florentiæ, et tamen eſſet Romæ.

Dices in tali caſu corpus Petri Florentię non eſſet viuum, ergo mortuum, quod videtur falſum.

Reſpondeo, quod neque eſſet viuum, neque mortuum Florẽtiæ, non viuum Florentiæ, quia ibi non eſt vita corporis; non mortuum Florentiæ, quia adhoc, vt ſit mortuum in aliquo loco, non ſatis eſt non habere animam vnitam ſibi, ſed nullibi debet illam habere vnitam; ratio eſt, quia eſſe mortuum eſt habere priuationem animæ ſimpliciter, non autem priuationem animæ exiſtentis in tali loco, niſi velis facere quæſtionem de nomine, quia ergo corpus Petri haberet Romæ animam ſibi vnitam, non poteſt dici mortuũ Florentiæ.

Petes ſecundò, poſita replicatione corporis, ſi Deus velit de cætero naturaliter operari, replicabit, nec ne, omnia accidentia illius corporis abſoluta à loco, an aliqua, an nullum?

Reſpondent aliqui, omnia eſſe replicanda ob vnionem, quam habent cum eo corpore. Sed contra eſt, nam ex eo, quod vnum extremum ſit vnitum alteri, non idcirco vbicumque eſt vnum, ibi eſt alterum; ſed ſufficit, vt ſit in loco adæquato alterius, vt patet in

Verbo

Verbo Diuino, quod ratione vnionis, quam habet cum humanitate Christi Domini, non trahit secum vbicumque est, ipsam humanitatem, nec anima rationalis trahit secum in quacumque parte corporis ea accidentia, quibus est vnita, ergo præcisè ratione vnionis non bene infertur debere replicari omnia accidentia.

Melius respondetur cum distinctione: ea accidentia, & formæ, quæ faciunt ad perfectionem subiecti, debere connaturaliter replicari, non autem ea, quæ subiectum non perficiunt. Ratio est quia subiectum debet habere omnia sibi debita vbicumque est, debet enim vbicumque est ornari, ac perfici suis accidentibus, ac proprietatibus, & hic videtur appetitus innatus in omni ente, habere secum vnitas omnes eas res, quæ ipsum perficiunt vbicumque sit. Hinc PP; et Concilium Tridentinum arguunt, concomitanter venire in Eucharistiæ Sacramento cum Christi Corpore Animam, ac Diuinitatem, ipsum autem corpus venire ex vi verborum in consecratione panis; et rationem assignant, quia hæc copulantur cum Christi corpore, adeoque ipsum perficiunt; At verò si ex vi verborum veniret solùm Diuinitas, et Persona Verbi, non idcircò veniret etiam anima, et corpus Christi, quia Persona Verbi, quamuis illis vniatur, non tamen ab illis perficitur vllo modo.

Hinc infero, si Petrus esset Romæ, et replicaretur Florentiæ, cõ. naturaliter deberent replicari omnes ipsius proprietates, et accidẽtia, quę ipsũ perficiũt, vt sũt habitus, actus intellectus, et volũtatis, quia hæc omnia sunt vnita, Petro, et ipsum perficiunt, vt patet.

P. Arriag. hic sect. 10. n. 47. solũ concedit replicanda esse ea, quæ sũt de naturali, & debita perfectione subiecti, aut termini, cui vniũtur, non autem, quę nõ sunt talia, vt cognitio, amor, et habitus. Sed contra est, quia non videtur consequenter loqui, nã eadẽ ferè ratio militat de his accidentibus, ac de illis; tota enim ratio exigendi illa est, quia sunt bonum ipsius connaturale, sed hæc etiam sunt bonum ipsius hìc, et nunc; ergo eadem ratio est appetendi naturaliter vtramque classem accidentium. Neque dicas illa esse de statu naturali, hoc enim probat ea magis appeti, vt si alterutra essent relinquenda, potius hæc, quam illa relinqueret, sed non probat hæc non appeti naturaliter, et consequenter ratione istius appetentiæ erunt etiam replicanda.

Nec ratio Arriagæ conuincit, nempe, quia anima licèt existat in pede tota, non tamen ibi habet actus cognitionis, et amoris, sed solùm in capite, de qua re affert pro ratione, quia cum possit sine

illis anima existere, non est cur debeantur illi vbicumque sit. Non inquam conuincit hæc ratio, quia falsum est, quod intellectio non sit in pede, quia anima posset esse sine ea; imo ex hoc probatur, quod si anima Petri viuentis replicetur Florentiæ, eo Romæ existente, non deberet replicari ibi corpus, quia potest esse anima, sine eo; ratio ergo, cur intellectio sit in capite est, quia aliquo modo pendet tamquam à conditione sibi requisita, & proxima ab organo imaginationis, quod si nullo pacto ab eo pendet, erit vbicumque est anima, sicut duratio animæ est vbicumque est anima, etiam in pede.

Petes tertio, vnio potest ne replicari de potentia Dei absoluta, sinè extremis, dummodo habeat ea extrema sibi præsentia in alio loco? Communis est sententia non posse, sed nō facilè redditur ratio, nam posset dici, esse quidem de essentia vnionis habere extrema sibi præsentia, vbi ipsa est in loco adæquato, non tamen esse de essentia eiusdem, ea habere vbicumque sit tamquam in loco pluſquā adæquato. Potest tamen reddi ratio si benè spectetur essentia vnionis, quæ quidem est modus per suam entitatem se ipsam vniēs extremis pro priori, & antecedēter ad vbicationē formæ, quæ vnitur nō enim vnitur ipsis, per vbicationes ipsorū extremorū, sed per suā entitatem, ergo eius entitas est talis determinatio, vt trahat secum extrema sibi intima, & consequenter essentialiter exigat vbicationem extremorum penetratas cum sua vbicatione, neq. potest cessare ab hoc effectu formali, quod nempe vbicumque sit ipsa vnio, sit talis determinatio. Quare sicuti si ponas hìc albedinem vnitā hìc Petro, nō potes non ponere hìc album, quia hìc datur adequata causa formalis; sic etiam, si hìc ponas vnionem, quæ per suam essentiam est vnita extremis, non potes non ponere extrema hìc vnita. Quoties ergo aliqua entitas per se ipsam est causa formalis, vbicumque ipsa est, essentialiter trahit secum effectum formalem.

Petes quarto. Accidentia, quæ in conseruari pendent à causa secunda, possunt ne replicari in alio loco, vbi non sit ipsorum causa conseruans, verbi gratia species visuales pendent ab albedine hìc Romæ, possunt ne replicari Florentiæ absque eo, quod replicetur albedo? Ad hanc quæstionem respondet P. Ouied. hic puncto 10. num. 9. posse etiam naturaliter comitari corpus replicatum, & hoc duobus modis. Primò, sine replicatione actionis conseruatiuæ specierum. Secundò replicata etiam actione, quippe quæ, vt actio pendeat à suo principio solùm exigit, vt conditionem ipsam approximationem; eam autem sufficienter habet in vno loco, verbi gratia

gratia Romæ, ergo nō est necesse, vt eamdem habeat Florentiæ.

Tota hæc responsio displicet, & primus modus est omninò impossibilis etiam Deo, nam terminus per suam entitatē essentialiter exigit sibi intimam actionem, per quam pendeat ab agente, & per quam duret, & sicuti quæ naturaliter exiguntur, debent naturaliter replicari, sic ea, quæ essentialiter requiruntur, vt determinatiua suæ existentiæ, vbicumque datur existentia termini debet dari existentia determinatiui intrinseci ipsius: actio autem est determinatio existentiæ termini antecedenter ad omne vbi, ergo non potest dari existentia termini absq. eo, quod ibi detur determinatio ipsius; idem argumentū, quod fecimus pro vnione valet, quoad hoc de termino actionis, quia essentialiter exigit intrinsecè vniri cum aliqua actione, vel hæc sit, vel illa.

Secundus modus displicet, quia sicuti idem auctor, bene probat replicari naturaliter accidentia debita subiecto, ita nullo modo potest negare debere replicari causam saltem connaturaliter ad hoc, vt existat actio replicata. Non enim minus cōnaturaliter exigit actio causam applicatam sibi, quam subiectum accidentia sibi bona, & naturaliter ipsum perficientia, si ergo propter hoc, replicato subiecto, replicantur accidentia, quomodo poteris negare, quod replicata actione, naturaliter replicetur causa illi applicata, quam sibi applicatam naturaliter saltem exigit, vt ipsemet, & omnes fatemur. Quod si (vt existimo probabile) implicat actio indistans, etiam respectu causæ creatæ, in tali sententia actio essentialiter vnitur causæ suæ per se ipsam in ratione contiguæ, hoc est essentialiter exigit per suam entitatem habere causam contiguā, in qua sententia, neque de potentia Dei absoluta poterit replicari actio, quin replicetur causa illi approximata, sed de hoc alibi.

Ad quæsitum ergo respondeo ea, quæ pendēt naturaliter ab aliqua causa secunda in conseruari, non debere naturaliter replicari, replicato subiecto, posse tamen miraculose replicari, vel supplente Deo actionem conseruatiuam causæ secundæ per aliam actionem, vel replicata actione, posito quod actio non pendeat essentialiter à causa immediatè applicata, sed solum à causa existente vbicumque sit.

Ex his infero, replicato Petro, qui est Romæ, etiam Florentiæ, nō replicari naturaliter actus vitales, vt est visio, & aliæ sensationes, quæ dependent à suis obiectis, vel à speciebus obiecti; replicari verò actus internos, qui non pendent immediatè à sensationibus externis

ternis actu existentibus, at vero supernaturaliter posse replicari omnes actus vitales, qui essentialiter non pendent ab vbicatione, quia Deus, vel suppleret actionem quia species pendent ab obiectis, vel si non implicat actio in distans, causæ secundæ, possunt conseruari à causa distante.

Diximus iam de accidentibus, quæ erant in corpore replicato, nunc videndū est, an corpus replicatū possit se mouere motu locali connaturaliter. Afferuntur rationes pro vtraq. parte, & pro parte negatiua. Affert Arriag. hìc sect. 8. num. 119 quia deberent destrui vbicationes supernaturales, & produci naturales, quod superat vires agentis naturalis. Ouied. dicit vnam vbicationem dicere naturaliter negationem alterius, adeoque habere incompossibilitatē naturalem, ergo non possunt naturaliter produci posito miraculo, quia non cessat talis incompossibilitas. Alij, & melius recurrunt ad virtutem actiuam naturalem, quæ est limitata, & non potest ponere nisi in vno spatio sibi adequato; neque quidquam facit suppositio vbi miraculosi, nam etiam si Deus ponat lapidem miraculosè in aëre, non idcirco poterit lapis simul in se producere aliam vbicationem in sensu compositio illius, quia virtus ipsius est limitata, hǫ tamen rationes infringuntur ab ijs, quę iam dicta sunt, & ab ijsdem Auctoribus etiam dicuntur; nempe si Petrus, verbi gratia, Romæ existens replicetur Florentiæ, debere replicari cōnaturaliter accidentia sibi debita, atq; talis replicatio accidentium est in compossibilis naturaliter cū ea, quā habent Romæ, & naturaliter non potest fieri à potentia naturali, sicuti non potest fieri duplex vbicatio, & duplex motus, & tamen quia illa accidentia sunt debita Petro, debent connaturaliter eo replicato ipsa etiam replicari, ita etiam quia motus localis est debitus subiecto replicato, verbi gratia lapidi posito in aëre est debitus descensus, & animanti est debitus motus progressiuus, deberent ea moueri his motibus ad quos habent naturalem inclinationem.

Hinc oritur ratio pro parte affirmatiua, nam non minus sunt debita accidentia subiecto replicato, quàm motus ipsi connaturalis, ergo si Deus ex suppositione miraculi debet producere secundam vbicationem, per quam replicet accidentia, licèt ea simpliciter non possit à natura produci, ita Deus deberet concurrere ad motum localem, ad quem inclinat subiectum replicatum, licèt simpliciter natura non possit habere duas vbicationes, neque permanentes, neq. fluentes, neq. alteram permanentē, alterā fluentem.

Pro solutione difficultatis. Aduertendum est tripliciter posse

poni

poni casum; primò, si Deus in hoc instanti, seu tempore miraculosè producta duplici vbicatione in lapide altera in aere Romano, altera in Florentino, velit eas dē conseruare, vel ponere alias ad suū libitum pro tempore sequenti, supra ordinem naturæ, & tūc non est difficultas, quod vel maneret in ijsdē locis, vel reperiretur lapis in ijs locis, in quibus Deus liberè determinauerit pro suo libito.

Secundus casus est si Deus posito lapide, vel Petro, vel quocumque alio ente in duobus locis pro instanti, vel tempore A, in tempore, vel instanti sequenti, velit omninò se conformare cum ipsa natura, & exigentia naturali locati, & in hoc casu, vel deberet desinere altera ex vbicationibus, & alteram manere, vel destrui vtramq. præcedentem, & solùm poni vnam aliam, siuè permanentem, siue fluentem, prout postulat, naturalis inclinatio locati, vt ex his exemplis patebit. Possumus enim ponere lapidem, cui debebatur vbicatio Romana ex sua natura, in tempore replicationis, & Deus produxit in eo lapide alteram Florētiæ pro instanti A, in hoc casu deberet in instanti, vel tempore subsequenti B. habere solam vbicationem Romanam, quam habuisset naturaliter, si facta non fuisset replicatio, siue fluens ea debuisset esse, siue permanens. Similiter sicuti ponimus lapidem, possumus ponere hominem, vel animal, & similiter deberetur pro tempore subsequenti ea vbicatio, quam iuxta sensationes, & apprehensiones illius ipse homo, vel animal posuisset. Quod si ponatur res locata in duplici loco, itaut neuter fuerit illi rei naturalis; verbi gratia si Deus producat rem collocando in duplici loco, vel eam prius existentem Romæ, postea collocet Neapoli simul, & Florētiæ, itaut desinat esse Romæ, & in tali casu pro tempore subsequenti iuxta suppositionem factam spectabit ad Deum, vt Auctorem naturæ dare vbicationem illi rei in altero ex illis locis, res enim illa non habet maius ius ad vnum, quam ad alterum, & ex alio capite exigit connaturaliter vnum locum, in quo prius fuerit, vel immediatum illi in quo prius fuerit, (posito, quod res illa prius fuerit) cum ergo præfuerit in duplici loco, nec habeat maius ius ad hūc, quam ad illum, sicuti habebat in exemplo antecedēte, Deus debebit determinare alterum ex illis locis, vel alterum immediatum illis locis, verbi gratia, si Deus posuit lapidem Romæ in aēre, & Florentiæ supra rem solidam, debebit pro tempore subsequenti, vel producere descensum, si velit operari ex determinatione vbi Romani, vel conseruare vbicationem permanētem, si velit operari

ex

ex determinatione vbi Florentini, vel si in vtroque loco fuit lapis in aëre, debet producere descensum in altero ex illis locis, & idem proportionaliter dico de viuentibus.

Ratio totius doctrinæ secundi casus suprapositi est, quia quælibet res creata, exigit connaturaliter vnum locum, siuè illū in quo præfuit, siue contiguum illi; ergo si Deus facto iam miraculo replicationis vult se omninò conformare naturis rerum debebit solùm producere vnam vbicationem in ea re, iuxta modos insinuatos.

Tertius casus esse potest, si Deus facto miraculo replicationis eiusdem rei pro aliquo tempore, velit postea tempore subsequenti miraculosè prosequi replicationē, sed de cætero velit in ea ponenda hoc, vel illo modo se conformare cum ipsa natura rei locatæ quantum potest, atque in hoc casu dico posse moueri rem illam connaturaliter posita voluntate miraculi, quod nempe res sit in duplici loco, verbi gratia in tali casu tertiò, si Deus posuisset lapidem Florentiq in aëre, & Romæ infra argentum viuum, seu plumbum liquefactum, connaturaliter ibi descenderet, hic ascenderet, qui motus licèt naturaliter sint contrarij, tamen ex suppositione miraculi antecedentis, & voluntate præsenti prosequendi replicationem sunt connaturales, imò si Deus collocaret in aëre lapidem simul in puncto A, & infra argentum viuum in puncto B, iuxta tertiū casū pro tempore antecedente, per rectam lineam, lapis ascenderet, & descenderet connaturaliter, donec se collocaret in locis C. D. supernatans plumbo, & acquirens duplicem vbicationem, vt mox probabimus. Similiter potest Petrus in duplici loco collocatus ex aduerso per distantiā decem passuum ex vtraque parte sibimet ipsi occurrere, donec sibimet fieret immediatus, & idem proportionaliter dico in similibus casibus.





Petes quinto eadē res replicata quo pacto se haberet cōnaturaliter in agēdo. Pro res ponsione aduertendū est triplicē cōsiderari posse actionem in externam materiam; de actione enim in se ipsū infra videbimus. Prima est productio alicuius formę, ad quam non requiritur motus localis, vt, verbi gratia esset productio caloris, & de hac actione dico, quod posset agens localiter multiplicatum efficere plurimos effectus connaturaliter; vt si ignis esset applicatus centum

centum stuppis simul omnes combureret connaturaliter, ratio est clara, quia ad agendum plures effectus, non requiritur maior virtus, sed solùm applicatio pluribus passis, cum ergo hæc applicatio miraculosè iam haberetur à multiplici vbicatione eiusdē agentis, connaturaliter sequeretur multiplex effectus. Secunda actio est, quæ fit per leuitatē, & grauitatèm agentis & dicitur leuitatio, seu grauitatio, & probabiliter est quidā impulsus productus à re graui, vel leui, & ab ea dependens etiam in conseruari; quon odocunque autem explicentur grauitatio, & leuitatio, certè causantur cōnaturaliter à re replicata, quia cum sit applicata duplici passo causabit duplicem impulsum. Hinc infero si eadem libra plumbi esset applicata per duas vbicationes diuersas eidem lanci, sed diuersæ parti lancis ponderaret, ac si essent duæ libræ.

Quæres. Idem pondus, v.g. idem Petrus si superponatur sibimet ipsi, grauitaret semet ipsum?

Respondeo affirmatiuè. nam perinde se haberet, ac si esset aliud pondus; nec dicas penetraretur cum semetipso, quia esset idem; nā contra est quia partes corporis non possunt penetrari inter se, ad hoc, autem, vt verbi gratia pectus positum super se ipsum penetraretur deberet prima pars pellis penetrari cum secunda parte pellis, cum enim habeat aliquam crassitiem potest diuidi in primam partem, & secundam, & certè secunda pars deberet penetrari cum secunda, & secunda, cum prima, & idem dico de duabus medietatibus primæ partis, & sic in infinitum, quare connaturaliter non posset fieri penetratio partium, adeoque fieret grauitatio, sicuti si pono vnam meam manum supra alteram, certè illa grauitat. Tertia actio esset per impulsum, qui fieret per motum localem, talis autem impulsus posset connaturaliter fieri posito tertio casu, nempe, quod Deus velit prosequi replicationem; aduerto tamen, quod si impulsus non fieret per solam grauitatem, & motum localem, sed per quendam conatum agentis, sicuti conamur, & defatigamus, quando impellimus currum, & equi trahentes currum defatigantur, certè talis impulsus non posset fieri, nisi iuxta vires agentis, nam si faciat impulsum, verbi gratia, Romæ, consumuntur aliqui spiritus vitales, quibus fit conatus, si fieret simul impulsus diuersus Florentiæ consumuntur alij spiritus vitales, quia requiritur alius conatus, adeoq. non esset sicuti ignis, qui multipliciter applicatus posset facere plurimas cōbustiones, in quibus faciendis nihil deperdit, nec defatigatur, sed solùm tot posset facere impulsus simul, ad quos haberet

spiritus sufficientes eos insumendo ad varios, & multiplices conatus; atque hinc varios casus in particulari poteris bene soluere.

Petes sexto, quid dicendum sit de formis, quæ producuntur in re vbicata in duobus locis. Pro responsione aduertendum est capacitatem subiecti respectu formarum esse considerandam solùm in ordine ad vnionem, quam habet subiectum cum formis, & non in ordine ad locum; patet hoc nam corpus nihil curat de ipsis formis secundum se, siuè sint in eo loco, in quo est ipsum, siue non sint, sed curat habere sibi formas vnitas, vndè si esset ignis, & in eodem loco ponerentur octo gradus non sibi vniti, nihil de illis curaret, & ratio est, quia per vnionem subiecti perficitur à formis & euadunt quasi suæ, & non per meram vbicationem, vt per se patet. Hoc posito dico non posse vniri cum re replicata connaturaliter formas oppositas, neq. plures formas supra eas, quarum est capax, verbi gratia supra octo gradus qualitatis, quia capacitas naturalis subiecti est in ordine ad vnionem physicam cum octo gradibus. Hinc deducitur, quod si idem corpus Romæ sit calidum, vt sex, & frigidum, vt duo, non possit Florentiæ magis frigefieri, nisi corrumpatur aliquid caloris, pereunte aliqua vnione cum calore, itaut semper sint octo gradus vniti cum subiecto, partim caloris, & partim frigoris, quod si Romæ sit applicatum eidem passo agens frigidum, vt octo, & Florentiæ calidum, vt octo fiet in eo talis productio, ac si eodem loco essent applicata hæc duo agentia, quia in ordine ad producendam vnionem inter subiectum, & qualitates vtrumque agens agit; & resistit contrario agenti, cùm sint applicata passo, siue sint applicata illi in eodem loco existenti, siue in duplici.

Quæres si Romæ aqua calefieret ab igne approximato ipsi, Romæ, & consequenter periret etiam Florentiæ frigus, quod ab hoc igne corrumpitur in aqua; remaneret ne aqua Florentiæ cum solis duobus gradibus frigoris, an ibi etiam replicaretur calor Romę in ea productus?

Respondeo connaturaliter esse replicandum, quia licet calor nõ sit perfectio aquæ, est tamen perfectio positiuè actuans ipsam materiam, adeoque ratione vnionis perfectiuæ ipsius materiæ iuxta ea, quæ superius diximus debent replicari accidentia, quãmuis sint violenta formæ, at verò, si vniretur aliquid, quod neque esset bonum toti, neque partibus, illud sanè non deberet replicari preterea octo gradus qualitatis sunt debiti naturaliter cuicũque toti, etiam si aliquot sint naturales aliquot violenti.

Ex dictis multa quæsita resolui possunt primum, quod si quis repli-

replicatus Romæ comederet, cibus in ventriculo deberet connaturaliter replicari, quia cibus in ventriculo est aliquid spectans ad complementum viuentis, est enim alimentum proximum, quod debetur potentiæ digestiuæ, & concoctiuæ, quare idem Romæ, & Florentiæ posset comedere iuxta capacitatem sui ventriculi, siue totum comederet in vno loco, siue partim in vno partim in altero.

Secundò, idem vas posset naturaliter Romæ esse plenum aqua, & Florentiæ vino, quia neuter liquor est debitus vasi & quod sit plenum tali liquore prouenit à collocatione talis liquoris intra ipsum vas.

Tertio, posset idem vulnerari in vno loco, & non in alio; vulneratio enim fit per intromissionem ferri, vel alterius corporis, qua separentur corporis vulnerati partes, amittentes illam vnionem continuatiuam; potest tamen hæc vnio continuatiua amitti solùm hìc, quia hìc solum datur per ferrum vulnerans partium separatio, & non alibi; ad hoc enim, vt hæc vnio amittatur simpliciter, oportet nullibi dari dispositiones ad illam cum ergo in altero loco dentur partes proximæ, dantur dispositiones ibi. vt conseruetur vnio; quod si vulnus esset lethale cessaret in loco vulneris esse vnio inter animam, & corpus, et non cessaret esse alibi; an autem dicendum, fit ibi mortuum esse hominem ex vulnere quæstio est de vocabulo, quid intelligas nomine mortui; optimè dici potest desinere viuere vbi viuebat prius, quod etiam verificatur, si homo replicatus Romæ, et Florentiæ desineret esse in altero ex his locis.

Quartò soluitur quæsitum, an si Petrus peccaret, vel mereretur Romæ, posset miraculosè non peccare Florentiæ?

Respondeo cum distinctione Petrus Florentiæ collocatus peccaret, vel mereretur Romæ concedo peccaret, vel mereretur Florentiæ, nego, et ita Petrus Florentiæ collocatus peccaret Romæ, mereretur Romæ, et sic de cæteris prædicatis; sensus enim est, quod realiter, et absolutè Petrus haberet illas formas à quibus denominaretur, sed illæ formæ non essent in spatio Florentino sed in Romano, nempe actus pecati, actus meritorius, et cæteræ formæ non existerẽt Florentiæ; verum est tamen, quod Florentiæ idem Petrus non posset habere actus voluntatis oppositos illis, quos habet Romæ, v.g. non posset amare Deum Florentiæ, et simul odio prosequi Romæ, quia amor expellit ab eodem subiecto actum odij circa idem obiectum, quare si Petrus Romæ inuitaretur ab amicis ad furandum, v.g. et Florẽtiæ audiret concionem contra furtum in tali casu voluntas ipsius perinde se haberet, ac si simul in eodem loco

haberet duo motiua oppositæ; parùm enim facit, quod motiuæ sint in diuersis locis, dummodo simul repræsententur eidem volũtati, quæ determinatur per illas repræsentationes, vbicumque tãdem illæ sint.

Dices magis est oppositum habere amorem, et nõ habere amorem, quam habere amorem, & odium circa idem, sed verificatur de Petro habet amorem Romæ, et non habet amorem Florentiæ; ergo poterit verificari habet amorem Romæ, et odium Florentiæ.

Respondeo distinguo maiorem, pro eodem loco transeat, pro diuerso nego, et negatur consequentia; ratio est quia amor non existens Florentiæ non est negatio amoris, sed negatio conflati ex amore, et vbi Florentino, cuius conflati negatio sufficienter habetur eo, quod non existat illud vbi Florentinum, non eo quod non existat amor. At verò odium de aliquo obiecto essẽtialiter exigit, ne detur amor circa idem obiectum simpliciter in quocumque loco: hinc colligitur regula certa, nempe quoties vna forma exigit essentialiter, vt nullibi detur sibi oppositæ, non possit vna esse Romæ, et altera alibi.

Quintò posset ne Petrus loqui Florentiæ quidquid concipit Romæ, absque eo, quod ille conceptus replicetur Florentię?

Respondeo affirmatiuè, nam ad loquendum non requiritur, vt vbi est locutio, ibi sint actus interni locutionis, sed satis est, si in eadem anima sint actus cognitionis, licèt alibi existãt, cum ergo Romæ hìc habeat cognitionem de rebus Romanis, potest potentia locutiua ex vi horum actuum Romæ existentium formare locutionem Florentiæ; quod si ad locutionemm immediate influerent actus cognoscitiui, non posset loqui Florentiæ, nisi ibidem haberet cognitionem.

Sextò posset ne Petrus comburi Florentiæ, absque quod Romæ quidquam pateretur?

Respondeo affirmatiuè, sed miraculosè, posset enim Florentiæ poni ab igne circumcirca posito tantus calor, et siccitas, quantum satis est ad combustionem: cœterùm non deberet poni alia forma in ea materia, sinè diuina dispensatione, adeoque existerent accidentia combustionis, absque eo quod poneretur forma ignis, non tamen ibi cõnaturaliter deberet perseuerare vnio inter animam, et corpus Petri; natura enim exigit, vt in ea materia, in qua est talis calor, et siccitas non debeat coonaturaliter esse vnio cum anima, sed potius vnio cum forma ignis hoc autem exigit, vt dixi naturaliter, quia naturaliter non supponitur eadem materia alibi, at

verò

vero posito, quod sit alibi sine illis accidentibus, sed vnita cũ anima non est capax alterius formæ substantialis connaturaliter; quare deberet manere Florentiæ spoliata forma substantiali; quamuis enim calor, et siccitas in summo sint optima media naturaliter ad formam ignis debet hoc semper intelligi, dummodo non sit positiuum impedimentum. Cum ergo Deus positiuè conseruet in eadem materia Romę vnionem cum anima, hoc posito connaturaliter non debet poni alia forma cum materia, cętera ex his facilè deduci possunt.

QVAESTIO XIII.

De Vacuo.

ARTICVLVS I.

Quid sit vacuum, & an possit dari.

AGentibus de loco statim occurrit vacuum, quia contrariorũ eadem est ratio. Dupliciter autem potest accipi vacuum. Primò vniuersaliter pro negatione cuiuscumquè corporis, et cuiuscumque vbicationis, in qua acceptione dicimus supra Cęlum esse spatia vacua, quia nihil ibi est positiuum, vt diximus præter Deum. Secundò accipitur vacuum restrictiùs, vt hìc sumitur ab Aristotele, nempe pro negatione cuiuscumque vbicationis corporeæ, et præterea quod hæc negatio existat intra corpora. Vnde bene definitur vacuum iuxta hanc acceptionem, est locus realis carens cõrpore intercepto.

Dico primo cum communi sententia non posse dari naturaliter vacuum.

Probatur fusè, et doctè à Conimbric. hìc cap. 9. quæst. 1. multis experientijs, ex quibus aliquas afferemus.

Primò, si quis trahat aërem, fistula aquę immersa ascendit aqua, ergo hoc fit ne detur vacuum.

Secundò, Cucurbitulę medicorum attrahunt carnem, quia per flammam rarefacto prius aëre, eodemque postea condensato, extincta iam flamma trahitur aliud corpus, ne detur vacuum.

Tertiò, si folles habeant foramen ita clausum, vt nihil aeris possit

set ingredi, numquam attolluntur sed potius diffringentur. Alia experimenta videri possunt loco citato.

Communiter probatur hac ratione; vacuum impediret influxus Cœlorum in inferiora, quos intendit natura in bonum vniuersi, ergo debet vacuum vitare. Communem rationem de more impugnat Arriaga, quia licèt cælestia corpora non possent influere per lineam rectam, influerent per corpora collateralia. sed hæc impugnatio nititur falsò, omne enim agens agit semper per lineam rectam, siue directa, sit, siue reflexa, vt patet in lumine, speciebus, & similibus, quæ nihil per latera prorsus agunt & ratio à priori est, quia linea recta, est natura sua determinata & breuissima, quæ duci potest inter agens, & passum, cæteræ lineę curuæ, parabolicæ &c. sunt infinitæ, & non sunt breuissimæ, ergo per lineam rectam influit cælum, & non per corpora collateralia illis, quæ essent infra vacuum; præterea etiamsi aliquo modo influerent per corpora à lateribus, adhuc tamen priuarentur actione directa, quam debet natura plurimi facere. ergo rationabilius est pati aliquam violentiam, quam amittere hanc vtilitatem.

Secundò, idem Auctor eamdem rationem impugnat dicendo, quod possent aliquo tempore carere aliqua corpora Cœli influxu, adeoque ob hanc solã rationem admitteretur aliquando vacuum à natura; sed cõtra quia melius est eo tempore pati aliquam violentiam, quam priuari maximo emolumento publico, nempe influxu Cœlorum, qui est necessarius ad operationes sublunarium, & ipsorum motus, vt infra videbimus.

Peior tamen his impugnationibus à me reiectis est ipsa ratio, quam affert P. Arriaga ad ostendendum cur natura non patiatur vacuum: quia videlicet si daretur vacuum corpora penetrarẽtur; Cum enim Deus repleuerit totum globum, qui concauo lunæ cõtinetur corporibus debitis, si daretur vacuum intra ea corpora, aliquod ex illis corporibus amitteret suum spatium, & ita deberet penetrari cum alio corpore; soluitur autem facillimè hæc ratio admissa aliqua condensatione aëris, qua nihil est faciliùs; illũ enim per vim condensamus in follibus lusorijs. cur ergo non possit dari aliquod paruum vacuum, ex eo, quod aër condensaretur: ita enim euitaretur omnis corporum penetratio.

Præter communem rationem dantur aliæ rationes, cur natura fugiat vacuum. Prima ne priuetur natura suo spatio, in quo quasi regnat; eo enim tempore, quo vacuum duraret, ibi non esset vllo pacto ipsa rerum natura, nec ibi posset quidquã operari vllum agens; melius est ergo, vt aliquod passum patiatur aliquam violentiam,

Digitized by Google

etiam, quam illi naturaliter infligit agens naturale, quàm, vt omne agens priuetur eo spatio ad agendum. Secunda ratio est, quia contiguitas corporum est medium necessarium ad conseruationem vniuersi ex genere suo, vniuersum enim conseruatur per nouas generationes rerum, quę generatio requirit, vt medium necessarium contiguitatem rerum, vt suppono; ergo natura pluris debet æstimare media requisita in genere suo pro cõseruatione vniuersi, quàm negationem alicuius peculiaris violentię in aliquo passo. Atquè hę rationes militant etiam pro vacuo, quamuis minimo, quoties enim aliquod est medium necessarium, vel bonum requisitũ Vniuerso ex genere suo, semper debet illud efficaciter appetere natura, quamuis in minima, & minima mole; appetitus enim naturæ est determinatus in bonum suum, & non distinguit, an illud sit in parua mole, vel in magna, si participet eamdẽ rationem formalem bonitatis; sic vult negationem cuiuscumque penetrationis, quantumuis minimæ, quia omnis penetratio corporum est noxia naturæ ex genere suo, adeoq. neq. illam admittit in paruo spatio. Eadem ratio militat de vacuo.

Dico secundò, non repugnat vacuum de potentia Dei supernaturali, ex nullo enim capite videtur posse repugnare. De potentia Angeli magis est controuersum. Existimo Angelum non posse cauſare vacuum, nam hoc ipso, quod attrahit vnum corpus, aliud de sua natura sequitur, nec potest Angelus impedire ne sequatur, quia est exigentia naturalis, vt detur contiguitas, sicuti quamuis Angelus impellat vnum corpus in aliud non potest facere, vt penetretur cum eo, quia est talis exigentia naturalis; ita etiam quia est exigentia non minor, vt vnum corpus sit alteri cõtiguum, non potest ita attrahere vnum corpus, vt etiam prohibeat ne aliud sequatur.

Obiicies primò, cum antiquis Philosophis, quos Aristoteles impugnat. Si non esset vacuum non daretur motus localis, ergo datur vacuum. Sequela probatur, nam lapis palmaris occupat locum vbi erat aër, vel ergo ille aër est simul cum lapide, & sic daretur penetratio corporum, vel occupat alium locum alterius aëris, & sic redit idem argumentum.

Respondeo in motu locali dari aliquam condensationem aëris, & aliquam rarefactionem, nam aliæ partes aëris intrant in locum, vbi prius erat mobile, & istæ rarefiunt, aliæ partes condensantur, nempe, quæ sunt ante frontem mobilis, & postea etiam rarefiunt, vsq. ad statum naturalem occupantes locum mobilis vlterius progredien-

gredientis, hæc autem condensatio non fit in infinitum, sed semper est minor vsq. ad certum terminum: sicut cum lapis proijcitur in aquam, partes aquæ proximę impellunt alias, & illæ alias vsq. ad certum terminum; hinc est quod natura dedit aëri fluiditatem, & maximam facilitatem, vt condensetur, & rarefiat, quo facilior in ea esset motus.

Obijcies secundò. Cum scinditur lapis durissimus simul omnes partes discontinuantur, & simul debet ingredi inter illas aër, sed simul ingredi non potest, cum debeat successiuè, & per motum ingredi, ergo datur vacuum per aliquod breue spatium scissionis.

Respondeo corpora quamuis dura non simul discontinuari, sed successiuè, quamuis breuissimo tempore, adeoq. aliquantulum inflectuntur, sed insensibiliter: præterea aër, qui est in poris lapidis valde rarefit, & occupat locum scisionis, vndè apparent in scisione aliqua corpuscula impulsa ab eo aëre rarefacto, quæ se habent per modum pulueris, & exhalant quemdam odorem illius lapidis, vt sæpiùs expertus sum.

Obijcies tertiò. Saxum planum, vel columna non potest poni supra basim quin detur vacuum, quod sic probatur. Pendente columna in aëre supra basim ad perpendiculum funibus sustentata, sit v. g. palmus aëris inter basim & columnam; hoc posito columna descendit, ergo sub superficie columnę, aliqua pars aëris abibit, quia iam non remanet amplius vnus palmus aëris inter columnam, et basim: tum sic argumentor. Aër sub columna discedens, qui est in centro superficiei columnæ non potest discedere de tota illa superficie, nisi per motum localem; quando ergo ille aër discessit à centro superficiei columnæ, vel in locum suũ substitutus est alius aër, vel nihil, si nihil ergo restat vacuũ in eo loco, si alius aër, ergo columna non descendit, quia semper remanebit inter ipsam, et basim spatium prius.

Respondeo, quod in aëre inter superficiem columnę, & basim tria simul fiunt. Primum est motus aëris abscedentis à centro; Secundum est condensatio partium aëris remotioris a centro. Tertium aliqua parua rarefactio aliarum partium, quæ sunt proximæ centro, quare abeunte aëre à centro, simul succedit alius aër rarefactus, et simul per condensationem cedunt partes aëris remotiores à centro, et ita columna descendit, neque enim circa centrum aër rarefactus occupat idem spatiũ, quod prius, sed semper minùs, et minùs, quia cedentibus aëris

aëris partibus columna descendit. Obiectio autem solùm valeret, si columna descenderet solùm per expulsionem aëris, quia tantum spatij occuparet nouus aër in centro, quantum fuit ab aëre abeunte relictum. At posita simul condensatione aëris omnia bene saluantur.

Dices saltem inter columnam, & basim remanebit aër, quod videtur absurdum.

Respondeo, remanere aliquid aëris densissimi et imperceptibilis sensu, nec est mirum, quod aër possit sustinere columnam quia non sustinet se solo, sed simul cum basi, et propter densitatem videmus autem, quod aër incluſus pila sustineat hominem sedentē supra pilam. Præterea ille aër exiguus, neq. ibi potest diù conseruari in tam parua mole, et tam intensa condensatione, sed conuertitur in corpus proximum; quod autem totus aër per motum localem non possit abire; patet ex argumento supra facto, nam in centro superficiei columnæ, si abiret per motum localem aër totus, restaret vacuum eo tempore, quo aer abiret.

Obijcies quartò, varias experientias. Prima est, vas plenum cinere tantum aquæ capit, quantum sinè cinere, ergo locus cineris remanet vacuus.

Respondeo falsum esse tantum aquæ capere, nisi cinis sit calidus, tunc enim suo calore corrumpit aquam in aërem, adeoq videtur, quod infundatur tanta aqua, ac si vas esset sinè cinere: præterea cinis est siccissimus, rarissimus, et plenus igneis exhalationibus qui. bus exeuntibus datur locus aquæ. et simul cum illis aliquid aquæ euaporat: denique id quod remanet cineris, aquæ frigore condensatur, et ita redigitur in paruam molem, qui prius totum vas occupabat.

Secunda est si vas solidissimum impleatur aqua feruenti, et arctissimè obseretur, certè aqua frigefacta redibit ad minorem locū, ergo relinquetur aliquid vacui.

Respondeo in tali casu per poros vasis intraturū aërem, vel si id fieri non potest vas fractum iri, vel si maior est resistentia vasis, quàm actio aquæ, ipsa aqua non poterit condensari, sed remanebit rarefacta violenter.

Tertia est, in lucernis infuso per angustum foramen oleo, & iecto per idem lycno, non potest amplius ingredi aër, ergo deficiēte paulatim oleo, datur vacuum intra lucernam.

Respondeo oleum, & aërem incluſum oleo, calore luminis rarefieri, vt patet, si lucerna plena ponatur ad solem, statim oleum prę,

raritate egreditur, præsertim autem rarefiunt partes olei propinquiores lumini, adeoq. per illas aër subtilissimus propter proximũ ignem poterit paulatim ingredi; imo ipsa experientia sentitur aliquando aëris ingressus, fit enim aliquis strepitus dùm ingreditur in aliqua copia.

Quarta, ex Aristotele. Idem oleum, quod implebat dolium positum cum vtribus, capitur etiam simul cum illis ab eodem dolio, ergo priùs dabatur vacuum in loco, quem nũc occupant vtres.

Respondeo oleum in vtribus magis cõstipari, & ideo datur aliquis locus prius occupatus ab oleo minùs constipato, & sic vtres à dolio capiuntur.

Quinta, si stylus infixus ceræ, extrahatur, datur vacuum intra ceram, cum aër simul ingredi non possit.

Respõdeo semprer ingredi aliquid aëris per partes vicinas stylo, nec enim simul relinquit stylus omnes partes ceræ, sed paulatim, & successiuè, vndè si euellatur cum maxima vehementia, trahit secùm partes ceræ.

Alijs experimentis de argẽto viuo posito in tubo vitreo optimè respõdet P. Zucchius, & alij Recẽtiores; sẽper enim in quolibet corpore sunt partes quædam tenuiores, & spiritosæ, quæ si tubus inuertatur vi ponderis argenti viui extrahũtur à reliquo corpore, & apparent extantes supra ipsum mercurium intra tubum per spatiũ aliquot digitorum.

ARTICVLVS II.

A quo moueantur corpora ad vacuum euitandum; & de motu in vacuo.

DIximus aquam ascendere post aërem in fistula. Quærimus à quanam virtute proueniat talis motus aquæ violentus: Dicunt aliqui causam talis motus esse Deum, vt Auctorem naturæ; sed non est recurrendum ad primam causam sinè necessitate, quæ hìc certè non vrget. Peius loquũtur qui asserunt prouenire ab intelligẽtia, cui Deus hoc mãdauit, natura enim nõ solet apponere pædagogũ corporibus, sed dat illis vim, qua indigent, nisi aliũde vis illa repugnet, vt dicemus in libris de cœlo. Dicunt alij prouenire ab ipsa virtute corporis moti, ver. gr. aquæ quæ ad vitandum vacuũ habet vim producendi motum in se. Sed hoc videtur con-

tra

era naturam aquæ, quæ petit descendere: præterea repugnat experientiæ, vt mox patebit.

Magis adhuc displicet ratio P. Arriagæ loco citato; dicit enim aquam impelli ab aëre, qui est extra fistulam, eò, quòd aër attractus occupet locũ nouũ, & impellati aërem, qui est extra fistulam, qui ita impulsus impellit aquam, & cogit, vt ascendat. Sed in primis aër attractus poterit facilè condensari, & sic cessat hæc ratio. Secundo est manifestum experimentum in instrumento constante ex duobus phialis, quo metimur calorem & frigus cubiculorum, nam si calefiat amphora superior, aqua descendit, si deinde frigefiat aqua ascendit, ergo talis ascẽsus nõ fit ab aëre extra fistulã sed fit ab aëre intra fistulam, qui aquam trahit, dum se condensat, & in minus spatium reducitur; imo, si aqua ascenderet impulsa ab aëre extrinseco, sequeretur, quod quò maior esset calor in aëre externo, eò magis deberet aqua ascendere, nam aër externus calefactus rarefit, & occupat maius spatiũ, adeoq. magis impellit aquã, vt ascendat, quod est falsum; & ratio est, quia rarefactio aëris facta in loco aperto, nullam ferè habet vim impellendi aquam cũ possit facilius impellere alias partes aëris sibi vicinas, & aliquam in illis dẽsitatem causare semper minorem, & minorem, quo vlteriùs proceditur.

Dicendum est cum communi sententia. causam talis motus in corpore subsequenti esse eamdem, quæ mouet corpus antecedẽs, ex eo enim, quod natura refugit vacuum dedit talem adhærescentiam corporibus contiguis, vt quod mouet vnum, moueat, & alterum.

Probatur, quia si corpus sequens sua virtute ascenderet, quando trahitur, v.g. aër per fistulam simui & aqua, trahens aërem non deberet experiri maiorem difficultatem, quàm quando traheret solùm aërem, quia aqua se ipsa ascendit, & non tracta ab alio agente; hoc autem est falsum, vt apparet experientia in fistulis, quibus aqua sursum trahitur, facillimè enim attolluntur instrumenta, quibus trahitur aqua per fistulas, quando non adest aqua. Confirmatur exemplo magnetis; adhærescente enim ferro magneti ob virtutem magnetis, si quis eleuat magnetem, elenat etiam ferrum, & experitur maius pondus in magnete, & ferro simul attollendis, quàm in solo magnete, ergo posita naturali adhærescentia corporum, ille, qui mouet primum, debet etiam mouere secundum.

Hinc sequitur, quod si corpus secundum est ita graue, vt non possit ab agente simul attolli; tunc neq. primum attolletur, ne de-

tur vacuum, vincitur enim virtus motoris, à grauitate secundi corporis. Sequitur secundò, condensationem, & rarefactionem aëris in motu corporis fieri ab eadem causa, quæ mouet corpus, quia dum illa trahit corpus, trahit etiam aërem, qui post illud rarefit.

Petes quid est adhærescentia naturalis corporum.

Respondeo esse naturalem exigentiam istius vbi, quod est in vno corpore, vt post ipsum sit aliud vbi reale, & consequenter aliud corpus, vnde fit, vt agens destruens prius vbi per motum, non possit in primo corpore producere illud vbi, quin simul producat secundum vbi, in corpore subsequente, adeoq. semper trahit aliquod corpus in locum prioris; non debet tamen dari ista mutatio per spatium immensum, nam aër, qui est facilè mobilis mota vna parte aëris subintrat in locum ipsius, & si aliquid aëris est condensatum, etiam in eadem proportione aliquid aëris rarefit.

Pro secunda parte quæstionis. Dico primò Angelum posse moueri per vacuum; patet, quia Angelus non impeditur à corpore, nec determinatur ad tantam, vel tantam velocitatem à resistentia medij, ergo eodem pacto se habet, siue spatium sit plenum corpore, siue non.

Dico secundo, in vacuo posse fieri motum alterationis in corporibus applicatis inter se, quia si in ista schola vacua sit ignis bene applicatus ligno, nulla est ratio cur non producat calorem, etiã si vtrumq. sit in vacuo; nec dicas impediri, quia Cœlum non influit, nam influxus Cœli non est adeo necessarius ad omnes operationes sublunares, vt minimam actionem non possit agens facere sine illo, nullum quippè habemus indicium talis necessitatis. Verũ in rigore loquendo hæc productio fit in ipso pleno, fit enim in materia ligni, quamuis ea materia ambiatur vacuo; non autem producuntur qualitates in ipso vacuo.

Dico tertiò, posse fieri motus proiectorum in vacuo, verbi gratia, si Angelus, vel Deus proijceret lapidem intra vacuum imprimendo virtutem motiuam lapidi, nihil enim hinc sequitur absurdi, quia lapis non discontinuaretur ab aliquo corpore, vt eueniret si proijceretur ab homine, quia deberet discontinuari à manu homnis.

Dices Aristoteles lib. 2. de Cæl. Tex. 27. asserit cœlum non esse corpus ouale, nec angularis figuræ, sed sphæricę, quia aliter daretur locus, et vacuum extra cœlũ, nempe ibi vbi esset angulus ipsius postea nihil esset, ergo absurdum est, quod vbi semel est corpus ibi

sit

sit vacuũ, quod euenire in motu lapidis ab Angelo proiecti, nam vbi erat lapis prius, ibi esset postea vacuum.

Respondeo absurdum, quod infert Aristoteles est, quod daretur locus naturalis Cęlo, qui esset etiam vacuum; nam locus vbi esset angulus Cęli, certè esset locus per se debitus Cęlo, cum per illum deberet moueri, & tamen idem locus esset aliquando vacuum, hoc autẽ videtur absurdum, quod locus debitus Cęlo sit etiam vacuũ; hoc autem absurdum non sequeretur in motu proiectorum, qui semper est lapidi violentus, neq. est locus illi debitus vllo pacto.

Dico quartò, fieret etiam motus animalis, quia moueret per suam virtutem musculos, et neruos, sicut etiam mouet in pleno, quibus motis moueretur brachium, vel pes: si verò pes, vel manus adhæreret alicui corpori, non posset eam partẽ diuellere, nisi traheret etiam illud corpus; de motu autem progressiuo, dico fieri non posse si requiritur, quod pes innitatur alicui corpori immoto, quia intra vacuum nullum esset corpus immotum; sin autem hoc non requiritur posset fieri motus progressiuus; similiter, neque videtur posse fieri motus reprionis supra pauimentum illud, quod prius connectebatur, cum planta pedis deberet enim ab ea discontinuari, quod esset contra adhærescentiam corporum, et quamuis adhæreret alteri parti pauimenti, tamen pars illa, quæ adhærebat plantæ non sineret eam à se diuelli, sed ipsa sequeretur, ne vacuum pateretur.

Maior est controuersia de motu grauium, & leuium. Pro quare aduertendum est dupliciter posse poni inclinationem grauitatis, et leuitatis, primò, quod graue exigat esse in infimo loco huius vniuersi, adeoque tendat per rectam lineam ad centrũ vniuersi, vt sit infra omnia corpora minus grauia, locus enim deorsum est respectiuus respectu concaui lunæ, itaut dicatur sursum tendere, quod à centro mundi recedit; dicatur deorsum fieri, quod accedit ad eiusdem centrum, quare locus sursum, et deorsum sunt respectiui; hinc fit, quod si Deus destruetet cælos non daretur centrum respectu illius, et solùm posset dari centrũ respectu ignis, aëris, et aquæ, quod si etiam destrueretur aqua, ignis, et aër, terra nullo pacto esset in centro, quia nõn posset desumi respectu cuius esset illud centrum, quare iuxta hanc positionem, grauitas inclinat ad talem locum, posito quod talis locus sit centrum vniuersi, quę denominatio non est adæquatè intrinseca illi loco, sed desumitur à collocatione aliorum corporum circum circa; vnde si Deus moueret totũ vniuersum tantùm pilam, vbicatio, quæ nunc est centrum, non

esset

esset amplius centrum, quia in medio vniuersi iam corresponderet alia vbicatio, quæ esset remota ab ea, quæ nunc de facto est centrū; idem dico proportionaliter de corpore leui, quod tendit ad locū sursum, qui etiam, per denominationem extrinsecam habet partialiter esse locum sursum. Secundò posset poni inclinatio grauiū, & leuium determinata ad tales vbicationes præcindendo ab omni alio extrinseco, ita vt terra, verbi gratia, sua natura inclinaret ad talem vbicationem, & ignis ad talem ita distantē à terra vbicatione, & si talis inclinatio ponatur etiam si cœlum, & omnia deficerentur præter terram, adhuc terra naturaliter appeteret esse in ea vbicatione, quę de facto est media. Similiter si mundus totus à Deo moueretur per modum vnius, tunc terra non inclinaret ad centrum vniuersi sic moti, sed ad illam vbicationem, quam ex sua natura appetebat, licèt ea in eo casu non esset centrum, sed extra centrum.

Dico quintò, si grauia, & leuia ponantur habere inclinationem ad ipsas vbicationes præcindendo ab alijs corporibus extrinsecis, vt explicauimus secundo loco, posita in vacuo naturaliter mouerentur ad illas vbicationes quas appetunt: Conclusio qua conceditur fieri motus grauium, & leuiū in vacuo defenditur à S. Thom. hic tex. 74. Scoto in secundo distin. 2. quæst 9. Tol. hic quæst. 9. Conimbr. Hurtad. Arriag. Oniedo, & alijs recentioribus. Oppositum defendūt Albertus, Auerroes hic textu 71. & antiqui Aristotelis Interpretes, & multi etiam recentiores. Conclusio à nobis in sensu explicato. Probatur primo quia grauitas, et leuitas essēt virtutes; solum determinatæ ad talē motum deorsum, vel sursum præscindendo ab impedimento medij plenij, & solùm requirendo spatiū sed in vacuo esset spatium imaginarium; ergo tunc determinarent ad motum. Maior in qua potest esse difficultas. Probatur quia plenum nullo pacto determinat virtutem motiuam ad motum simpliciter; sed impedit velociorem motum per suam molem, sicuti si supponam manum lapidi cadenti, non sino illum descendere iuxta suam totam celeritatem, sed determino virtutem lapidis ad motū ita modificatum, impediens motum celeriorem; non autem determino lapidem ad motum simpliciter, quare impedimentum requiritur solum ad determinandam grauitatem, & leuitatem ad talem motum, non ad motum simpliciter.

Ratio à priori est, quia impedimentum aliquid impedit, debet ergo assignari quid impediat; peto ergo, quid impedit spatium plenum per suam plenitudinem, quando lapis descendit; certè non impe-

Digitized by Google

impedit grauitatem, quia grauitas tunc existit, & id, quod impeditur non existit; neque impedit illum motum, quem habet de facto, neque motum possibilem in pleno; si enim est possibilis quando est plenum, certè ab eo non impeditur, ergo est possibilis aliquis motus sinè pleno, quem impedit plenum; talis ergo motus fieret in vacuo.

Dices natura dedit lapidi virtutem talem, quæ semper ageret cum impedimento, non enim præuidit miraculum in vacuo, & sic non dedit virtutem ad simpliciter mouendum, quæ frustra fuisset. Sed contra est, quia non est præuidere miraculum dare tantam limitationem grauitati, vt ipsa per se præscindendo ab omni impedimento possit producere tantam velocitatem, & non maiorem, quamuis de facto naturaliter semper futura sit impedita: sicuti dedit animali tantam virtutem ad talem, & tantum motum, si non impediatur, vnde etiã per aduersarios, fit motus animalis in vacuo, quare necessarium est, vt omnis virtus motiua sit determinata ad tantam celeritatem præscindendo ab omni impedimento.

Secundo impugnatur, quia etiam calor semper agit impeditus à frigore, & tamen etiam si Deus annihilaret frigus, quod est in ligno, & ligno applicaretur ignis produceretur statim in eo calor.

Tertiò contra est, quia sequeretur, quod Hostia consecrata non posset naturaliter combusi, quod est falsum, quia ab omnibus habitum est tamquam miraculum, cum inter flammas combusta non est. Sequela probatur quia natura non præuidit miraculum, ergo dedit virtutem igni ad faciendum corpus calidum, cum ergo ibi non sit corpus, cui inhæreat quantitas, non posset per te calefacere solam quantitatem, deniq. neq. Angelus, qui vidit Lazarũ mortuum, et deinde viuum posset cognoscere esse resuscitatum, quia talis cognitio supponit miraculum, quæ omnia sunt absurda.

Probatur secundò, quia grauitas iuxta hanc explicationem debet esse determinata ad talem vbicationem, quę sit maximè vicina centro Vniuersi, nisi impediatur à corpore grauiore, vel solido, sed lapis in vacuo non impediretur ab vllo corpore, ergo deberet sibi acquirere vbicationem viciniorem centro, & consequenter deberet descendere. Maior patet, quia grauitas habet pro bono suo talem situm, est enim bonum corpori graui, vbicari in centro, ergo debet appetere talem vbicationem.

Dices, lapidem appetere descensum in pleno, quia naturaliter non potest dari vacuum; & non dantur virtutes naturales ad miracula. Sed contra est, quia ex eo, quod habeat virtutem in pleno argui-

arguimus de necessitate, quod habeat etiam virtutem in ordine ad vacuum, tum quia vt supradiximus, plenum est impedimentum, ergo est possibile id, quod impedit præscindendo ab impedimento; tum quia si descensus est bonus lapidi, multò magis fieri debet quando non est impeditus, esset enim ridiculum dicere, quod tunc nititur ad habendum suum bonum, quando est impedimentum, quando verò non est, nihil curat de bono; tum denique quia natura extenditur etiam ad casus miraculosos consequenter, non quod detur virtus solùm ad casus miraculosos, sed per se datur ad casus naturales, & consequenter extenditur ad miraculosos.

Verùm non videtur probabile, quod de facto grauia, & leuia habeant hanc inclinationem determinatam ad ipsas vbicationes, præscindentẽ, quod hæ vbicationes, ita se habeant de facto respectu aliorum corporũ; quod enim est bonum terræ obtinere talem vbicationem, nisi ea de facto sit media respectu cęli? Et si Deus ita moueret totum mundum, vt illud spatium imaginãrium, in quo nunc ẽst centrum terræ, esset in ipso cœlo lunę, in tali casu terra inclinaret, vt esset contigua Lunę, & ignis, vt esset in centro terræ? Certè tota ratio, cur elementa appetant talia loca est, quia in ipsis melius conseruantur magis remota à contrarijs, ergo non appetũt ea loca præscindendo à positione contrariorũ, sed quatenus ita se habent respectu positionis contrariorum.

Dices, Deus volendo instituere hunc vniuersum dedit terræ talem inclinationem ad illam vbicationem præcisè acceptam. Sed contra est, quia Deus nõ potest facere pro libito suo, vt res aliqua naturaliter appetat aliquid sibi non vtile, neque bonum; nec enim potest facere, vt lignum, v.g. appetat lumen, vel aliquod ex quo naturaliter nullam habeat vtilitatem. sed tota vtilitas loci, quam habet terra est, vt sit lõginqua à cõtrario, quã longinquitatẽ natura sua nõ habet illa vbicatio, sed solùm haberet ex decreto Dei, quod per accidẽs est respectu illius vbicationis, ergo nõ potest naturaliter appetere illã vbicationẽ, nisi vt habẽtẽ distantiã à collocatione elementi contrarij, quã distantiã nõ habet per denominationẽ intrinsecã, sed extrinsecã, eò quod ignis sit collocatus in tali vbicatione, solum ergo terra inclinat ad vbicationem distantem ab vbicatione ignis, siuè hæc vbicatio sit hæc, siue sit alia, dummodo distet ab igne, adeoq. non inclinat ad motun. ad hanc vbicationem nisi vt distantem ab igne, & sic præscindendo à collocatione ignis nihil curat de hac vbicatione, vel illa.

Melius ergo ponitur inclinatio grauium, & leuium ad loca sua respe-

respectiuè, ita, vt terra inclinet ad locum, qui sit infra omnia corpora, leue ad locum supra omnia sublunaria, & iuxta hanc positionem, quam simpliciter amplector, vt veram.

Dico sextò, non fieri motum grauium, & leuium in vacuo.

Probatur primò, quia lapis existens in vacuo nullum habet corpus circa se, ergo non est cur fugiat à corpore noxio sibi, & tendat ad locum sibi congruum.

Dices mouebitur, vt tendat ad contiguitatem aliorum corporum; sed contra est primo, quia non iam moueretur per grauitatẽ, sed ob rationem genericam omnium corporum, quia scilicet appetunt contiguitatem inter se. Secundò, quia in aliquo casu potius moueretur sursum, nam sit lapis in hac aula vacua remotus à tecto quatuor digitis, deberet eò tendere, vt faciliùs, et citiùs acquireret contiguitatem. Tertiò, quia lapis existens in vacuo non posset à se determinari ad motum, si enim Deus omnia annihilaret præter vnum lapidem, non posset descendere, quia non daretur centrum vniuersi, sed de facto lapis existens in vacuo in hac aula eodem modo in se ipso se haberet, siue dentur alia corpora siue non dentur, ergo de sua natura non posset determinari ad vllum motum.

Quod si dicas determinari ab existentia aliorum corporum, & à sua inclinatione, iam incurris in absurdum, quod maximum existimo, nempe posse rem physicam, finè vlla sui mutatione determinari à re sibi remota ad producendum effectum physicum qualis esset motus, quo posito non video cur agens naturaliter non posit agere in distans, si naturaliter potest determinare rem de sua natura indifferentem ad faciendum hunc potiùs motũ, quam alium.

Dices hoc ipsum ab omnibus esse soluendum in pleno; nam de facto lapis in aëre positus descendit, ponamus iam Deum transtulisse totum aërem cum eodem lapide extra cœlum, certè tũc non descenderet, quia non esset centrum vllum extra cœlum, imo ponamus cœlum esse destructum, ergo de facto lapis determinatur ad motum deorsum, non solùm ab aëre ambiente, sed etiam à cœlo remoto, quo destructo non esset maior ratio, cur lapis iret per aërem ad hanc, vel illã partem, quia non daretur, neq locus sursũ, neque deorsum; & etiam si refugeret manere in aëre, tamen nullã haberet determinationem, vt potius exiret ab aëre hac via, quam illa, quia nullibi daretur deorsũ, nec sursũ. Propter hoc argumentũ existimo omninò necessarios cœli influxus ad motus elementorũ, à quibus determinantur partialiter ad suos motus. Cum enim

ex vno capite natura debuerit facere hanc rerum vniuersitatem ordinatam, & vnumquodque ex corporibus debeat appetere locũ, respiciendo ad alia corpora, & ad cælum potissimè, necesse fuit, vt ipsum cælum perpetuis influxibus hæc inferiora determinaret ad hos effectus, ac motus producendos, quibus omnia suis in locis coaptarentur, & propter hanc rationem præcipuè refugit à vacuo, in quo cessantibus influxibus nõ possent fieri motus naturales determinati ad vnum, quamuis possint fieri alij motus determinati à viuentibus, quæ de se habere possunt determinationem præscindẽdo ab influxu cælorum; quare virtus motiua elementorum de se, non est determinata ad motum faciendum, nisi accedat determinatio ab influxu cæli, & licèt aër sit impedimentum simpliciter ad motum celeriorem, est tamen requisitum, vt sit in lapide cæli influxus.

Ad illud autem, quod dicebatur in primo argumento pro prima sententia, quod virtus motiua debet sibi taxare motum sibi possibilem præscindendo ab impedimento; respondetur cum distinctione nempe verùm esse, cum illud se habet præcisè, vt impedimentum; at cum ex alio capite est necessarium, negatur verum esse. Potest enim esse aliqua virtus, quæ semper vt operetur impediatur aliquo modo ne faciat motum velociorem, nec vllus possit assignari motus ita velox, quõ velociorem non possit facere, si careat eo impedimento; & habeat aliud minus impediens, nulla autẽ detur velocitas determinata, quæ taxetur ab ea virtute, sed semper possit facere maiorem, & maiorem in infinitum, quare hoc argumentum benè valet, posito quod aër sit purum impedimentum, & non requiratur propter aliud bonum, sicuti probabatur in prima sententia.

Obijcies primò locus naturalis grauium, & leuium est, vt grauius sit infra minus graue, ergo si daretur vacuum in toto aëre, & aqua esset supra tale vacuum, non deberet descendere, quia non haberet leuius iusta se, neq; grauius supra.

Respondeo distinguo antecedens, iuxta vnam suppos. concedo, iuxta aliam, nego, aqua enim quia simpliciter est grauis, habet tendere ad centrum vniuersi, nisi ibi sit corpus grauius. Posito ergo, quod aqua sit in loco aëris vacuo deberet descendere vsque ad locum terræ. De facto tamen quia non datur vacuum aqua descendit, vt sit infra aërem.

Obijcies Aristot. qui sæpè hìc dicit, quod si grauia, & leuia mo-

uerẽ-

uerentur in vacuo, mouerentur in instanti, ergo non possunt moueri.

Respondeo in primis hanc sequelam esse falsam, etiam posita sententia; quod nempe grauitas, & leuitas sint determinatę ad motum in pleno, & non in vacuo, solùm enim sequeretur, quod moueretur elementa in tempore, sed sine virtute vlla determinata ad motum, non autem sequeretur moueri in instanti, nisi faciat quæstionem de vocabulo, & diceres, quod volarem in instanti, si non haberem virtutem determinatam ad volandum; motum autem esse non posse in instanti, patet loquendo de locali; est enim motus localis acquisitio successiua, adeoq. non potest idem esse in diuersis partibus cum successione in instanti, instans enim non habet partes, vt suppono.

Respondeo secundò, directè cum S. Thoma hic textu 74. Sequelam Aristotelis benè valere ad hominem contra antiquos, qui ponebant vacuum ad hoc, vt possent elementa moueri, tamquam vnicam causam motus; vnde textu 67. ait, quod si non ponatur causa motus, aut natura corporis, aut vis extrinseca, nullus esse poterit motus in vacuo tamquam à causa, vt opinabãtur antiqui, & idem clariùs habet tex. 64. his verbis, nam si natura cuiq. simplicium corporum aliquis motus competat, vt igni quidem sursũ, terræ autem deorsum, atq. ad medium, patet vacuum causam lationis non esse, cuius igitur motus causa vacuum erit? Et tex. 61. dixerat nulla prorsus veritas cogit, si motus est, vacuum esse, atq. omninò quidem vacuum omnis motus causa non est; Patet ergo antiquos, quos hic impugnat Arist, posuisse vacuũ tamquam causam motus localis. Hoc posito bene procedit sequela, nam si ponis vacuũ causam, & non corporis naturam, potius sequeretur debere fieri in instanti, si enim plenum quantò est subtilius, eo minorem causat tarditatem in motu, certè vacuum quod nullam habet proportionem cum pleno quamuis subtilissimo, nullam deberet facere tarditatem, adeoque motum faceret in instanti; at verò si aliunde ponamus causam determinatam motus, nempè grauitatẽ, & leuitatem, dicimus illam causam secundum se facere tantam velocitatem determinatam, cum impedita non est, cum verò est impedita facere minorem, & minorem pro maiori, & maiori impedimento à medio crassiore, quare improportio vacui ad plenum nullam habet vim contra nos.

QVAESTIO XIV.

De Tempore.

ARTICVLVS I:

Quid sit duratio, & an distinguatur à re durante.

MAgna est affinitas inter durationem, & vbicationem, quemadmodum enim per vbicationem res est in tali spatio ita distans ab alijs spatijs, sic per durationem existit in tali tempore, & distat ab alijs temporibus, forma igitur illa per quam res v. g. existit hodie, appellatur duratio hodierna; quæritur hic an talis forma sit aliquis modus distinctus à re durante, & tempore extrinseco, nempe motu cœli, vt dicemus, an verò sit res ipsa durans cõnotans tempus extrinsecum.

Prima sententia asserit durationem non distingui à re durante, sed esse rem ipsam, prout coexistit varijs partibus temporis, ita Nominales, quos sequuntur, & citant Suarius disp. 50 metaph. Vasq. 1. tom. in primam partem disput. 33. capite 3. Molina prima parte quæst. 10. art. 5. Hurtad. prædicam. Quando, Ouied. hic controu. 16. punct. 3. & alij recentiores.

Secunda sententia docet Durationem esse modum distinctum à re durante, Ita S. Bonau. in 2. dist. 2 quæst. 1. Riccardus ibidem. Salas, Bagnes, & Card. de Lugo, de Incarnatione disput. 19. sect. 1. Arriag. hic disput. 15. & Thomistæ communiter, & multi Recentiores.

Dico primõ Duratio distinguitur modaliter à re durante.

Probatur primo, quia quoties aliqua entitas est indifferẽs, vt sit, vel non sit cum alia, & illa alia est indifferens, vt sit, vel non sit cum ista. & potest vtraq. existere non simul, toties ad hoc, vt existãt simul debet dari aliquod determinatiuũ formale, sed ita se habet res durãs respectu tẽporis extrinseci, ergo requiritur aliquod determinatiuũ, quod est duratio. Minor patet, quia Petrus est indifferens, vt sit hodie, vel cras similiter tempus hodiernum est indifferens, vt existat vel non existat cum Petro, & potest vtrumq. existere non simul, nempe tempus hodiernum hodie, & Petrus cras. Maior probatur;

Digitized by Google

batur, quia si vtraq. entitas potest existere sine altera, potest vtraq. existere absq. eo, quod simul existant, ergo simul existere, aliquid aliud est, præter existentiam vtriusq.

Confirmatur quia intueatur nunc Angelus entitatem Petri existentem, et post quadrantem intueatur entitatem temporis, certè iste Angelus intuetur vtramq. entitatem, et tamen nescit an simul existant, ergo simul existere has duas entitates, non est existentia vnius, et existentia alterius solummodo, sed præterea requiritur illud simul, quid autem significat illa vox simul, nisi modum superadditum?

Dices illud, simul, significare perseuerantiam existentiæ Petri, & tale tempus. Sed contra est, quia hæc perseuerantia, vel est ipsa entitas Petri, et temporis, vel aliquid aliud, si nihil est præter ista duo, sequitur, quod Petrus perseueret cum anno 1700. et cũ anno quolibet futuro, et præterito, quia per te perseuerare cum illo, nihil est aliud, nisi existentia Petri, et existentia talis anni,

Nec dicas requiri simul, quia illud simul debet significare aliquid aliud, si enim nihil aliud significat, quia existit Petrus, et quilibet annus, existit Petrus simul in quolibet anno, existere enim simul per te, est existere Petrum, et existere annum.

Dices secundò, illud simul esse decretum Dei volentis Petrum existere in hoc tempore. Sed contra est, quia hoc decretum, quid haberet pro obiecto volito? Si vult solùm existentiam Petri, et existentiam talis temporis, certè Deus vult Petrum existere omni tẽpore, quod est falsum. Sequela patet, quia Deus vult existentiam Petri, et existentiam omnis temporis, quod de facto ponitur, sed velle per te ista duo, est velle Petrum existentem omni tempore, ergo ita vult; quare si hoc est falsum, aliquid aliud est obiectũ volitum præter illa duo, hoc autem est duratio.

Dices tertiò, illud simul esse negationem destructionis. Sed cõtra est, quia negatio destructionis Petri, vel est, ipsa entitas Petri, vel alia entitas; destructio enim est negatio, et consequenter negatio destructionis, est res positiua. Si est sola entitas Petri redit argumentum, si est alia entitas, hanc appello durationem. Secundo contra est; quia antequam Petrus esset, erat negatio destructionis Petri, et tamen tunc Petrus non durabat, ergo talis negatio non est ad rem, denique valent contra hoc omnes impugnationes, quibus impugnauimus non dari actionem, vnionem, et vbicationem distinctas.

Pr Ouied.

P. Oniedo loco citato num. 26. putat hoc argumentum fefellisse multos; mihi tamen videtur planè conuincens. Respondet autem argumento asserendo, quod coexistentia est duplex extremorum existentia, existere autem modo tempus..& me existere cras, dicit non esse, tempus existere, et me existere, sed tempus existere, et me extiturum esse, antequàm enim veniat dies crastinus, tantùm est, me extiturum esse. Sed contra est euidenter, nam me existere cras per quas entitates verificatur; vel per existentiam meam, et existentiam talis temporis crastini, vel per aliquid aliud. Si secundum hoc aliud est duratio, si primum cõtra est, nam eadem est existentia mea contradistincta à tempore per quam dicor existens hodie, et per quam dicor existẽs cras; idẽtificatur enim existentia mea, cum entitate mea permanente, quæ est eadem; Rursus tempus crastinum est idẽ, vt suppono, siue ego cras existam, siue non existam; ergo per existentiam meam, et existentiam temporis crastini, nõ habetur coexistentia mei, et temporis crastini, si enim cras non durarem, adhuc daretur existentia mea à parte rei, et existentia diei crastinę, et nõ daretur coexistẽtia mei, et diei crastinæ; quid deest, ob quod nõ daretur talis coexistentia? non existentia diei crastinæ, quia datur cras; non existẽtia mea, quia datur à parte rei; quid ergo plus requiritur, vt dicatur coexistere cum die crastina? Dices, vt verificetur me cras existere; sed de hoc inquiro, quid requiritur amplius, vt dicatur verè me cras existere? non enim sufficit me existere hodie, et existere cras tempus crastinum; illud plus, quod requiritur supra meam existentiam, quę est hodie et tempus crastinum, quid est?

Respondebis est me coniungi cum duratione crastina mihi extrinseca, sed de hoc ipso coniungi, inquiro; quid est? vt enim hoc tempus me extrinsecè denominet sibi coniunctum, seu coexistentem cum illo, non sufficit mea existentia qua existo hodie, et aduenientia temporis crastini, nam posset aduenire tempus crastinũ, et nõ denominare me sibi coexistentem, si Deus in fine huius diei me annihilet: ergo ad hoc, vt tempus crastinum adueniat mihi, et me extrinsecè denominet sibi coexistentem, aliquid aliud requiritur præter meam existentiam, et tempus crastinum existens, et de illo semper inquiro, quid est?

Confirmatur hoc idem, et explicatur apertissimè, nam possum hodie Deum rogare, vt me cras conseruet; in hac rogatione quid peto

petò à Deo? Non quidem quod existat dies crastinus, & quod detur mea existentia, quam habeo independenter à precibus, & essentialiter præsupponitur, vt causa efficiens ipsarum precum; ergo aliquid aliud peto, præter hæc duo, imo maioris clarietatis gratia ponamus, quod Deus mihi reuelet se positurum diem crastinum, præscindendo à meis precibus; adhuc posito hoc, possum rogare Deum, vt me conseruet die crastina. Certè tunc non peterem diem crastinum, & meam existentiam, vtraque enim est independens à meis precibus; sed peto me coexistere cum die crastina, hoc est modum illum durationis per quem formaliter duro cras; aliter nihil peterem, nec vllum esset beneficium Dei, quod enim ponat entitatem crastini temporis, non est beneficium meum, neq; est beneficium, quod ponat meam existentiam, quia iam habeo, ergo nullũ facit beneficium; vt enim mea existentia denominetur posita cras tini, alterum existentia mea, quæ duo entia sunt contradistincta, duo entia per te requiruntur, alterum est existentia temporis crastini, alterum existentia mea, quæ duo entia sunt contradistincta, peto iã de isto secũdo ente, quod appellatur existentia mea, est nec hæc existentia, prout contradistincta ab entitate temporis crastini, & hodierni, idem prorsus ens, quod est hodie, & cõflat per te tamquam vna pars denominationem, per quam dicor existens hodie à Si non est idem, ergo succedsiuè mutatur mea existentia, adeoq. hodie habeo aliam entitatem animę, quam habebam heri, quod est absurdum, si est idem per quid habet, vt denominetur existẽs cras, non per existentiam temporis crastini, quia posset hæc dari absque eo, quod mea existentia denominaretur existens in tali tempore crastino, ergo aliquis modus debet dari, per quem supradditum denominetur existens in tali tempore, ex cuius modi defectu mea entitas non existeret, cras quamuis existeret hodie per modum hodiernum.

Hoc totum confirmatur ex comparatione creaturæ cum Deo, quam P. Ouiedus putat facere pro sua sententia num. 8. Quia enim Deus essentialiter est indefectibilis, vt dicatur coexistens cũ hoc, vel illo tempore sufficit existentia temporis; habet enim ex parte sua id, quod requiritur, vt possit adueniente extrinseco denominari existens hodie vel cras; at verò entitas creaturæ, quæ est de facto possibilis, & potest non esse, non habet per suam entitatẽ quantum requiritur, vt denominetur coexistens cum tempore extrinseco, vt denominetur inquam extrinsecè ab ipso tempore extrinseco; ad hoc enim, vt tempus existens tamquam quid extrinsecum

deno-

denominet meam existentiam, debet aliquo modo eam extrinsecè affiere, & cum ea extrinsecè connecti, quare vel debet habere ex sua entitate non posse existere sine mea existentia, quod certè non habet etiam per Aduersarios, vel debet mea existentia habere de se, vt connectatur cum eo tempore. quod tamen non habet, quia potest mea existentia verè esse à parte rei, et non cum hoc tempore, etiam si ipsum existat. At diuina existentia habet de se, vt nó possit existere hoc tempus, quin ipsa existat cum eo, et ipsum tempus essentialiter connectitur cum diuina existentia; quare nulla debet tolli indifferentia posito hoc tempore essentialiter connexo, cum Deo, vt Deus denominetur coexistens cum hoc tempore, licèt ergo Deus hodie non coexistat cum tempore crastino, habet tamen præscindendo ab omni tempore perseuerantiam in esse, quam explicamus per essentialem alligationem, vt coexistat cum quolibet tempore possibili, non dicitur autem hodie existere cras, quia hæc denominatio importat coexistentiam temporis hodierni cum tempore crastino, quod implicat; si ergo etiam essentia creaturæ esset talis, vt haberet in se necessitatem essentialem, vt connectatur cum hoc tempore, posito quod illud existat, nulla sanè requireretur duratio distincta, sed creatura esset essentialiter indefectibilis, sicuti Deus, quoad hoc.

Probatur secundò, Creet Deus hodie Angelũ, certè verificaretur, quod heri Angelus non fuit, peto iam, quid plus entitatis feciſſet Deus supra eas existentias, quas de facto fecit. si creasset heri Angelum? Certè existentiam temporis hesterni fecit, existentia Angeli secundum se est hodie, cur ergo per denominationem extrinsecam non denominatur extitisse heri, quid defuit entitatis contradistinctæ à tempore hesterno, et hodierno? Si nihil defuit entitatis certè Angelus extitit heri, quod est falsum; si aliquid defuit, certè fuit existentia Angeli contradistincta à tempore, ergo existentia Angeli contradistincta à tempore, si ea fuisset heri fuisset alia, quã illa, quæ est hodie contradistincta etiam à tẽpore hodierno. Consequentia patet, nam id quod defuit, non fuit, existentia tẽporis hesterni, ergo fuit altera pars concreti, nempe existentia Angeli, cõtradistincta à tempore hesterno, semper enim existentia Angeli, est talis substantia, et adæquatè contradistinguitur à tempore, cum quo coexistit, quod per Aduersarios est motus, vel aliquod accidentale; Probatur vltima consequentia; nam si Deus posuisset illam existentiam Angeli, contradistinctam à tempore hester-

hesterno, denominaretur existens heri, adeoque id, quod defuit, ne sit vera hæc denominatio, Angelus extitit heri, fuit existentia Angeli contradistincta ab hesterno tempore; sed ista existentia non defuit, nam si est hodie etiam prorsùs contradistincta à tempore hodierno est indifferens, vt esset heri, quid ergo defuit, quod non fuerit heri? Per me defuit duratio hesterna per quam formaliter duraſſet heri. Sed hoc ipsum clariùs patebit sequenti articulo.

Probatur tertio, quia si Deus nihil creauisset, nisi Angelum, certè hìc Angelus duraret hodie nulla facta mutatione per te in rerũ natura, per quid ergo haberetur hæc denominatio Angelus durat hodie, quæ certè heri dici non poterat, nam vel hæc denominatio noua, est positiua, vel negatiua, si positiua habeo intentum, quia aliquid aliud est productum præter Angelum, si est negatiua ergo aliqua est negatio de nouo, quæ prius non erat; non potest autem esse negatio de nouo, nisi aliquid positiuum corrumpatur, vel non ponatur, vt per se patet, hoc autem positiuum, quod non ponereturesset talis duratio temporis.

Dices hanc denominationem esse ex priuatione temporis hodierni, quæ priuatio solùm hodie est, nam heri non erat possibile tempus hodiernum, & consequenter, neque heri existebat priuatio temporis hodierni. Sed contra est, quia entitas Angeli posset existere absque eo, quod simul existeret cum priuatione temporis hodierni, ergo hæc denominatio, Angelus existit simul cum priuatione temporis hodierni, est aliquid aliud, quam existere simpliciter Angelum, & existere priuationem temporis hodierni; hoc autem aliquid aliud, est duratio, quam probamus.

Pro maiori explicatione huius rei, & subsequentis doctrinæ Aduertendum est valdè differre has duas propositiones. Prima est heri possibile erat tempus hodiernũ. Secũda est, heri possibile erat tempus hodiernum existens heri. Secunda enim propositio est falsa, quia affirmatur possibilitas illarum rerum quæ implicant esse simul, nempè simultas temporis hodierni cum hesterno, & sicuti istæ duæ res actuales, nempe ista duo tempora simul implicant, ita potentia ad hæc duo tempora simul est implicans. & sic negatur, secunda propositio; prima autem propositio facit diuersum sensũ, solùm enim affirmat, quod etiam heri poterat fieri propositio vera de tempore hodierno. Poterat enim dici si ponatur tempus hodiernum, non sequuntur duo contradictoria; verbum autem, si ponatur, debet præscindere à statu, hoc est debet præscindere à quolibet tẽpore particulari, quare æquiualet propositioni particulari

determinatæ; ac si dicas si ponatur tale tempus pro aliqua parte æternitatis non sequuntur duo contradictoria, hęc autem propositio semper fuit vera in hoc sensu præsoindente à statu verbi, quia tamen sumus assueti accipere verbum cum statu, hoc est prout significat illud tempus, in quo loquimur facilè oritur æquiuocatio. Hinc infero tempus imaginarium actu nihil esse positiuum, sicut diximus de spatio imaginario, sed solùm esse priuatiõnes durationum possibilium, si enim hodie nihil esset creatum, tamen esset possibilis duratio aliqua, cuius negatio appellatur tempus imaginarium hodiernum.

Impugnat P. Ouied. durationem distinctam, quia Deus posset post hunc diem, statim in me producere modum durationis anni futuri; imo etiam producere duos modos diuersarũ durationum, & similia. Verùm hæc impugnatio procedit, quod non fecerit adæquatum conceptum ipsius durationis, vt mox videbimus; prius tamen retorquetur argumentum contra ipsum, nam posset Deus ad finem temporis diurni producere simul duo tempora diuersa, & ita possem existere statim, post hunc diem anno futuro, & simul existere hodie, & cras etiam per denominationem exrrinsecam, vt vult hìc auctor. Quidquid autem poterit dicere pro solutione sui argumenti, optimè applicabitur etiam meæ durationi distinctæ.

Respondet Auctor huic argumento supponendo partes motus, quibus tempus mensuratur esse de sua natura indifferentes, vt producantur heri, vel hodie, prius, & posterius; vndè me durare hodie non est coexistere his partibus motus, quibus potuissem coexistere multò prius, & multò post, sed consistit in hoc, quod istæ partes temporis, quibus coexisto habeãt ordinem prioris respectu partium temporis, quod appellatur crastinum, in qua coordinatione partium priorum, & posteriorum ponit diuersitatem durationum. Hæc tota doctrina solis vocibus sine rebus distinguit durationes; nam si per te partes temporis sunt indifferentes, vt vna sit prior alia, quid est hãc esse priorem, hanc esso posteriorem? non est vtramque existere, & multò minus vtramque esse possibilem, nam per te vtraque potuisset existere, itaut ea, quæ fuit prior, fuisset posterior, in tali casu, qnid plus, aut minus feciſſet Deus ad hoc, vt hęc potius existeret prior, quàm alia? Confirmatur, quia si Deus determinet facere duas tales partes temporis, restat adhuc indifferens, vt faciat hanc potius priorem, quàm aliam; quando ergo se determinat, & vult facere hanc prius, & hanc posterius, quid vult de nouo, quod non dum volebat per decretum antecedens?

dices

dices vult illũ ordinẽ. Sed ille ordo est ne quid reale, an mera vox? Si est quid reale. Certè non est vtriusque partis existentia, quæ iam fuit sufficienter volita per decretũ antecedens, & quæ fuisset prorsus eadem, etiam si Deus voluisset nõ hanc, sed illam alteram prorcedere; quid ergo est hoc reale volitum à Deo? vereor ne sit merum nomen sinè re.

Hinc apparet esse prorsus necessarium ponere quoddam genus entis essentialiter successiui, & essentialiter coordinati, quod appellamus durationem, sicut enim datur spatium reale in ratione loci, sic debet dari spatium reale in ratione temporis; partes autem huius spatij temporarij debent esse tales, vt per se ipsas sint hoc spatium, adeoque sint determinatę, vt sint hoc spatium temporarium, quarè hanc talem entitatem appellamus durationem hodiernam siue hodie, hanc aliam, crastinam, siue eras, hæc autem hodierna, vt sit hodie, non debet constitui per vllam denominationem extrinsecam, sed per suammet entitatem; neque debet dici alligari huic spatio temporis, quia spatium ipsum temporis non est aliquid ab ipsis durationibus diuersum, & siue actu præcesserit hic dies hodiernus, siue non, hæc entitas diei crastini eadem est ex se ipsa, habens essentialiter esse hanc diem. Necessitas talis entis patet ex dictis, quid est enim hæc dies, & hoc spatiũ temporarium? nonest motus prout alligatus huic spatio imaginario; nam in primis, quid est spatium temporis imaginarium? Si est chymæra, non potest hic motus esse hic dies, quia est alligatus chymeræ, si est aliquid aliud reale, vel est positiuum, vel negatiuum, si primum ergo debet necessariò de facto dari tale genus entis, quod per suam entitatem sit hoc spatium reale temporis, si est quid negatiuum, vt verè puto esse spatium temporis imaginarium, hoc negatio se ipsa, & non per aliud est hoc spatium ergo forma positiua, quam negat etiam se ipsa, & non per aliud debet esse hoc spatium reale tẽporis; si enim ipsa esset, vel nõ esset hoc reale spatium, etiam ipsius negatio esset de se indifferens, vt esset, vel non esset hoc spatium imaginarium, seu negatiuum, de quo infra,

Ad difficultatem supra positam ex his facilis est responsio, nempè Deum non posse post hunc diem, immediatè ponere annum futurum, nam ipsa vox, post hunc diem, dicit talem durationem, quã appellamus tale spatium temporis, vox enim illa, post, aliquid significat determinatum in ratione spatij, tam temporarij quàm localis, hoc autem determinatum reale est talis duratio, quæ essentialiter est tale spatium, nec de potentia Dei absoluta potest non

esse tale spatiũ per suam entitatem, quando ergo dicis ponat Deus post hunc diem annum futurum, dicis implicantiam in terminis, dicis enim ponat Deus tale spatium temporis in tali diuerso spatio, quod implicat, spatia enim diuersa, vt diximus in vbicationibus fusè, habent essentialiter, vt vnum distet ab alio, adeoque non potest poni in alio, videantur, quæ ibi dicta sunt.

Obijcies secundò. Debet pro priori intelligi existentia rei durantis, quam duratio, sed pro eo priori debet intelligi existens nũc ergo antecedenter ad durationem habetur durare nunc.

Respondeo primò, retorquendo argumentum; Cœlum est causa materialis sui motus, per cuius coexistentiam durat per te, ergo debet intelligi pro priori ad ipsum motum existens nunc; ergo antecedenter ad partes motus habetur existere nunc.

Respondeo secundò, in mea sententia, vt mox probabo, durationem non distingui ab actione, per quam res ponitur, seu conseruatur à parte rei. Cum ergo existentia rei non sit vllo modo prior actione, per quam fit, vt diximus agentes de actione, neque debebit esse prior ipsa duratione, sed demus aduersarijs existentiam rei præcedere pro priori naturæ ante durationem in genere causæ materialis, nego pro eo priori debere intelligi existere nũc, sed intelligitur secundum suam entitatem indifferens ad quamcumq. durationem, sicut materia prima secundum se accepta est indifferens ad quamlibet vbicationem; determinatur autem ab agente, vt producatur hæc potius duratio, quàm alia, agens autẽ si est creatũ nõ debet præintelligi existẽs nunc per suammet durationem, potest enim duratio præcedens concurrere, vt conditio determinans ad durationem subsequentem. Quod si Deus solo rem conseruet determinatur à sua æternitate, ac voluntate ad ponendam durationẽ, & tamquam à conditione à duratione eiusdem rei antecedente, & negatione causæ potentis in actu primo proximo destruere rem quã conseruat. Si verò Deus primo creet rem independenter à causis secundis, est liber, vt ponat existentiã per quamcumq. durationem voluerit.

AR-

ARTICVLVS II.

Quarum rerum dentur negationes, quomodo durent, & an sint actu infinitæ.

PRima pars huius articuli parum ab auctoribus agitatur est tamen valdè necessaria ad rerum naturas, & existentias benè percipiendas. Quærimus ergo, an quandores aliqua non existit detur duplex negatio, altera durationis illius rei, & altera eiusdem rei, an solum vna? verbi gratia hodie non existit alius mundus, similiter, neq. existit Antichristus, dantur ne duæ priuationes, altera durationis Antichristi, & altera ipsius substantiæ Antichristi, an solùm dantur negationes ipsarum durationum?

Dico primò, negatio rei contradistinctæ à duratione sua datur si res numquam existat in æternitate Dei, si verò aliquãdo existit, non datur eius negatio contradistincta, & ita non datur simpliciter negatio Antichristi, datur verò negatio Angeli merè possibilis, qui nunquam existet.

Probatur primò conclusio, nam realis negatio rei secundum se acceptæ, vt contradistincta à sua duratione est illud fundamentum verificatiuum propositionis contradictoriæ de existentia eiusdem rei, vt diximus agentes de negationibus in logicis, sed hoc fundamentum datur quidem, si res nunquam existat, non datur si res aliquando existat, ergo datur negatio rei, si res nunquam existat, nõ datur si res aliquando existat. Minor probatur; nam propositio affirmatiua, quæ potest formari de existentia rei secundum se, verbi gratia de existentia Angeli substantiali, est hæc. Hic Angelus est existens, ita tamen, vt verbum est, præscindat ab omni statu, si enim inuolueret statum, inuolueret durationem, adeoq. non affirmaretur mera, & præcisa existentia substãtialis Angeli, sed aliquid aliud. Sensus ergo est, Angelus est existens in æternitate Dei, exigens essentialiter aliquam durationem, sicuti est essentialiter exigens aliquam dependentiam per quam existat, ad hoc autem vt intelligatur exigens aliquid, non debet intelligi pro priori, quia multa exigimus nobis præcedentia pro priori, exigere enim, est essentialiter connecti cum aliquo; vt autem verificetur hæc propositio, Angelus est existens in æternitate Dei, sufficit, vt existat in aliqua temporis mensura, quæcumq. illa sit; adeoque propositio cum sit in materia contingenti æquiualet particulari affirmatiuę; ac si dicas

cas Angelus est aliquando, seu in aliquo tempore existens, ergo ipsius contradictoria est vniuersalis negatiua, nempe Angelus in nullo tempore existit, cuius verificatiuum est negatio existentię Angeli secundum se, ergo vt detur talis negatio, seu verificatiū talis propositionis negatiuæ, necesse est, vt Angelus nunquam existat, & sic de altero mundo possibili, qui nunquam existet, datur, vere negatio à parte rei.

Contra verò, quia Antichristus existit in æternitate Dei, pro aliqua temporis differentia, quęcumque ea sit, non potest verificari propositio vniuersalis negatiua, Antichristus in nullo tempore existit, sed solùm particularis negatiua, nempè Antichristus nō existit in aliqua temporis differentia; duæ enim propositiones particulares altera negatiua, altera affirmatiua, non sunt cōtradictoriæ, & possunt ambæ esse veræ, vt aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus. Non potest ergo dari negatio, quæ est verificatiuū propositionis, quæ sit contradictoria huic, Angelus existit in æternitate Dei exigens aliquam durationem, nisi verificetur Angelus non existit in æternitate Dei, quæ propositio verificari non potest nisi faciat sensum vniuersalem, nempe, quod nunquam existat. Posito ergo quod existat Angelus in æternitate Dei, quandocumque existat, implicat dari eius negationem, quæ deberet verificare propositionem vniuersalem negatiuam, vt diximus.

Probatur secundò, conclusio, nam si darentur duæ priuationes hodie, altera durationis Antichristi, altera ipsius Antichristi substantialiter accepti, hæc secunda negatio, vel negaret substantiam Antichristi existentem vt sic, vel existentem hodie, si secundum, ergo hęc negatio opponeretur huic concreto accidentali, nempe Antichristo habenti durationem hodiernam, & non opponeretur præcisè substantiæ Antichristi per se acceptæ, adeoque non daretur negatio existentiæ substantialis Antichristi, quod intendo probare. Si primum falsum esset dari hanc negationem, quia terminus ab ea negatus, nempe existentia substantialis Antichristi præscindens ab hoc, vel illo tēpore determinato, verè daretur in æternitate Dei, ergo non daretur talis negatio, nisi eius terminus nunquam daretur in æternitate Dei.

Probatur tertiò, quia ipsa negatio substantiæ Antichristi, vt cōtradistincta à negatione durationis eiusdem opponitur substantiæ Antichristi existentis, siue ea substantia existat hodie, siuè cras; negatio enim hæc, si per se hodie existat non opponitur magis substantiæ Antichristi si hodie existat, quam si non existat; illa enim con-

Digitized by Google

conditio, quod hodie existat Antichristus, nō diuersificat eius substantiam, quæ existat cras, sed solùm ipsi superaddit durationem hodiernam, ergo eadem esset oppositio inter hanc negationem, & substantiæ Antichristi, & Antichristum existentem hodie, & eundem existentem cras; sicuti eadem est oppositio inter negationē Petri, & eiusdem substātiæ cum albedine, quàm sine albedine, quia negatio præcisè opposita substantiæ præscindit ab accidentibus; ergo si hęc negatio tolleretur per te si hodie existeret Antichristus, eodem modo tolleretur si eadem existeret cras, vel quocumq; alio tempore, ratio enim cur tolleretur negatio est positio termini prout illi oppositi, sed æquè opponitur illi Antichristus, siue hodie, siuè cras existat, ergo æquè tollitur, siuè hodie, siuè cras existat Antichristus.

Obijcies primò, quando Deus creat Angelum de nouō, tollit eius negationem substantialem, non enim tollitur à se ipsa illa negatio, sed efficienter tollitur à Deo, sed nihil potest tolli, quod non præfuerit, ergo præfuit illa negatio substantialis Angeli.

Respondeo negando maiorem, nam Deus tollit negationem durationis, seu temporis hodierni, ponendo tempus hodiernum, & tamen non præfuit hæc negatio, ante tempus hodiernum, vt infra dicemus; ad hoc ergo vt dicatur Deus tollere aliquam negationem, satis est, quod fuisset ea negatio, nisi Deus aliquid posuisset; quia ergo Deus ponit in sua æternitate substantiam Angeli dādo illi talem durationem tollit simpliciter negationem opppsitam illius substantiæ.

Dices, ergo ante quam crearet Deus Angelum non dabatur eius substantialis negatio, ergo non ponitur de nouo, quia iā erat eius existentia substantialis.

Respondeo negando secundam consequentiam, ad hoc enim, vt existentia ponatur de nouo requiritur, vt antea non extiterit Angelus, non autem requiritur, vt extiterit eius substantialis negatio. Aduertendum est enim diligenter, quod quando loquimur de existentia rei cum statu siuè de præsenti, siuè de præterito, siuè de futuro, seu propositio sit affirmatiua, seu negatiua, nunquam affirmamus, vel negamus eius existentiam, sed ejus existentiam in tali duratione, adeoq. terminus negatus non est existentia secundū se, sed aliquod totum conflatum ex rei existentia, & tali duratione; sicuti cum affirmatur, vel negatur, Petrus est albus, nō affirmatur, vel negatur existentia Petri, sed existentia conflati ex Petro, & albedine ipsi vnita, ad quam verè negandam non debent dari

nega-

negationes Petri,& albedinis vnitæ, sed sufficit negatio albedinis vnitæ; sic,vt negetur verè Angelus existit in hac duratione, quæcumque ea sit,sufficit vt detur negatio illius durationis, & non est necesse, vt detur negatio Angeli secundum se. Itaque hoc ipso, quod negamus aliquam existentiam cum statu, prædicatum negatum non est mera existentia,sed existentia affecta tali duratione, quam status verbi significat.

Objicies secundo, Deus est indifferens ad ponendum, vel non ponendum alium mundum possibilem,sed si daretur negatio alterius mundi secundum se accepti, non esset indifferens, implicat enim,quod possit poni terminus contradictorius istius negationis, qui certè esset mundus,ergo esset,& non esset indifferens.

Respõdeo indifferentiã Dei,esse sicuti est ipsa libertas, nẽpe pro priori ad rem volitam, verbi gratia Deus vult hanc durationem Petri in hoc instanti, in quo ipsam ponit est indifferens ad ponendã,vel non ponendã, habet enim simultatẽ potentiæ ad ponendã, vel non ponendam,non habet verò potentiam simultatis, *hoc est* coniungendi positionem,& non positionem, vt patet. *Similiter* Deus est indifferens ad hæc duo,nempe, vel ponendam existentiã Petri in sua æternitate pro aliqua differentia temporis,vel ponendam semper eius negationem,& ab æterno se determinauit ad alterum ex his.cum ergo diuina æternitas se habeat per modum instantis, semper intelligitur pro priori Deus indifferens ad negationem alterius mundi,vel mundum, & per ipsum exercitium suæ voluntatis intelligitur determinatus ad hanc potius, quàm aliam partem contradictoriã. Quod ergo posita negatione Petri, secundum se,non possit poni Petrus est impotentia consequens,quæ nõ lædit Diuinam libertatem, Deus enim neque in hoc instanti potest coniungere volitionẽ,& nolitionem, quamuis possit alterã liberè ponere.

Dices,Hæc negatio substantiæ Angeli esset indestruibilis, si semel esset, quod videtur repugnare creaturæ,siuè ea sit positiua,siuè negatiua,cum vtraq. debeat esse æquè subiecta Deo.

Respondeo non esse absurdum,sed potius necessarium negationes esse indestruibiles,nam nec negatio durationis potest destrui, nec negatio opposita rebus,quæ non sunt duratio. Ratio est quia destrui negationẽ est formalissimè poni positiuum, formalis enim destructio nõ entis, est ipsa positio entis cõtradictoriè illi oppositi, cum ergo terminus illi oppositus sit existentiã rei in æternitate Dei, pro quauis duratione, hoc ipso, quod ponitur existentia rei

pro

Digitized by Google

pro aliqua duratione, tollitur illius terminus contradictorius, nempe illa negatio, tollitur inquam pro omni tempore differentia, & sic non potuit pro aliqua differentia esse, & pro aliqua tolli, quod videtur sonare vox destrui, illud enim destruitur, quod prius fuit, postea non est.

Vrgebis sequeretur ex hoc nullam rem etiam positiuam posse destrui, nam duratio ipsa non potest destrui, sed solùm potest non poni; ipsa res, quę durat, neque secundùm se potest destrui, quia hoc ipso, quod semel existat, non potest poni eius negatio. Ipsum conflatum ex re, & duratione neq; potest destrui, quia solùm posset destrui per destructionem vnius partis, nempe durationis, sed hæc non potest destrui, ergo nihil simpliciter poterit destrui.

Respõdeo negando sequelam, verbum enim, destrui, nõ significat rem nunquam durare, sed conflatur eius significatio ex duabus partibus altera positiua, altera negatiua; positiua dicit rem durasse tempore antecedenti, negatiua dicit negationem durationis subsequentis. Ad hoc ergo, vt conflatum ex duratione, & re durante dicatur destrui, non debet accipi, quod eadem duratio, qua durauit destruatur, neque quod vlla duratio destruatur, sed quòd aliqua duratio non ponatur. Ipsum autem non poni durationem subsequentem illi, quæ posita est, est formalis destructio rei, quæ prius durauit, & nunc cessat durare. Durationes autem ipsæ, licet possint nõ poni, non tamen possunt destrui, quia non habent aliquid à se distinctum, per quod prius durauerint, & postea per non positionem illius cessent durare, sed omninò, vel existunt, vel non existunt.

Obijcies tertiò, quando Deus, v. g. annihilat substantiam panis, non solùm cessat ponere durationem illius substantiæ, sed ipsam redigit in nihilum, ponendo veram negationem ipsius substantiæ, ergo datur negatio rei, etiam si aliquando existat.

Respondeo annihilare rem, non est facere, vt ipsa non sit in diuina æternitate, hoc autem esset ponere eius negationem, vt probaui; sed annihilare panem est non ponere durationem substantiæ panis, & illius materiæ, quæ prius durabat, & hoc significat redigere rem in nihilum, nempe non amplius ponere eius conseruationem, quod sufficienter verificatur per negationem durationis subsequentis, nec aliud requirit, vt explicauimus.

Obijcies quartò, Aristotelem, qui in primo Physicorum ponit priuationem formæ tamquàm principium, ergo verè datur priuatio formæ, antequam producatur.

Respondeo, Aristotelem nihil distinguere ibi, quid intelligat pro negatione formæ, adeoq. optimè intelligendus est de priuatione formæ vnitæ materiæ pro tempore antecedenti. Priuatio autem huius conflati, nempe formæ vnitæ cum materia tempore antecedenti, non est negatio præcisè formæ, neq. negatio præcisè vnionis, sed est negatio talis durationis vnionis, per quam esset ea forma vnita materiæ tali tempore. Quarè ex nostra doctrina nihil inferri potest contra intentum Aristotelis, qui solùm volebat dari tertiũ principium, vt terminum à quo, nempe negationem formæ vnitæ, quæ opponitur formæ vnitæ cum materia tempore antecedenti, quod totum à nobis asseritur.

Obijcies quintò, res positiua, v.g. Angelus ex eo, quod existat in æternitate Dei, non habet per hoc semper durare, ergo etiam eius priuatio ex eo, quod existat non habebit semper durare, & cõsequenter poterit aliquando durare, aliquando nõ durare, sed durare rem illi oppositam.

Respondeo negando consequentiam, nam ratio contradictorij importat hoc, vt si alterum æquiualet particulari affirmatiuo, alterum non æquiualeat etiam particulari negatiuo, sed vniuersali negatiuo. Cum ergo res se habeat, vt patticulare affirmatiuum, per hoc, quòd coexistat diuinæ æternitati, verificat enim propositionem, qua dicitur aliquando existit; contradictorium ipsius hoc est negatio debet verificare propositionem vniuersalem negatiuam, ideoque non potest aliquando existere, aliquando non existere.

Pro secunda parte articuli, dico secundò, negationes rerum durare formaliter per simplices priuationes durationum, quæ sunt tempus imaginarium, v.g. durat hodie negatio Antichristi per priuationem durationis hodiernæ Antichristi.

Probatur, quia esse hodie negationem Antichristi est non esse durationem hodiernam Antichristi, hoc est, quòd hodie non existat Antichristus; & quia Antichristus existens hodie, est quoddam conflatum ex duplici entitate, nempe ex existentia Antichristi, & duratione hodierna, ad hoc, vt verificetur hoc non dari, sufficit ne detur vna pars, nempe ne detur duratio, quare formaliter hodie non existere Antichristum, habetur per negationem durationis hodiernæ Antichristi.

Dices etiam heri non erat duratio hodierna Antichristi, quia non durabat hodie, & tamen heri duratio illa non durabat hodie, sed durabat, per quid ergo durabat heris. Sed contra est, quia tem-

Digitized by Google

temporibus non possunt accipi hodie, heri, nunc, tunc, & similes voces, nisi accipiatur aliqua duratio saltem possibilis, sicuti proportionaliter diximus de loco per suas voces, hic ibi, & similes sèper importari aliquod vbi saltem possibile: quare hodie, siue realem, siue imaginarium importat aliquid determinatum, nempe diurationem positiuam hodiernam, vel negationem illius: quando ergo dicis, heri non erat duratio hodierna Antichristi, vt verificetur propositio debet dari non quidem negatio solius prædicati, sed negatio totius conflati, ex prædicato, & subiecto, vt sæpius dictum est, hoc autem totum non esset sola duratio hodierna, sed hodierna coexistens cum hesterna, quod totum est implicans, sicuti quando dicis in Paulo non est equus, non requiritur ad veritatem propositionis negatio equi, sed negatio equi in Paulo; equus autem in Paulo per identitatem est implicans. Hinc sequitur, quod solæ priuatio durationis hodiernæ, non posset accipi, nec esse simul cum entitate alterius durationis, seu negationis ab ipsa distantis, sed se ipsa essentialiter solùm habet esse tale spatium temporis, & se ipsa habet distare à quacumq; alia duratione, & negatione, quæ non sit hodierna.

Dices secundò. Ergo potest dari noua denominatio vera sinè productione, vel destructione vllius entitatis. Probatur hæc consequentia, nam si nihil esset à parte rei præter Deum, posset dici, negatio hodierna durat hodie, eadem autem negatio durationis hodiernæ non potest dici cras durat, & tamen cras nulla facta esset mutatio.

Respondeo negando consequentiam, nam cras fit aliqua mutatio, eo quod cras ponatur noua negatio, quæ hodie non est; dupliciter autem potest poni aliquid de nouo: primò ex eo, quod prius non fuerit, sed potuerit esse: sic v. g ponitur hodie Petrus de nouo, qui tamen poterat etiam prius esse. Secùdò potest aliquid poni de nouo, quod tamen prius esse non poterat, & tales sunt durationes, vnaquæque enim duratio ita ponitur, vt prius esse non potuerit; quare in durationibus idem est poni, & primò poni; habent enim essentialiter primo poni, quia implicat prius fuisse. Idem dico de priuationibus ipsarum durationum, vnaquæque enim habet essentialiter primo poni, quia implicat, quod prius fuerit. Dicitur autem poni, quia non ponitur duratio illi opposita; vnde Deus exercet aliquam libertatem in ponenda, v. g. negatione durationis hodiernæ Antichristi, quia Deus hodie posset ponere, vel durationem hodiernam, vel negationem ipsius, quam libertatem

heri non exercebat circa durationem hodiernam, & negationem ipsius, sed exercebat circa hesternam.

Dices tertiò, si hodie ponitur primo negatio durationis hodiernæ Antichristi, heri non erat posita talis negatio, ergo heri dabatur contradictorium ipsius, sed contradictorium ipsius, est duratio hodierna, ergo heri dabatur duratio hodierna, quod est absurdum.

Sed cõtra est, quia ad hoc, vt accipias cõtradictoriũ huius negationis, debes accipere durationẽ hodiernã, non autẽ durationẽ hodiernã existẽtẽ heri, quæ est aliquid chymæricũ; si ergo accipis pro contradictorio negationẽ hodiernã, nõ potes illã accipere nisi hodie, quare ad argumentũ in forma dico, quod quoties non existit vnus terminus contradictorius, debet existere alius, si vterque terminus possibilis est, vt tunc existat, vt esset Petrus durans heri, vel Petrus non durans heri, qui duo termini possunt verificari ob indifferentiam Petri cum qualibet duratione, si autem neuter est possibilis, ad hoc, vt neuter sit, verificatur per negationem chymeræ: quando autẽ possibile est, vt vterq; existat, verum est, quod si nõ datur vnus, datur alter. In casu nostro nõ poterat existere heri, nec duratio hodierna, nec negatio ipsius, quare verificatur heri, quod neq. hæc, neq. illa existat per negationẽ chymeræ; ratio à priori huius doctrinæ est, quia hoc ipso, quod accipis heri durationẽ hodiernam, seu negationem ipsius, licet videaris accipere veram durationem hodiernam, seu veram negationem ipsius, tamen non accipis ipsam, sed accipis conflatum impossibile constans ex ipsa, & duratione hesterna, tanquam ex partibus coexistentibus.

Pro tertia difficultate proposita de infinitate priuationum, dico priuationes actu existẽtes suo modo esse infinitas syncategorematicè.

Probatur conclusio, quia illud est infinitũ syncategorematicũ, de quo toto nõ potest formari propositio vlla, licèt possint accipi plures, & plures collectiones in infinitum; tales sunt negationes, quæ sunt actu, ergo sunt infinitum syncategorematicè; maior fuit probata in tractatu de infinito, implicat enim esse categorematicum, & fieri non posse propositionem collectiuam de ipso. Minor probatur. Nam illa non possunt accipi collectiuè, quæ solùm possunt accipi in ordine ad terminos collectiuè inacceptibiles. ita sunt negationes, quæ sunt actu, ergo nõ sũt collectiuè acceptibiles. Maior patet, quia si nõ possunt accipi sinè terminis, & termini nõ possunt accipi collectiuè, neq. illæ poterũt accipi collectiuè. Minor probatur nam.

nam negationes non possunt accipi, neque concipi, nisi in ordine ad suos termiuos negatos, implicat enim concipere negationem ignis, nisi in ordine ad ipsum ignem, & sic de ceteris negationibus, cum ergo ipsarum termini, qui sunt entia possibilia non possint accipi collectiuè, vt probauimus, negantes posse dari infinitam categorematicè, neq. ipsæ negationes poterunt accipi collectiuè.

Dices primò Deus liberè posuit has negationes, quæ sunt de facto, ergo eas distinctè accipit, quia per ipsam determinationem ponendi illas, & non alias, collectiuè accipit.

Respondeo, quod Deus accipit distinctè singulas, & singulas determinat, nō autē determinat collectionē omniū, quia hæc collectio implicat, cū termini ipsarū nō possint collectiuè accipi. Actualitas autè singularū negationū non est sufficiens, vt possint omnes accipi collectiuè, quia vt fusè explicauimus in quæstione de infinito, toties actualitas sufficit, quoties res, quæ sunt actu non sunt essentialiter in ordine ad aliquem terminum essentialiter syncategorematicū, sicuti sunt negationes, quæ non possunt concipi nisi in ordine ad res negatas, nec vllum habent peculiarem conceptum, prescindendo ab his terminis, videantur, quæ ibi diximus.

Dices secundò, si aliquid successiuum semper fuisset, fuisset ab æterno, & esset infinitum, sed tale fuit tempus imaginarium hoc est negatio durationis temporariæ, ergo fuit ab æterno, & infinitum successiuum categorematicum.

Respondeo distinguo maiorem, id, quod semper fuit acceptibile per modum vnius, fuit successiuè infinitum categorematicum concedo, quod sēper fuit acceptibile per plures, & plures collectiones semper fuitas, sed maiores, & maiores in infinitum est infinitum categorematicū, nego, & in hoc secundo sensu dico fuisse semper tempus imaginarium, & negatur esse infinitum categorematicum. Solùm ergo conceditur esse infinitum syncategorematicum. Cum enim Deus ab æterno non habuerit potentiam ponēdi tempus ab æterno, vt suppono, quia erat chymæra, solùm habebat potentiam ponendi maius, & maius tempus reale ante hunc diem, sed semper finitū, vndè debebat eius potentia determinari à sua voluntate, vt poneret tale tēpus potius, quā aliud maius ipso, consequēter posuit negationē illius temporis, quod determinauit nō ponere, & possibile erat, vt poneretur: hæc autē negatio est essentialiter quid indeterminatū, sicuti est indeterminatū tēpus, quod liberè voluit nō ponere nō est autē absurdum, quod sicuti actus nolitiuus Dei, quo noluit aliud tempus reale ponere, versatur circa obiectum essentialiter

tialiter syncategorematicum, & indeterminatum, sic etiam actus quo voluit ponere negationem illius temporis, versatur circa aliquod syncategorematicum; idem quippe est actus, quo noluit ponere illa tempora possibilia, ac actus quo voluit ponere negationē illorum, nolitioni enim diuinæ à parte rei correspondet negatio rei nolitæ, quare id, quod ponitur per actum nolitionis non habet veram efficientiam, sed solum cessationem veræ efficientiæ, adeoq; non est absurdum, quod quamuis existat suo modo, sit quid essentialiter indeterminatum, & inacceptibile per modum vnius, atque eadem responsio valet circa negationes vbiationum, quod nempe sint syncategorematicè solùm infinitæ, quamuis de qualibet possit dici actu existere abusiuè.

Dices tertiò potest negatio pendere, vel à causa secunda; vel à solo Deo, ver. gr. negatio luminis in hoc instanti, in hac aula, potest prouenire ab impedimento interposito inter solem, & hanc aulā, vel etiam si nullum esset impedimentum posset Deus non concurrere cum sole ad lumen producendum, in vtroque casu negatio dependentiæ luminis à sole daretur, sed in vno casu causata ab vna causa, in altero causata ab altera, ergo debet dari actio positiua, per quam potius penderet ab hac, quàm ab alia causa; & sic darentur actu infinitæ actiones positiuæ, & non solùm infinitæ, negationes.

Respondent aliqui docti recentiores ad hanc difficultatem esse diuersam negationem, eam, quæ pendet ab vna causa, quàm si pendeat ab alia, & sic semper se ipsa, vel certè per modum negatiuum diuersificari. Displicet hæc responsio primò, quia ponit prædicatum positiuum identificatum cum negationibus, per quod vna diuersificatur ab alia, nempe essentialiter respicere hanc causam, quod sonat aliquid positiuum. Conceptus autem, quem habemus de negationibus, est solùm esse verificatiuum cōtradictorij, adeoque si forma positiua est pendere ab hac causa, v.g. lumen, forma negatiua est negatio talis dependentiæ, & nihil aliud.

Neque vrget istantia, quam afferunt, quod non ens diuiditur in negationem, & priuationem, & priuatio per suam entitatem negatiuam, connotat subiectum capax; nam nō ens dupliciter potest connotare ens. Primò ratione termini negati præcisè, & talis connotatio, non est contra rationem non entis, quia illi conuenit, prout est terminus contradictorius enti. quod negat; tale est hoc prædicatum, per quod priuatio respicit subiectum capax priuatio enim est negatio formæ vnitę subiecto capaci, ideo ipsa vnio, quam

negat

negat priuatio, habet per suam positiuam entitatem essentialiter respicere subiectum capax, quod prædicatum non habet vnio in eo casu, quo Deus vniret, v. g. calorem Angelo; quia ergo talis negatio, est contradictariè oppositæ tali vnioni, est diuersa ab alia negatione, quę opponeretur tali vnioni non habenti hoc prædicatum, & sic per hanc differentiam est priuatio, eas enim differentias retinent negationes, quas habent termini negati, neque de se vllum aliud prædicatum habent. Secundo modo, posset non ens respicere aliquod ens, non ratione termini negati, sed ratione sui, & hoc prædicatum non potest illi conuenire, quatenus est non ens, sed prout habet conceptum positiui, quia illi non conuenit vt contradictorio entis positiui. Atquè hoc prædicatum esset dependētia à tali causa, nō enim illi competeret ratione termini negati solum, quippe ratione illius competeret esse negationem dependētiæ luminis à tali causa, seu negationē vnionis luminis à tali causa, quod non dicit pendere à causa A, vel à causa B.

Displicet secundò hæc responsio, quia tollit de medio essèntias negationum; nomine enim negationis intelligimus id, quod verificat alteram propositionem contradictoriarum, nempe negati. uam; Cum ergo termini contradictorij sint tales, vt falsitas vnius, sit veritas alterius, non enim possunt ambo esse falsi, nec veri, hoc ipso, quod non datur lumen vnitum in hoc instanti subiecto, debet dari eius negatio, & hoc ipso, quod non datur eius negatio debet dari lumen vnitum nunc subiecto, sed per aduersarios posset non dari aliqua negatio absque eo, quod daretur vllum positiuū, ergo non opponuntur amplius negationes, enti positiuo. Minor probatur, nam posset non dari per aduersarios hæc priuatio, seu negatio, si ea non penderet ab ista causa, sed ab alia, sed in eo casu nihil daretur positiuum, sed alia negatio alterius speciei, quæ tamē totaliter esset negatio, Ergo posset non dari aliqua negatio absq. eo, quod daretur positiuum, adeoq. non opponerentur contradictoriè ens, & non ens.

Melius ergo respondetur difficultati propositæ, si prius aduertatur non quodlibet, quod aliquam rem non causat, esse causam negationis illius, nā ego nō causo aliū mūdū, et tamē nō dicor causa negationis illius. Dupliciter autē potest aliquid positiuū esse causa proxima negationis. Primo, si sit causa potens proximè, & adequatè in actu primo alicuius positiui, & tamē illud positiuū nō ponit, quòd iolū competit causis liberis; tunc autē si non ponūt positiuum, per hoc ipsum ponunt negationem actionis illius positiui: sic Deus liberè

berè non ponens hæc positiua in hoc instanti, ponit negationes actuum, ac durationum talium creaturarum; homo autem, & Angelus ponunt in se ipsis negationem volitionis, vel nolitionis, ponendo actum positiuum nolitionis, vel volitionis, quibus essentialiter adnectitur negatio alicuius actus. sic etiam ponunt negationem motus in se ipsis, vel alijs rebus, quas possent mouere, quia ponendo nolitionem motus, sequitur ad eam, negatio motus &c. Secundò potest aliquid esse causa negationis, eo quod sit impedimentum causæ alioquin proximè potentis ponere aliquem effectū, sic nubes interposita inter solem, & terram, est causa negationis luminis in terra, quia impedit solem, ne producat tale lumen.

Ex his duobus modis proximè causandi negationem oritur modus causandi illam remotè, nempe non ponendo causam proximā rei positiuæ, quam negat negatio, ver gr. nunc datur negatio ignis existētis in materia ligni, si petatur de causa secunda proxima positiua, nulla datur, quia, vt suppono, non datur vlla causa applicata ligno, quæ ob impedimentum nō operetur, sed datur negatio causæ potentis applicatæ, quare immediata causa negationis ignis vniti cum hac materia, est negatio causæ applicatæ, hæc autem negatio causę applicatæ prouenit à negatione causæ applicantis, & hæc ab alia negatione causæ applicantis applicantem, & ita proceditur, donec deueniatur ad causam aliquam liberam, vel sit creatura, quę liberè, noluit applicare, vel sit Deus, qui liberè noluit talem ordinem rerum, in quo facta fuisset applicatio.

His ita explicatis dico dependentiam negationis à causa sua haberi per denominationem partem desumptam ab ipsa negatione existente, partim ab existentia causæ suæ, quomodocumque sit causa modo explicato. Exemplis res explicabitur. Sit oppositā tabula soli; datur negatio luminis dependentis à sole, hæc negatio eadem intrinsecè esset, etiam si sol nunc esset destructus, vel non fuisset creatus à Deo. De facto tamen causatur ab ea tabula sic interposita inter solem, & hunc aërem, qui non illuminatur, & simul à negatione vbicationis solis in alio loco, in quo posset naturaliter hoc pauimentum illuminare. Nam negatio actionis, qua hìc, & nūc procederet lumen à sole essentialiter pendet à negatione solis debitè applicati, & non impediti; negatio autem illius totius, nempe solis debitè applicati, & non impediti in casu nostro, est aliquid positiuum, nēpe tabula ita collocata ante solem, qua formaliter redditur sol naturaliter impeditus; implicat enim contradictionem, quod sit tabula sic collocata ante solem, quin sol sit naturaliter impe-

Digitized by Google

impeditus; ergo si simul detur negatio miraculi, qua sol applicetus huic aëri, quæ negatio immediatè pendet à nolitione diuina, habetur essentialis connexio inter tabulam ita existentem respectu solis simul cum hac negatione miraculi, & negationem actionis naturalis, per quam lumen penderet hìc, & nunc ab hoc sole. Rursus si sol illuminaret hunc aërem per actionem A, essentialiter nunc durantem, adhuc darentur negationes aliarum durationum possibilium, per quas etiam hìc, & nunc posset etiam hoc idem lumen pendere ab hoc sole. Dico has negationes immediatè pendere à nolitione diuina, qua noluit illas actiones possibiles hìc, & nũc, & voluit hanc: quod si sol non esset creatus darentur etiam eędem negationes actionum, quibus penderet hìc, & nunc, hoc lumen à sole, sed in tali casu immediatè causa harum negationum esset negatio solis hic, & nunc existentis, hoc ipso enim, quod sol hìc, & nunc non existit, non poterat neque de potentia Dei absoluta dari vlla actio solis in lumẽ, quare ipsa negatio solis existentis hic, & nunc essentialiter exigit de conseqnenti negationem omnium actionum possibilium hìc, & nunc dependẽtium essentialiter à se. Quod si quæras de causa hic, & nunc negationis solis hìc, & nunc existentis, erit negatio omnium causarum, à quibus potuisset poni sol hìc, & nunc; & sic procedendo deuenires ad liberam voluntatem Dei, qui posuit hunc ordinem rerum, et noluit alium ordinem, in quo fuissent solis causæ hìc, et nunc applicati huic aëri, quare optimè explicatur quid sit dependentia negationis à sua causa; vnde si Deus præsente sole, et non impedito nollet producere lumen, tunc illa negatio cuiuscumque actionis productiuæ luminis proueniret immediatè à tali diuina nolitione.

Explicatur præterea quomodo priuatio gratiæ sanctificantis pendeat à peccato in natura lapsa, et non penderet à peccato si Deus creasset hominem in pura natura. Nam in pura natura penderet à sola nolitione Dei liberè nolentis dare gratiam, quare posito eo decreto essentialiter sequeretur priuatio gratiæ in homine; et non posito eo decreto, sed potius posito decreto conseruandi gratiam in homine quantum est ex parte Dei, non datur in Deo causa talis negationis gratiæ; datur tamen in homine peccante; illam enim actionem peccaminosam sequitur essentialiter priuatio gratiæ, quæ causa non dabatur in pura natura, si homo nõ peccasset; ecce ergo quo pacto per denominationem extrinsecam ipsi priuationi datur essentialis dependentia negationis à suam causa. Præterea si homo post primum peccatum non sibi condona-

tum faciat aliud peccatum; eadem priuatio gratiæ habebit duplicem dependentiam à duplici peccato, quia datur duplex essentialis exigentia ipsius, nempe peccatum præteritum moraliter perseuerãs, et nouum peccatum. Explicatur pariter, quomodo cõseruetur eadẽ priuatio gratiæ à peccato præterito, iuxta varias sententias Theologorũ. Qui enim putant condonationẽ extrinsecã absq. vlla peccatoris cooperatione esse posibilem, dicent eam priuationem conseruari à Decreto Dei nolentis dare illi gratiam, ad quod habet ius ob peccatum præteritum nõ retractatum, quamuis possit liberè non vti eo iure, et consequenter mutare eam nolitionẽ. Qui putant sinè mutatione intrinseca peccatoris non deleri peccatum, dicent conseruari eam priuationem à negatione retractationis, & contritionis consequentis ad peccatum, quæ contritio siue liberè non fiat, siue ex necessitate (vt si immediatè post peccatũ homo euadat insanus) essentialiter exigit in hac sententia priuationem gratiæ. Dixi consequentis ad peccatum, quia non retractare peccatum non commissum non causat priuationem gratiæ.

Ratio à priori huius doctrinæ est, quia negatio non fit per veram, et positiuam efficientiam, sed solùm resultat ad aliquod positiuum essentialiter ipsam exigens, sicuti resultat negatio amoris ad actum odij de eodem obiecto, ergo sufficienter connectitur cum sua causa per ipsam entitatem illius positiuæ exigentiæ, quæ ipsam exigit, vnde patet discrimen inter dependentiam rei positiuæ, ac negatiuæ, nam res positiua non haberet aliud positiuum, quod eam essentialiter exigat, ita vt ad eius positionem debeat poni; solùm enim hoc esset actio, quę essentialiter exigit, vt ad sui positionem existat effectus, nam decreta Dei, licèt sint intrinseca, vt aliqui volunt, tamen nõ exigunt, vt ad ipsorum existentiam res existat, cum ea fuerint ab æterno, et res sint in tempore; alij modi præter actionem, licèt essentialiter exigant rem, vt aliquod consequens, imò exigũt aliquando, vt quid antecedens prærequisitum ad ipsius modi existentiam, at negationes essentialiter semper exigantur ab aliquo positiuo, vt quid posterius ipso, cum ab eo accipiant determinationẽ essendi. vt per se patet; certum quippe est quod negatio causæ exigat essentialiter, vt quid consequens negationem actionis à se pendentis, et quod actus nolitionis Diuinę exigat negationes rerum, quas non vult, et sic de cæteris.

Dices, cur non ponimus aliquem modum negatiuum, per quem negationes determinentur, vt pendeant à suis causis?

Respon-

Respondeo primò, quia hoc non est necesse, vt vidimus. Secundò, quia hic modus, cui positiuè opponeretur? non dependentiæ, quia negatio dependentiæ ipsius à causa A, non facit, vt hæc negatio ignis pendeat ab hac potius, quàm ab illa causa, vt patet, nec aliud positiuum potest assignari, quod negetur ab hoc modo negatiuo; at si est negatio debet contradictoriè opponi alicui positiuo, aliter non esset terminus contradictorius; totam autem notionem, quam hucusq. habuimus de negationibus est, quod sint termini verificãtes propositionem negatiuam entis realis, et præscindendo ab hoc, nego dari negationes.

Patet denique quid sit hanc negationem esse propter hoc, vel propter aliud motiuum, esset enim talis actus diuinæ, vel creatæ voluntatis, quæ aliquid nollet ratione talis motiui, et non ratione alterius. Per hanc enim talem nolitionem denominatur hæc negatio volita propter hoc potius, quam propter aliud motiuum. Atque ex his confirmatur nostra doctrina superior, quod licet de singulis negationibus verum sit quod existant, non tamen sunt categorematicè infinitę, quia videlicet modus determinandi negationes est per nolitionem aliquarum creaturarũ, ex eo, enim quod Deus non vult creare alium hominem, v.g. præter hos, ad hanc volitionem sinè vlla alia determinatione sequerentur essentialiter negationes singulorum hominum possibilium, qui sunt de facto. Illud autem decretum Dei nolitiuum est confusè, & syncategorematicè tendens in eos homines, quos non vult facere in sententia infinitum negante, ergo iuxta hanc sententiam non bene arguitur ab existentia negationum, eas esse infinitas syncategorematicè, cum positæ fuerint per decretum confusum, & essentialiter syncategorematicè tendens in homines, quos noluit creare; quod si aliquod positiuum fieri posset per tale decretum confusum, & syncategorematicè tendens in plura, neque illud esset categorematicè infinitum, etiam si esset actu; An hoc autem sit possibile videbimus in tractatu de quantitate.

Obijcies, si singulis negationibus affigerentur singuli angeli, certè essent infiniti Angeli actu, ergo sunt etiam actu infinitę negationes, non enim crescerent, si illis Angeli affigerentur.

Respondeo primò, per instantiam, ponat nunc Deus Angelos correspondentes singulis numeris finitis cogitationum futurarũ Michaelis, essent ne infiniti actu?

Respondebis non posse ponere hos Angelos actu, quia illi nu-

meri sunt essentialiter syncategorematici,& isti Angeli si actu ponerentur essent categorematicè infiniti.

Respondeo secundò, eodem modo nempe non posse à Deo fieri Angelos, qui respondeant omnibus negationibus collectiuè, omnes enim negationes sunt chymæra; Posset ergo Deus ponere plures,& plures Angelos, sed semper essent finiti, actualitas autem singularum negationum non facit, vt diximus determinationé in illis, quia vt diximus negationes essentialiter sequuntur ad nolitionē Dei, qua non vult creare has creaturas, quas tamen non concipit collectiuè, nec per modum vnius; nec præter hanc nolitionē requiritur alia determinatio ad hoc vt sequātur à parte rei negationes illarum creaturarū,& idcirco possunt dari negationes actu, & earum actualitas non reddit eas acceptibiles per modum vnius, at verò positio Angelorum fit per determinatum decretum, quò positiuè determinentur hi, & non alij, & producuntur per positiuum influxum, & non resultant ad decretum aliquod indeterminatè plura accipiens, sicuti resultant negationes, vt iam explicauimus.

Objcies iterum ad rationem numeri parum facit, quod vnitates sint negationes, vel entia positiua, ergo cum de singulis negationibus verificetur, quod sint actu, certè negari non potest numerus infinitus.

Respondeo numerum definiri multitudinem vnitatum, ad rationem autē multitudinis requiritur posse accipi per modū vnius, illud ergo, quod non potest ita accipi non potest denominari vna multitudo, sed datur solùm fundamentum à parte rei ad accipiendas plures,& plures multitudines negationum, singulas tantum finitas, ita vt quæuis singulæ collectiones in infinitum acceptibiles actu sint, quæ actualitas negationum, vt diximus est quid essentialiter indeterminatum,& syncategorematicum, eo quod ipsa resultat ad nolitionem diuinam syncategorematicè nolentē creaturas, quas non ponit.

Objcies tertiò, si actu daretur aliquid ex quo possint accipi plura numero æqualia vni certo numero in infinitum illud esset infinitum, sed ex negationibus possunt semper accipi decem, & nunq. exhaurientur, ergo actu sunt infinitum.

Respondeo cum distinctione: si actu darerur aliqua multitudo, quæ posset concipi vt vna, concedo. Si actu darentur plura, & plura in infinitum acceptibilia, sev quæ essentialiter non possint accipi

cipi vt vna multitudo, nego illa plura facere infinitum actu; Infinitum enim definitur esse id, ex quo possunt accipi plura modo dicto, voces autem, id ex quo, significant aliquam vnitatem, seu collectionem, si ergo actualitas est ita imperfecta, vt talem vnitatem, & collectionem circa se habere non possit, non erit infinitum, sed erunt plura, & plura in infinitum, & tales sunt negationes.

ARTICVLVS III.

Qualis nam modus sit duratio.

DIco primò, duratio creata est essentialiter successiua, loquor de duratione, quæ durat tempore, non de instantanea, si detur. Est communis sententia, Probatur primò, Auctoritate Patrum, qui in hoc distinguunt durationem diuinam à creata, quia illa est tota simul, hæc successiua. Citantur PP. à Scriptoribus

Secundò probatur, quia si duratio hodierna Angeli esset permanens, Angelus in hoc instanti haberet formã per quam duraret hodie, ergo Angelus nõ posset, neque de potentia Dei absoluta hodie annihilari; & ipsa duratio creata esset independens à Deo in conseruari, quia semel posita duratio hodierna non posset amplius tolli ab vlla potentia in quolibet instanti hodierno, quæ omnia videntur esse contra rationem creaturæ, quæ semper, & essentialiter dependet à Deo, & in fieri, & in conseruari, et esset contra dominium Dei, qui posset destruere creaturam pro quocumque instanti assignabili.

Dico secundò, neque de potentia Dei absolura potest dari duratio permanens essentialiter durans tempore diuisibili; oppositum docet Arriaga hic sect. 2. num. 4. et alij recentiores.

Probatur iisdem argumentis, quibus probauimus dari non posse corpus immobile à Deo, videtur enim transcendere perfectionem creaturæ, quod ita duret, vt posito, quod semel fuerit, non possit destrui pro quolibet instanti; est enim de concepta diuini dominij, vt possit quodlibet pro quolibet instanti, posito, quod prius fuerit destruere, et annihilare, hoc enim arguit perfectissimum dominium, sed hoc prædicatũ deesset durationi indiuisibili, ergo deesset prædicatum essentiale creaturæ. Legantur ea, quæ dicta sunt de corpore immobili.

Dices si Deus non posset creare aliquod ens, quod haberet per essen-

essentiam suam durare vno quadrante, derogaretur diuinæ potentiæ, esset enim perfectior ea potentia, quæ posset etiam hoc facere. Sed contra est, quod toties derogaretur Diuinæ potentiæ, quoties id quod dicitur ab ea fieri non posse, gratis dicitur, et sine ratione; at quando assignatur per conuincentem rationem positiuam repugnantia prædicatorum illius obiecti, nihil derogatur Diuinæ potentiæ; prædicata repugnantia essent, quod esset indestruibilis ex sua intrinseca exigētia; nulla enim datur proportio inter prædicata creaturæ, & indestruibilitatem respectu Dei, ergo non possumus illam fingere.

Dices secundò, posito quod Deus velit Angelum durare hodie implicat quod hodie destruatur, et tamen hoc non est contra dominium Dei, ergo idem potest dici de duratione permanente.

Respondeo disparitatem esse, quia tota hæc implicantia non oritur ex principijs intrinsecis creaturæ; sed solùm ex extrinseca voluntate Dei, et quia non potest Deus simul conuingere velle, et nolle, idem, posito quod velit, implicat simul habere nolle, haberet enim potentiam simultatis ad ponendum, et non ponendum Angelum, quæ potentia simultatis implicat; At verò in alio casu præscindendo ab omni voluntate Dei haberet illa duratio per sua entitatem durare quolibet instanti hodierno; quare Deus non posset velle, vt illa duret per talem durationem sibi iniuriosam, creatura enim nō habet talem essentiam, quia Deus vult, sed quia illa prædicata in se sunt talia antecedenter ad omnem voluntatem Dei.

Dices tertiò, Adhuc illa duratio permanens haberet intrinsecè posse non poni, quia Deus posset non ponere illam, sed id quod potest poni, et non poni, est creatura.

Respondeo illam ex hoc capite esse creaturam, sed ex alio capite non esse creaturā, et ideo habet prædicata repugnantia, ex eo enim, quod penderet à Deo in primo fieri esset creatura, sed ex eo, quod non penderet à Deo in conseruari non esset creatura.

Sed clarius adhuc explicatur hæc implicantia ex diuina perfectione, debemus enim ponere Deum perfectissimum quantum possumus in omni ratione perfectionis; est autem perfectio Domini, et creatoris, vt non solum habeat libertatem ad ponendam, vel nō ponendam creaturam, sed eandem libertatem debet essentialiter exercere pro quacumq. temporis differentia in ea conseruanda etiam in sensu composito exercitij liberi circa eam pro instanti seu tempore antecedente, exercitium enim liberum, disponens de

crea-

creatura pro tẽpore antecedẽte nõ habet, vt disponat de ea pro tẽpore cõsequente, sed relinquit Deũ liberũ ad disponendũ de ea tẽpore subsequenti per aliud liberum exercitium: at si esset possibilis duratio permanens per vnam horam, licet in principio horæ Deus exercuerit libertatem suam pro positione illius entitatis, tamen posito hoc exercitio disponente de creatura pro illo instanti, nullum aliud exercitium liberum, Deus faceret de conseruatione illius creaturæ neq. posset facere (quia creatura illa est incapax) vt posito quod ponatur, liberè conseruetur, et sic Deus pro toto illo tempore subsequente ad primum instans, seu tempus horæ non esset dominus illius creaturæ, nec ipsam conseruaret, nec posset creatura illa agere gratias Deo, quod conseruetur eo tempore, distinctas à gratijs quas agit, quia primo creata fuit, quæ omnia minuunt ipsam infinitam perfectionem Diuini dominij, et essentialis exigentiæ, quam habet, vt omnia pro quolibet instanti liberè pendeant à se.

Respondebis ad hæc, dupliciter posse Deum conferre beneficiũ creationis, & conseruationis, primò, vt duo distincta, quod faciet per durationem diuisibilem. Secundò vt vnum beneficium æquiualens duobus distinctis, sic faceret dando durationem vnius horæ indiuisibilem, & ita creatura simul ageret gratias de illo toto beneficio æquiualente duobus, quod nempe dederit talem primam productionem per quam indiuisibiliter conseruaretur. Sic etiam Deus dupliciter potest exercere libertatem circa primam productionem & conseruationem creaturæ; primò, vt vna libertas tendat in vnam, & altera in alteram. Secundò vt per eandem libertatem, & vnico libero exercitio velit aliquod essentialiter inuoluens, id quod vellet per duplex exercitium liberum, in quo nihil videtur esse contra Diuinum dominium. Sed contra est, quia licet non sit absurdum, quod Deus vnico decreto velit, id quod posset velle duobus decretis, est tamen absurdum, quod per illud decretum ita tendat in illud obiectum, vt ex eo, quod velit id quod volebat per alterum ex duobus decretis non remaneat amplius libertas ad liberè volendum, quod voluisset per alterum ex illis duobus decretis v. g. Deus posset velle per vnum decretũ productionem Angeli in instanti A, & per alterum conseruationẽ per horam sequentem ad illud instans; rursus per vnicum decretum posset indiuisibiliter velle, & primam positionem Angeli in instanti A, & eius durationem pro sequenti hora; Verum hoc decretum

cretum vnicum esset tale, vt esset virtualiter multiplex, ita enim tendit in primam productionem Angeli, vt per illam tendentiam non cogatur ponere sequentem durationem, quare circa singulas partes exercet immediatam libertatem, nec enim ex eo quod intelligatur exercens eam circa primam positionem intelligitur necessitatus ad ponenda reliqua, & sic nullam intelligatur exercere libertatem circa reliqua, ex eo, quod intelligatur exercere circa primam positionem; quare tale decretum licet sit vnicum, est tamen immediatè exercens libertatem circa singulas partes per se acceptas, nec intelligitur determinatus ad secundam partem, quia intelligatur tendens in primam. At verò in casu nostro quo vellet vnico decreto durationem indiuisibiliter durantem vna hora, tale decretum non exerceret immediatè libertatem circa singulas partes virtuales illius durationis, nempe circa eam quatenus ponit primo instanti, & quatenus æquialet durationi successiuæ horariæ, sed ex eo, quod intelligeretur tendens in eam, vt æquialentem primæ productioni, nulla remaneret libertas, neque realis, neque virtualis ad conseruationem illius creaturæ, & hoc est absurdum, quod probo contra diuinam perfectionem dominij, debet enim siue vno, siue pluribus actibus liberis semper ita exercere libertatem, vt non solùm circa primam productionem eam exerceat, sed etiam relinquatur ex hoc libertas ad conseruationem exercendam, aliter posset creatura dicere Deo post primum instans, nunc nihil indigeo tui vt existam, quamuis prius indigebam. Ad illud de beneficio dico creaturam non solùm debere gratias agere pro beneficio liberè exercito à Deo, quo fruitur in prima sui productione, sed pro beneficio etiam liberè exercito à Deo, pro hac conseruatione postquam primò existit; illa enim beneficia ideo sunt digna tali gratiarum actione, quia vtrumque in se est liberum, & immediatè volitum à Deo, siue vno, siue multis decretis; at verò si conseruatio in se immediatè non est liberè volita à Deo, sed hoc, ipso quod est volita prima productio, non exerceretur vlla libertas Dei immediate circa conseruationem, non posset creatura gratias agere Deo, quia illam produxit, & conseruat, sed solùm quod illam posuit per primam productionem, quæ essentialiter esset conseruatio, hoc ipsum autem esset supra conditionem creaturæ, nempe non posse agere gratias Deo, quod eam conseruet, etiam posito beneficio creationis, posset enim tunc creatura dicere Deo, quod non indigeat iam amplius illo, vt existat, quamuis indiguerit prius, qua essentiali indi-

Digitized by Google

indigentia Dei pro singulis momentis non posset spoliari, quia spectat hoc ad essentiam subiectionis erga tantam maiestatem creatoris sui.

Dices quartò, reuelet Deus Angelo tu durabis hodie, posita tali entitate reuelationis, neque de potentia Dei absoluta potest Angelus non durare hodie etiam præscindendo ab omni volitione Dei, ergo sicuti reuelatio essentialiter exigit Angelum durantem hodie, cur Deus non potest facere durationem se ipsa essentialiter durantem hodie?

Respondeo, quod reuelatio de duratione hodierna essentialiter supponit liberam volitionem Dei circa conseruationem hodiernã, quare non prius reuelat futuram conseruationem hodiernam, quã futuram ex libera volitione Dei, quare reuelatio non potest præscindere à libera volitione Dei, non est autem absurdum. quod ex suppositione volitionis liberæ Dei perseueret duratio hodierna, & detur entitas connotans essentialiter talem perseuerantiam, & absurdum est, quod intrinsecè res ipsa habeat per suam entitatem non posse destrui.

Instabis ipsa reuelatio, seu terminatio decreti Dei liberi habet essentialiter, ne Deus possit destruere Angelum, quem vult hodie durare; cur ergo non potest dari alia entitas creata per quam formaliter Angelus duret indiuisibiliter?

Respondeo absurdum non esse, quod detur entitas creata essentialiter exigens ne Angelus hodie destruatur, quia debet dari decretum Dei, & debet posse dari reuelatio, quę intrinsecè habent hanc exigentiam, quarè non gratis fingimus talem exigentiam in his entitatibus, sed propter rationem positiuam conuincentem, quia Deus est liber, & potest reuelare. Neque ex hoc sequitur absurdum contra dominium Dei. Ex eo enim quod Deus ex vi suæ volitionis non ponit simul velle, & nolle idem, est summa perfectio. At verò duratio permanens sinè vlla ratione conuincenti haberet non posse destrui, quod arguit imperfectionem in Diuino dominio.

Replicabis. Si dicamus, quod ipsa duratio indiuisibilis, & permanens sit terminatio decreti liberi Dei volentis Angelum durare hodie per illam nihil sequitur absurdi, ergo ita dici potest.

Respondeo sequi absurdum, quia iam daretur creatura indestruibilis hodie, Deus autem non debet posse ponere talem creatutam, quæ ex essentia sua haberet non posse destrui, ergo

go Deus non potest exercere suam libertatem terminando illam per talem terminationem ab intrinseco essentialiter indestruibilē, quia talis terminatio esset chymæra; debet ergo terminare suam libertatem per terminationem destruibilem pro quolibet instanti postquam facta est.

Dices quintò, creet Deus Angelum ab æterno, certè ex principijs intrinsecis ille Angelus deberet durare æterno tēpore, cur ergo non poterit etiā durare vna hora per durationē permanentē?

Respondeo primò, negando posse dari creaturam ab æterno. Secundò dico disparitatem esse, quia etiam si Angelus fuerit ab æterno, & debeat conseruari æterno tempore, tamen de eo semper verificatur esse destruibilem pro quolibet instanti assignabili, quod est de essentia dominij Dei, & creaturę. Quod autem ita esset destruibilis patet. Nam quodlibet instans assignabile est tale, vt ante ipsum præcesserit æternitas, neque vllum poterit assignari, neque esse ante, quod in infinito non præfuerit aliud tempus, at verò si duratio hodierna esset permanēs verificaretur quod in quolibet instanti hodierno esset indestruibilis.

Ex dictis colligitur disparitas cur possit Angelus habere vbicationem indiuisibilem, per quam coexistat spatio diuisibili, non autem durationem indiuisibilem, per quam coexistat pluribus partibus temporis, disparitas est, quia non derogat dominio Dei, quod Angelus habeat aliquam formam hic per quam etiam sit in alio loco, semper enim Deus potest destruere Angelum, potest mutare illi locum, & disponere de ipso ad libitum suum; At verò si Angelus haberet formam nunc per quam esset etiam in alio tempore sequeretur, quod non posset destrui pro quocumque instanti assignabili postquam primò fuit, quod derogat diuino dominio.

Quærimus vlterius, an duratio sit modus distinctus ab actione, per quam effectus pendet à suis causis? pro qua quæstione dico tertio cum Card. de Lugo de Incarnat. disp 19. sect. 1. num. 20. durationem esse eundem omninò modum cum actione quidquid dicat in oppositum P. Ouied. eam sententiam impugnans hic pūcto primo, quia cōmouet totam Philosophiam, ac Theologiam, quod quam verùm sit infra videbimus.

Probatur primò conclusio, nam non potest haberi conceptus formalis dependentiæ effectus à causa, nisi in eo inuoluatur ratio durationis, ergo debet identificari duratio, & actio. Consequentia videtur bona, nam si per actionem debet prēstari totus effectus for-

Digitized by Google

formalis dependentiæ, certè ea prędicata, quæ essentialiter constituent hunc effectum formalem debent esse prædicata identificata cum actione. Antecedens probatur, nam vt diximus in tractatu de causis, ratio, & conceptus dependentiæ consistit in hoc, quod sit ipsa formalis determinatio, per quam effectus habeat existere nunc, itaut si non esset causa, non existeret nunc. Causa verò existeret nunc, etiam si non existeret miraculosè effectus, sed iste cõceptus non solùm dicit determinationem ad existendum effectum, sed determinationem ad existendum nunc, ergo illa determinatio per quam formaliter effectus pendet à causa inuoluit esse determinationem formalẽ per quam formaliter intelligatur effectus existens nunc. Immo hoc ipsum probo, valere in qualibet explicatione dependentiæ iuxta varias sententias. Omnis enim debet dicere, quod per dependentiam effectus à causa non solùm habet effectus existere dependenter ab ea, sed habet existere nunc dependenter ab ea; causa enim per suam actionem, nõ facit effectum existere vt sic, sed existere nũc; ratio est quia in omnium sententia uidetur certũ, quod, si verificetur hæc propositio conditionata, si non esset A, adhuc esset B. Certè B, non pendet ab A, licet non verificetur dependentia effectus à causa per conditionatam negatiuã si non esset A, non esset B, quia vt vidimus agentes de causis per hanc solùm habetur connexio; tamen si verificatur affirmatiua, nẽpe esset A, etiã si non esset B, certè non daretur dependentia vlla, quia omnis dependentia inuoluit connexionem, quamuis non omnis connexio dicat dependentiã. Sed si ratio dependentię præscinderet à duratione, esset vera conditionata, adhuc esset B, etiam si non esset A, nam, existere B, si præscindas à duratione, & statu, significat, vt superius diximus existentiam B, in æternitate Dei, quandocũque tandem existat, posset ergo B. existere post centum annos à die hodierna, & sic esset vera propositio, etiam si hodie non esset A, adhuc esset B, quamuis ponatur A de facto esse hodie causam B, quia posset ab alia causa, vel à Deo poni B. in alio tempore, quomodo ergo de facto pendet B, ab A? quare ratio dependentiæ essentialiter exigit, vt verificetur propositio, si nunc non esset A, non esset nunc B, & quamuis vt dixi hæc sola verificatio non sufficiat, est tamen omninò verificanda, ergo ratio dependentiæ effectus à causa non solùm dicit formaliter, vt ex vi illius determinationis effectus existat, sed quod existat nunc adeoq. ea determinatio non præscindit ab hoc prædicato, quod sit modus, per quem determinatur effectus ad existendum nunc.

Dices, etiam vbicatio erit de conceptu de pendentiæ, quia causa non minus facit effectum hic, quam faciat nunc.

Respondeo, quod licèt causa determinet effectum ad esse ndum hic non tamen ipsa dependentia consistit in hac determinatione, quare potius est exigentia, vt res producta producat in se vbicationem talem; at verò quod dependentia sit formalis determinatio per quam effectus sit nunc, non probauimus solum ex eo, quod causa faciat vt effectus sit nunc, sed ex eo, quod non possit intelligi dependentia præscindendo ab hoc prædicato, quod sit determinatio, vt effectus existat nunc, nam per hoc, quod faceret effectum existentem, vt sic, non potest explicari, vt vidimus ratio dependentiæ, ergo debet explicari per hoc formaliter, quod faciat, vt effectus existat nunc ex vi talis causæ.

Dices iterum, sufficit vt actio habeat exigentiam essentialem, vt detur in effectu duratio correspondens durationi causæ non determinando durationem, & ita, quod detur in effectu talis duratio hodierna haberetur determinatio non solùm ab actione formaliter, sed ab ipsa duratione hodierna causæ, posset que eadem actio esse cras, & tunc deberet poni in effectu duratio crastina, sed contra est, quia hæc exigentia non sufficit ad rationem dependentiæ, nam si Deus decernat efficienter causare lumen, & simul solem, etiam si nolit; quod lumen sit effectus solis, daretur tamen à parte rei exigentia, vt lumen habeat durationem coexistentem durationi solis, & tamen per hoc non penderet à sole, ergo exigentia non sufficit. Secundo potest poni in actione exigentia determinata huius durationis, ita vt causa durans nunc producat actionem cum essentiali exigentia, vt effectus sit nunc; & in tali casu actio semper esset diuersa, & haberet semper diuersam exigentiã colligatam essentialiter cum tali duratione, cur ergo potius per suam entitatem non vis habere esse talem durationem? præterea redit idem argumentum, nam si Deus vult existentiam solis, & lucis, nunc daretur talis existentia & tamen posset pendere in tali casu lumen à sole, ergo per hanc exigentiam non saluatur vllo modo ratio dependentiæ. At verò si ponatur actio, quæ sit determinatio ex vi causæ per quam determinationem formaliter effectus existat nunc, habetur sufficiens conceptus dependentiæ, vt explicauimus in libro de causis.

Secundò probatur conclusio ex libero exercitio, nam qui perseuerat in eodem actu libero exercet in singulis instantibus nouam libertatem, quia est ipsi liberum non perseuerare, sed exercitium nouum

nouum libertatis non potest exercere sine nouo actu libero, ergo actus liber siue se ipso fiat sinè actione, quod existimo probabilius, siue per actionem distinctam debet semper habere nouam, & nouæ actionem, quæ sit exercitium nouæ libertatis.

Dices nouam libertatem haberi à noua duratione eiusdem actionis volitiuę; sed contra est nam noua libertas debet exerceri ab ipsa voluntate ex motiuis sibi propositis, vel ergo voluntas vult istam durationem actus præteriti per aliam nouam volitionem, vel vult illam per ipsammet durationem, ita vt ipsa duratio sit per se ipsam liberè volita à voluntate. Neutrum autem dici potest, nã quodcumq. dixeris, obiectum volitum esset ipse actus liber, vel ipsa duratio actus liberi, & multoties non cogitamus vllo pacto de nostro actu, nec de ipsius duratione, vel actione, sed solum cogitamus de obiecto amato, v. g. de diuina bonitate, à qua obiectiuè mouemur ad ipsum amandum per horam nihil prorsus cogitãtes de nostro amore, nec de ipsius duratione, tunc autem oportet, vt sit nouum exercitium liberum tendens immediatè in Deum, non autem tendens in actum præteritum.

Respondebis exercitium liberum nouum in perseuerãtia actus præteriti non velle vllum nouum actum voluntatis, sed solùm duratio actus præteriti pẽdens à voluntate, bonitas enim, verbi gratia Dei allicit voluntatem ad amorem illius, & ad durationem actus amoris. Sed contra est, quia hæc entitas, quàm appellas durationem, haberet omnia prędicata actionis vitalis liberè amandi, nam esset ialiter procederet à principio vitali per cognitiones bonitatis obiecti, & iudicium indifferens, & ita procederet, & tenderet in obiectum, ergo esset verissimum exercitium liberum volũtatis, male ergo appellas durationem actus cum habeat in se prædicata liberi exercitij.

Neq. per hoc perturbatur Philosophia, vel Theologia, quia sequeretur debere dari infinitum præmium actui bono duranti per aliquod tempus, quia pro singulis instantibus illius actus mereretur nouum præmium, adeoque cum instantia sint infinita merebitur prędium infinitum, facilè enim respondetur hanc difficultatem esse terminum inquacumque sententia, quę libertatem non negat; nam certum est, quod homo liberè perseuerat in eo actu, & huic perseuerantiæ debetur præmium, quidquid tandem sit ea perseuerantia; datur enim in perseuerantia actus boni libera, noua laudabilitas, ac meritum, quod correspondeat præcisè perseuerantiæ alicuius instantis, et cum post illud instans possint assignari

alia

alia in infinitum in quouis breui tempore, debebunt correspondere præmia æqualia illi singulis perseuerantijs illorum instãtium; ecce difficultatem prorsus eamdem in quaoumque sententia quomodocumque explicante perseuerantiam, semper enim quia tempus est diuisibile in infinitum loquendo præcisè de præmijs debitis perseuerantiæ, vt contradistinctæ à substantia, & prima positione actus erunt infinita, & æqualia vni certo. Ab omnibus ergo soluenda est difficultas, & eam soluemus agentes de quantitate quæstione sequenti.

Denique probatur conclusio argumento solito, nempe non esse multiplicanda entia sine necessitate, cum ergo actio sit essentialiter successiua, vt probauimus cum de ea egimus, & similiter duratio essentialiter successiua, vt vidimus possunt optimè coalescere in vnam entitatem modalem, quandoquidem nulla necessitas apparet eas distinguendi.

Obijcies primò, necessitas est ex paritate vbicationis, cur enim non ponis etiam vbi non distingui à passione.

Respondeo, maximas esse disparitates prima est, quia possunt multa se mouere, & acquirere varia vbi, & tamen nihil potest se causare, vel conseruare, ergo vbi non potest esse actio productiua rei, vel conseruatiua. Secunda disparitas est, quia posito vbi A, posset conseruari res, & acquirere aliud vbi miraculosè valde distans à primo, quod habuit, non tamen potest res conseruari post instãs A, quin acquirat durationem immediatè sequentem, ergo plus est coniuncta duratio cum actione, quàm cum vbi.

Dices posset negari, quod res moueat se ipsam, sed solùm producit in se impulsum, quo posito Deus illam mouet; ita dixit quidam recentior. Sed hæc responsio præter quam quod noua est, displicet adhuc, quia verè negat motum rebus, & ita neque grauia, neque leuia mouent se sicuti homo non generat animam rationalem, licèt ponat conditionem ad ipsam; sic etiam licèt corpus graue poneret impulsum, tamen impulsus se haberet, vt conditio. Secundò, quia neque euitaretur, quod res causaret se ipsam, nam quidquid in hoc instanti ponit conditionem ad sui conseruationem in eodem instanti certè causat aliquo modo se, sed corpus graue in hoc instanti poneret impulsum, qui in hoc instanti exigeret motum, ergo ille motus localis esset causatus ab eo corpore, adeoque causaret se ipsum, quia ille motus esset vbicatio fluens. Tertiò, hoc fortasse in Angelis dici non potest, quia nullũ habet impulsum, impulsus enim habetur ab impenetrabilitate, quę resistit

resistit alteri corpori, nec habemus indicium alterius impulsus localis spiritualis. Denique displicet, quia dum vult euitare productionem nouæ rei illàm non euitat, ponit enim entitatem impulsus, cur ergo potius non relinquitur impulsus, & dicitur cum communi sententia, quod producatur vbicatio?

Obijcies tertiò prius est rem esse in se ex vi agentis, quàm esse in ordine ad aliud, ergo prius est rem produci, quàm connotare tale tempus.

Respondeo, prius esse prioritate physica, & causalitatis nego; prioritate solùm logica, & maioris necessitatis concedo: valet enim consequentia res est in hoc tempore, ergo est producta, non valet res est producta, ergo est in hoc tempore, quare rem esse productã est, quid magis latè patens, & ideo dicitur prius logicè, et ratio est, quia licèt esse productum inuoluat durationem, vt vidimus, præscindit tamen ab hac, vel illa duratione, et idcirco dicitur prior logicè productio.

Obijcies tertiò, velocitas, et tarditas in motu sunt accidentia ipsius, ergo motus distinguitur à duratione, quia maior, vel minor velocitas correspondet maiori, vel minori, tempore.

Respondeo, esse accidenria solùm metaphysica, quilibet enim motus est determinatus se ipso, vt duret tanto tempore, qui eodẽ tempore producit vbi maius, dicitur velocior, si vbi minus dicitur minùs velox.

Obijcies quartò, Beatus debet videre suam visionem esse æternam ad hoc vt sit certus de sua beatitudine, ergo ipsa visio beati habet essentialiter esse æternam, quia essentialiter habet esse veram.

Respondet Gardinalis de Lugo, tom. de Incarnat. disp. 9 sect. 1. necesse non esse, vt beatus videat actualiter per suam visionem beatam, quod ipsa visio sit æterna, sed solùm sufficit si habitualiter illam cognoscat esse æternam; succesiuè cognoscere habitualiter, est cognoscere quandocumq. voluerit reflectere supra suam visionẽ, quod illa nũquam intermittitur ex decreto, et beneplacito Dei hoc enim putat sufficere, vt sit securus de sua æterna felicitate.

Sed vrgebis beatitudo consistit in visione Dei, sed hæc certitudo de ipsa visione est pars beatitudinis, ergo debet consistere in ipsa visione, et non in aliquo alio.

Respondeo certitudinem de aliqua re debere contradistingui ab ea re, aliter certitudo esset de se ipsa, quod est nugatorium; si ergo visio Dei, est beatitudo, certitudo de illa non erit pars beatitudinis,

tudinis, quam habet beatus pro obiecto certitudinis, et de ipsa prædicat, hæc visio numquam cessabit. Ab aliquibus ad difficultatē respondebitur beatitudinem consistere in visione, et amore Dei, qui exercetur per actus visionis, et gaudij de bonis Dei, tamquam in actibus essentialiter beatificantibus. Verùm cum visio sit essentialiter successiua, satis est ad solutionem huius difficultatis, quod per vnam partem visionis certificetur Beatus de existentia futura subsecuturæ visionis in æternum; quare pet visionem A, non verificatur de existentia ipsius visionis A, nisi ad summum virtualiter; sed certificatur formaliter de visione in æternum sibi futura, quæ certè est distincta ab ea, quam de facto habet; imo ex hoc potius arguitur pro nostra conclusione, quod duratio sit essentialiter successiua, nec vlla detur creatura in indiuiduo, quæ non possit à Deo non poni. Cæterùm quod vna pars visionis beatæ, essentialiter habeat exigere, vt detur æterna successio, nec possit Deus nõponere subsequentem visionem, non videtur esse contra dominium Dei; semper enim est illi liberum ponere vel visionem B, vel visionem C, et sic de infinitis, quæ sunt possibiles post visionem: necessitas autem ponendi aliquam, non inuoluit vllum absurdum, cum hoc ipsum debeat dici de vbicatione; si enim Deus ponit hominẽ à parte rei, necesse est vt producat in eo aliquam vbicationẽ; non ergo erit absurdum, quod vna visio exigat aliam quamcumq; subsequentem sibi, cum hoc ipsum proueniat ab infinita perfectione Dei, qui clare visus, non potest non saturare intellectum videntis, et illum perfectè non beatificare obiectiuè, quod sanè non præstaret, nisi per ipsam visionem redderet essẽtialiter Beatum certum, et securum, de subsecutura in æternùm visione, quia hæc ipsa certitudo, est prædicatum formalissimæ beatitudinis. Verùm de hoc Theologi viderint.

Obijcies quintò, natura non debet coniungere duo prædicata simul sinè causa, ergo non debet coniungere prædicatum actionis cum prædicato durationis.

Respondeo primò, sufficere causam negatiuam hoc est, quod non detur causa positiua ad oppositum, natura enim semper facit perfectiora, quæ potest, dummodo talis effectio nulli officiat, sed talis perfectio inuoluens formalitatem actionis, et durationis nulli officit, ergo debet illam natura facere.

Respondeo secundò, dari etiam causam positiuam, quia omnis causa quando producit actionem, est determinata ad talem durationem, ergo non est indifferens hic, et nunc ad producendam hanc

hanc actionem cum qualibet duratione. Præterea causa conseruatiua non solùm debet influere pro primo instanti, sed debet influere pro tempore sequenti, sed non posset explicari quid sit influere pro tempore sequenti, nisi faciat nouum influxum, ergo duratio non distinguitur ab influxu, per quem causa conseruat effectum.

ARTICVLVS IV.

Quid sit tempus, & an creatura possit esse ab æterno?

ADmissa duratione facilis est explicatio temporis, omissis ergo ineptis sententijs antiquorum de tempore, quas refert Plutar. lib. 1. de placitis Philosophorum, & Conimb. cap. 14. qu. 1. art. 2. Dico cum Aristotele textu 141. Tempus esse numerū motus secundum prius & posterius.

Ad hanc definitionem explicandam, notandum est primò, in omni motu successiuo tria præcipuè posse considerari. Primum est, quod sit essentialiter dependens ab agente determinato, & hic conceptus est actionis. Secundum est, quod motus producit terminum, à quo termino denominatur mobile noua denominatione, v.g. per motum localem acquiritur vbi per quod mobile dicitur distans de nouo à tali parte, à qua prius non distabat, & per motū calefactionis dicitur de nouo calidum, & hic conceptus est proprer mutationes, seu transitus ex priuatione termini ad terminum. Tertiò, potest considerari in motu, successio ipsa partium, quod nimirum vna pars sit prior, altera posterior, quæ successio est mora, et conceptus temporis.

Notandum secundò, quòd numerus, & mensura duo debet habere, primum intrinsecum sibi, nimirum, quod habeat in se tot partes certas, & inuariabiles, & omnibus manifestas, sic vnus palmus, semper est idem inuariatus in sua longitudine. Secundò debet habere determinationem extrinsecam hominū; poterat enim vnus palmus fieri longior, vel breuior à primo institutore palmi, & in varijs regionibus variat palmi longitudo, posita tamen institutione extrinseca vnius cuiusque regionis, palmus in ea est inuariabilis, & quidquid illi coæquatur dicitur vnus palmus.

His positis dico tempus esse numerum, seu mensuram determinatam durationis motus cæli, quod dicitur primum mobile, ita vt vna hora sit tanta duratio, quanta cælum mouetur 24.

parte sui circuli. Idem dico de die naturali, qui est duratio vnius integræ circulationis cæli, et proportionaliter de mense, anno, et quacumque temporis assignatione. Probatur conclusio, quia talis duratio habet omnes conditiones requisitas ad mensuram, ergo est optimè tempus. Antecedens probatur, quia in primis est certa, & inuariabilis mensura non solùm in se ipsa, quod est essentiale omni durationi, sed etiam quoad sensus nostros, cum per ipsâ moueatur cælum, qui motus maximè nobis patet; quamuis enim pro mensura vnius palmi posset poni vnum vbi palmare Angelicũ, tamen non esset bona mensura respectu nostri: quia nobis non innotescit, sic quamuis quælibet duratio posit esse determinata mensura motus, quia tamen nos non cognoscimus durationem, nisi per varietatem effectus, et per motum sensibilem, hinc est, quod debeat esse coniuncta cum varietate sensibili, vnde si duo solùm homines existerent à parte rei, nec apparenter mutarentur, non posset cognosci quantum durauerint, quia nullus esset motus sensibilis ex quo cognosceretur, et tamen esset tunc duratio successiua vtriusque mensurabilis per mensuram extrinsecam, nempe per durationem possibilem motus cæli.

Secunda conditio est, vt sit mensura publica, et vniuersalis: quid autem magis vniuersale, quàm motus cæli omnibus manifestus varietate stellarum, et cursus solis? vndè dicitur primò Genesis. Fiant luminaria in firmamento cæli, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos, non quod non essent verè anni, dies, et menses, etiã si non esset motus stellarum, sed quia non essent ita vniuersales, et communes, sed particulares designati per motus aliquos particulares, posset enim vnusquisq. habere suam clepsydram, et per motum arenæ metiri horas, ac reliqua tempora.

Tertia conditio est, quod determinatio in motu cæli ab ipsamet natura insinuata est; quod enim sol tanto tempore circulum suum cõficiat habuit à natura, quod primum mobile tanta duratione integrè voluatur est etiam habitum à natura, quare facilè fuit in motibus certis, et patentibus terminis designare mensuras anni, diei, et temporum cæterorum, adeoq. motus cæli habet omnia requisita ad tempus vniuersale.

Petes. Cur tempus dicitur mensura motus, cum mensuremus etiam quietes, et alias omnes res permanentes?

Respondeo numquam mensurari res permanentes, cum enim in se non habeat prius, et posterius non possunt habere latitudinem seu molem partium successiuarum, adeoq. non sunt mensurabile

rabiles. Verùm est tamen, quod mensurantur durationes rerum permanentium, quantum nempe durauerit existentia Petri, quanta fuit duratio quietis.

Quoad secundam partem quæstionis fuit sententia Aristot. mundum de facto fuisse ab æterno, vt patet ex 8. Physicorum 1. de cælo, secundo de generatione, et 12. Metaphysicæ. Aristotelem sequuntur Auerroes Auicenna, Proclus Simplicius, Theophrastus, et alij. Verùm S. Thomas prima parte quæst. 46. art. 1. et alij dicunt hoc fuisse dictum probabiliter ab Aristotele, sed quidquid sit de Aristotelis sententia; certè apud catholicos mundum incepisse in tempore est de fide, et probatur ex 1. Geneſis. In principio creauit Deus Cælum, et terram, vbi particula in principio significat principium durationis temporalis, vt definitum est à Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, et PP. explicant. Prouerb. 8. Dominus possedit me initio viarum suarum antequam quidquam faceret, et apud Ioan. habetur, Clarifica me Pater claritate quã habui antequam mundus fieret; et ad Ephesios, elegit nos Deus ante mundi constitutionem.

Loquendo de possibili controuersum est, aliqui negant potuisse creaturam vllam esse ab æterno, ita Albertus Magnus in secundo distinctione prima articulo 10. Riccardus ibidem quæst. 5. Toletus, et alij. Secunda sententia affirmat, ita S. Thomas loco citato artic. 2. et Thomistæ communiter Suarius disp. 2 P. metaph. sec. 2. Ruuius 8. physicorum quæst. 2. Vasquez, Conimbric. et alij qui putant esse possibile infinitum.

Dico secundò, implicat creatura ab æterno, hoc est, quæ durauerit tempore infinito: tota ratio implicantiæ sumitur ex dictis in quæstione de infinito, quia si creatura esset ab æterno data fuisset duratio infinita, quam probaui implicare. Cæterum si res duraret se ipsa sine vlla duratione successiua; non apparet implicantia cur creatura non potuerit esse ab æterno.

Dices esset implicantia, quia est de essentia creaturæ, vt præcedat realis negatio ipsius, ab æterno autem non posset præcedere, quia semper fuisset, sed facilè respondetur negando hoc esse de conceptu creaturæ posito, quod duret res permanens se ipsa, sufficit enim negatio aptitudinalis hoc est, quod potuerit esse ab æterno eius negatio, sic enim haberet veram defectibilitatem sufficientem ad creaturam. Cæterum hoc suppositum mihi est omninò impossibile, nempe, quod possit intelligi creatura ab æterno sinè duratione successiua ab æterno. Quid enim esset creatura

ab æterno v.g. Michael ab æterno præter Michaelem, qui est nũc, si esset eadem prorsus entitas, siue sit nunc, siue fuerit ab æterno, certè aliquid feciſſet Deus, quod non fecit. quid est hoc aliquid?

Ad Aristotelem dico, in hoc erraſſe, quippe qui destitutus principijs fidei non potuit percipere libertatem Dei in operãdo, adeoque posuit omnia fieri ex necessitate naturæ, & ita cum maior ratio non fuerit in natura, cur in tali tempore mundus inceperit potius, quàm in alio debuit ponere ab æterno per varias, & varias rerum corruptiones, & generationes; videatur eius liber octauus de physico auditu.

Probant aliqui implicare creaturam ab æterno, quia Deus deberet illam conseruare infinito tempore, quod esset contrà dominium Dei; hæc tamen ratio videtur inefficax, nam dominium Dei consistit in hoc, vt possit non creare creaturam, & de hac creatura æterna verificaretur, quod Deus posset illam nõ creare: præterea consistit in eo, quod Deus posit creaturam iam factam destruere in quolibet instanti, & hoc etiam verificaretur, nam nullum adhuc esset instãs in quo Deus non potuisset illam creaturam destruere, cum enim æternitas non habeat primum instans, quia non habet principium, quodlibet instans essentialiter supponeret ante se tempus infinitum, adeoq. in quolibet instanti Deus posset illam destruere,

Quod autem necessariò debuerit precedere tempus infinitum ante quodlibet instans, hoc non facit cõtra Diuinum dominium, sed est essentia temporis infiniti, sicuti si Deus creat Angelum in tempore, nõ posset illum destruere, nisi Angelus duraverit per aliquod tempus inuoluens infinitas partes proportionales, sed nõ est vllum absurdum, quod Deus posita tali creatione Angeli nõ possit illum destruere, nisi post infinitas partes proportionales temporis, dũmodo posit in quolibet instãti ipsũ destruere; imo quo ad hoc, tam esset absurdum quod Deus necessitaretur ad conseruandum Angelum tempore infinito, quam tempore finito, duratio enim permanens æquè repugnat siue sit finita, siue infinita; at verò non est de sua natura absurdum, quod Deus teneatur cõseruare aliquo tempore creaturam, dummodo possit in quolibet instanti eam destruere, & in tantum duratio permanens implicaret, quia Deus non posset creaturã destruere in quolibet instanti assignabili, quare hoc argumentum nullam habet efficaciam, vt negetur posibilitas creaturæ ab æterno.

IN

Digitized by Google

IN SEXTVM LIB. PHYSICORVM ARISTOTELIS.

Difficillimus est hic liber, in quo agit Arist. de compositione continui tum permanentis, cum successiui, adeo vt doctissimi scriptores fateantur latere nobis aliquod principium ad hanc rem intelligendam. Nos varias sententias percurremus, & veterum, & recentiorum, & quid de singulis dicendum sit statuemus.

QVAESTIO XV.

De Essentia Quantitatis, & continui.

ARTICVLVS I:

Explicatur definitio quantitatis, & quid ipsa sit.

QVantitas alia est successiua, alia permanens, successiua est, quæ habet partes priores, & posteriores, ita vt quando est vna pars, non sit altera, vt est tempus, & motus. Altera est permanens, quæ habet suas omnes partes simul; hæc diuiditur in continuam. & discretam, discreta est, quæ habet partes actu inter se diuisas, vel saltem nõ vnitas vnione, per quam faciant vnũ per se, vnde duo boues, quamuis vniti, essent adhuc duo, vt est numerus, cuius vnitates inter se diuiduntur, & solùm accipiũtur simul per extrinsecam coniunctionẽ numerantis. Cõtinua est, quæ habet suas partes vnitas intrinsecè, itaut omnes illæ conficiant vnam entitatem.

Definitur quantitas ab Aristotele 1. Metaphysicę cap. 3. Quantum

tum est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumq; vel vnum quodq; vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse: quæ descriptio explicat essentiam quãtitatis per proprietatem magis notam, nempè per diuisibilitatem. Ponitur primò quantum esse diuisibile in ea, quæ insunt, hoc est in partes, quæ ante diuisionem erant in ipso toto, & illud conflabant. Dicitur, quod vtraq. pars, si quantum diuidatur, vel vnaquæq. pars, si diuidatur in plures partes, sint aptæ esse hoc aliquid, hoc est possint euadere res completæ, & demonstrabiles in ratione quanti, per quas particulas excludunrur composita ex materia, & forma, vel ex partibus diuersæ naturæ, quæ dicuntur heterogeneæ, nam si diuidatur lignum in materiam, & formam, neutra est completè lignum. At si diuidatur quantum in duas partes vtraq. debet esse verè quanta, sic etiam si diuidatur mixtum in sua elementa, quæ sunt heterogenea, certè singula elementa non erunt mixtum, neq. possunt dici hoc aliquid in ratione mixti.

Difficultas tamen est, eo quod materia habeat partes independenter à quantitate, adeoq. est etiam diuisibilis, itaut vnaquæq. pars verè sit materia. Similiter substantia ligni præscindendo à quantitate habet etiam partes, potest enim vna substantia ligni palmaris diuidi in duas partes, quarum vtraq. esset lignum substantialiter. Pro solutioue difficultatis, aduertendum est dupliciter posse diuidi rem materialem, primò præscindendo à scissione, vel tractione, quæ fit per motum localem, & hoc pacto Deus sua virtute palmum ligni diuideret in duos semipalmos sinè vllo instrumento corporeo, & absq. eo, quod duos illos semipalmos faceret distantes inter se, hæc autem diuisio est communis rebus omnibus, quæ habent partes etiam præscindẽdo à quantitate, in quo autem consistat formaliter talis diuisio, dicemus agentes de indiuisibilibus. Secundus modus diuisionis est per separationem localem vnius partis ab alia, sicuti cum cultrum ponimus inter partes panis, vel quando trahimus hinc vnam partem, inde aliam, sicuti cum diuidimus filum, vel scindimus chartam: hic autem secũdus modus diuidendi, qui est connaturalis rebus corporeis requirit resistentiam corporis diuidendi, et sic oritur immediatè à ratione quantitatis.

His positis dico, quod si Deus auferat quantitatem ab hoc ligno non posset amplius diuidi per separationem localẽ, quia si in illud immittatur, aliud corpus nullo modo separabit illud, sed cũ eo penetrabitur. Rursus neq. manus posset illud apprehendere,

quia

Digitized by Google

quia cum ea penetraretur, & sic non esset diuisibile diuisibilitate naturali,& sensibilitate naturali, & sensibili per separationem localem ortam ex resistentia quam habet vnum corpus ne cum alio penetretur. At verò quantum habet naturaliter, vt non penetretur cum alio corpore quanto, & ita naturaliter habet, vt possit scindi,& secari ab alio corpore per separationem localem, in quo valde differt diuisibilitas quantitatis à diuisibilitate substantiæ per se acceptæ.

Controuersia adhuc est,in quo sita sit ratio formalis quãtitatis Alber. M. prædic. quãtitatis cap. 1. Aquar. diluc. 11. met. & alij dicũt cõsistere in ratione mensuræ, & mensurabilis. Fundantur in Arist. qui 3. metaph. cap. 3. ait magnitudinem esse quantam si sit mensurabilis, & orationem esse speciem quantitatis, quia mensuratur syllaba breui, & longa.

Iauellus 5. Metaph. Soncinas ibidem, & alij asserunt rationem formalem quantitatis esse diuisibilitatem. Fundantur in definitione Aristotelis supra allata.

Caietanus 1. p. quæst. 22. art. 1. Capreolus in 2. dist. 19. quæstione vnica,& communiter Thomistæ dicunt consistere in extensione partium in ordine ad se.

Quarta demum sententia ponit essentiam quantitatis consistere in extensione partium impenetrabili, ita Suarius disp. 4. Metaph. & alij Recentiores.

Dico primò,loquendo de mensurabilitate,& diuisibilitate proxima corporum non sunt rationes formales, sed proprietates quãtitatis; mẽsurabilitas autẽ, & diuisibilitas radicalis sunt ipsa essentia quantitatis. Probatur, quia ideo quantitas est mensurabilis proximè,& diuisibilis modo dicto,quia habet tales partes, quæ resistunt mensuræ applicatæ,& corpori diuidenti, ergo mensurabilitas,& diuisibilitas proxima oriuntur tamquam proprietates, quarum prima radix est impenetrabilitas,ergo essentia quantitatis nõ consistit formaliter in mensurabilitate,et diuisibilitate proxima,et formali,sed in ipsarum radice,quæ est impenetrabilitas.

Dico secundò,tam materia, quam formæ materiales etiam accidentales habent partes præscindendo à quantitate. Probatur, materia,et idem dico de formis accidentalibus,per se non est ens indiuisibile, ergo habet partes secundum se. Antecedens probatur, quia si materia esset indiuisibilis in se non posset reddi diuisibilis ab alio,ergo eadem materia,quæ est in capite esset etiam in pede;sicuti eadem anima rationalis tam est in capite, quam in pede

pede. Sequela probatur, quia loquendo precisè de entitate materiæ, si esset indiuisibilis non posset esse in duplici loco nisi eadē, esset enim sicuti Angelus, qui idem est in duplici loco intra suam sphæram. Quidquid autē potest diuidi debet essentialiter habere partes; vndè mathematici definiunt indiuisibile, quod nullas habet partes; Porrò istę partes materiæ habent inter se aliquem ordinem; neq. enim vna est immediatè vnita omnibus, sed solùm alteri, & talis modus partium, dicitur ordo partium in ordine ad se. At verò in ordine ad locum habent ordinem ratione vbicationis, quare si omnes partes Petri redigerentur in punctum, licèt materia capitis esset simul in eodem loco cum materia pedis, nō tamen esset illi vnita, sed esset solùm vnita materiæ colli.

Dico tertiò, ratio formalis quantitatis consistit in exigentia naturali impenetrationis cum alia re quanta, quæ exigentia dicitur formalis impenetrabilitas. Probatur cōclusio per exclusionem aliorum prædicatorum, non enim quantitas potest esse extensio localis, tum quia habetur formaliter per vbicationem, tum quia corpus Christi Domini est in quolibet puncto Hostiæ consecratæ cum tota sua quantitate, & tamen non habet ibi ea quantitas suā extensionem localem, neq. potest esse ratio proxima mensuræ, vel diuisibilitas, vel extensio in ordine ad se, vt vidimus, ergo solùm est impenetrabilitas.

Obijcies impenetrabilitas oritur ex extensione partium in ordine ad se, ergo si materia haberet eam extensionem, esset impenetrabilis,

Respondeo distinguo antecedens, oritur ex extensione partium tamquam ex prima radice concedo, formaliter nego. Dicitur, quod impenetrabilitas prouenit ex extensione partium ordine ad se, ex eo enim quod dentur partes inter se coordinatæ exigunt ne vna sit intra aliam localiter, adeoq; exigunt non penetrari, vnde hæc formalis exigentia ne penetrentur illæ partes tur ex eo, quod illæ partes sint ordinatę inter se.

Pro secunda parte quæstionis an quantitas distinguatur ter à rebus quantis, fuit opinio Nominalium, Ochami in 4. Gabrielis in 2. dist. 10. & aliorū cū Capreolo, quantitatē realiter distingui à rebus quantis. Præcipuum fundamētum ipsorum quia nulla est necessitas talis entitatis distinctæ à re quanta etiam asserunt aliqui recentiores. Cōmunis tamen sententia losophorum, & Theologorum est, quorum plurimos citat disp. 4. metaph. sect. 2. n. 7. asserit dari quantitatem distinctiter à rebus quantis.

Digitized by Google

Dicendum est quantitatē esse accidens distinctum à substantia, & à reliquis accidentibus.

Probatur primò, ex Aristotele 3. physicorum vbi ait, substantiam, & quantitatem non esse vnum, sed multa, & eodem modo distinguit illam à substantia, & textu 33. ait substantiam non esse per se diuisibilem, sed per quantitatem, & 1. metaphysicorum textu 88. dicit, longitudo, latitudo, & profunditas quantitates quędā sunt, sed non substantia, quantitas enim non est substantia, sed magis cui hæc ipsa primò insunt.

Probatur secundò, quia illa distinguuntur realiter, quorum vnum perit, & alterum remanet, sed perit substantia panis in Eucharistia, & remanet quantitas panis, ergo realiter distinguuntur substantia, & quantitas.

Dices primò, remanere quantitatem accidentium, nempe molem illam, quæ est identificata cum accidentibus. Sed contra est, quia si accidentia haberent molem vllam sibi identificatam certè illam prius penetrabant cum mole substātiæ panis, ergo ipsorum moles poterit etiam penetrari cum alia substantia panis nō consecrati, quod patet esse falsum.

Dices secundò, accidentia cum sua mole sibi identificata penetrari naturaliter cum ea substantia cum qua faciunt vnum naturaliter, at cum substantia panis non consecrati, non debent penetrari. Sed contra est, quia etiam calor penetratur cum aqua, quamuis violenter hæc sit substantia, cū qua debeat facere vnum. Præterea Deus posset vnire accidentia huius hostiæ cum alia substantia hostiæ, quandoquidem hæc accidentia sunt ex natura sua indifferentia, vt coniungantur potius cum hac, quàm cum ista substantia, ergo in tali casu naturaliter penetrarentur cum quantitate, seu mole substantiæ, denique vnio nihil facit ad hoc, vt accidentia naturaliter penetrentur, vel non penetrentur, immo vnio debet præsupponere ne accidentia exigant non penetrari cum substantia ad hoc, vt possint vniri intrinsecè cum ea.

Dices tertiò, in hostia consecrata esse modum supernaturalem impenetrabilitatis, per quem redduntur accidentia impēnetrabilia cum alijs corporibus. Sed contra est primō, quia hęc responsio admittit nouum miraculum, ad quod nulla datur necessitas. Secundò, quia hic modus faceret id formaliter, quod facit materia per te, cur ergo potius Deus non reliquit materiam panis sine forma panis, in quo nullum apparet absurdum iuxta tuam respōsionem, et tamen pro certo habemus nihil ibi remanere substantiæ panis.

Confirmatur, quia habemus ex Tridentino, quod debet destrui substantia panis ex vi verborum, quia ex eo, quod verificetur, hoc est corpus Christi, non potest ibi esse panis, sed annihilata solum forma panis, ibi non esset panis, ergo materia deberet remanere, quandoquidem per te remanet effectus formalis materiæ, in quâ tum nobis apparet, quare congruentiùs ad hoc mysterium dicimus quantitatem distingui à materia, et ita quantitas remanet pereunte materia, præsertim cum hic sit conceptus communis fidelium,

Dices quartò, impenetrabilitatem esse ipsam materiam, at in mysterio Eucharistiæ accidentia non penetrari cum alijs corporibus, quia Deus non concurrit per suum peculiare decretum ad hanc penetrationem, vt abscondat mysterium à sensibus nostris.

Sed contra hanc, et similes responsiones est primò, quia tota ratio our natura dederit impenetrabilitatem corporibus fuit, ne corrumperentur ab oppositis; aliter enim ignis posset penetrari cum ligno, et facillimè ipsum destrueret, propter intimam applicationem, sed hæc ratio magis militat pro ipsis formis, tam accidentalibus, quæ sunt primæ, quæ corrumpuntur, quam pro substantialibus, quæ accidentibus corruptis corrumpuntur, ergo potius natura debuisset facere impenetrabiles ipsas formas præsertim accidentales, quã materiam, quę semper esset incorruptibilis, adeoque malè instituisset res, si materiæ dedisset prædicatum sibi inutile, ac superfluum, et illud potius non dedisset formis, quibus erat vtilissimum ad ipsarum indemnitatem. Cum ergo ex alio capite entitates accidentium, et formarum non possent habere hoc prædicatum sibi identificatum, quia sequeretur, quod numquam inter se possent penetrari, neque cum formis substantialibus, quod fuisset maximum inconueniens, debuit natura dare singulis compositis quoddam accidens superadditum ad vtilitatem formarũ, et ipsius totius, quod esset hęc impenetrabilitas.

Nec dicas impenetrabilitatem fuisse datam formis substantialibus; nam contra est primò, quia in sententia probabili dantur simul formæ mixti, et formæ elementares, et formæ partiales simul cum animis materialibus, quales sunt animæ brutorum, ergo hæc impenetrabilitas non est identificata cum formis substantialibus. Secundò, quia nulla esset ratio cur aqua non posset penetrari cum alia aqua; forma enim aquæ nihil sibi timere potest à forma alterius aquæ, et tamen non penetrantur, ergo impenetrabilitas non est identificata cum forma substantiali, si enim esset cum ea identifica-

Digitized by Google

eificata nõn posset esse in ordine ad penetrationem cum altera forma eiusdem speciei, quia respectu illius cessaret tota ratio impenetrabilitatis, at si ponatur distincta impenetrabilitas optimè omne compositum esset impenetrabile cum quocumque alio, siue eiusdem, siue diuersæ speciei, quia illa impenetrabilitas habet exigere ne penetretur vnum compositum cum alio. Tertiò contra est, quia non esset maior ratio, cur natura dedisset hoc prædicatum impenetrabilitatis formæ potius substantiali, quàm accidentali; cum vtriq. sit maximè vtile, et fortasse magis accidentibus, quæ immediatè corrumpuntur à contrarijs, ergo natura nõ potius debuit dare hoc prædicatum formis substantialibus, quam accidentalibus. Quare præscindendo à miraculo Eucharistiæ datur ratio satis bona desumpta ex rerum naturis, cur debeat dari quantitas distincta. Quidquid dicat in oppositum P. Arriaga disput. 5. metaph. sect. 1. qui vt probabilem sequitur sententiam Nominalium, & Ouied. controu. 1. metaph. puncto 1. qui præter auctoritatem communem nullam agnoscit rationem robustam pro nostra sententia. Secundò, contra responsionem suprafactam de miraculo occultando, cui multum fidit P. Arriag. sic vrgeo; Deus solùm reuelauit nobis sub speciebus panis esse corpus Christi Domini, et præter hoc non esse substantiam panis ex Tridentino, non autem reuelauit nobis se facere alia miracula disparata ab his, sed posset esse corpus Christi Domini sub speciebus panis, absque eo, quod Deus faciat alia miracula, nempe, quòd accidentia non penetrarentur cum alijs substantijs; ergo non habemus indicium huius noui miraculi non reuelati; nec satisfacit dicere, ne nobis innotesceret hoc mysterium, nam in primis Deus hoc non reuelauit nempe se nolle, vt nobis pateat hoc mysterium, sed ex natura rei nobis non patet, quia datur ibi quantitas. Secundò neque nobis pateret hoc mysterium etiam si penetrarentur accidentia Eucharistiæ cum alijs substantijs, solum enim tũc pateret ibi esse aliquod diuinum miraculum contra ordinem naturæ, non autem pateret ibi esse corpus Christi Domini: nõ est enim bona cõsequentia præscindẽdo à fide hæc accidentia penetrãtur, vel manẽt modo miraculoso, ergo sub illis est corpus Christi Domini; et adhuc hæretici, qui non credunt Diuinæ reuelationi videntes miraculum dicere possunt esse ibi mysterium aliquod, non autem corpus Christi Domini; Hinc infero esse optimum argumentum, quo vtuntur Auctores communiter non deberi multiplicari miracula, nisi de-

tur ratio conuincens; ratio autem à priori huius argumenti est, quia Deus. vt Auctor naturæ tenetur non decipere nos; si enim posset nos decipere redderemur incerti de omnibus experimentis, quæ naturaliter habemus, nam videntes albedinem in pariete, possemus dubitare nõ esse veram albedinem, sed esse miraculum Dei dantis nobis talem visionem, et sic de cęteris, quare vt habeamus notiones certas de rebus naturalibus, quas experimur debemus esse certi, quod Deus non decipit nos in experimentis.

Respondebis, si accidentia Eucharistiæ penetrarèntur cum substantijs non posset corpus Christi Domini esse cibus, et eius sãguis potus, et non poterat dicere, accipite, et manducate, quia ad hoc, vt aliquid manducetur, et accipiatur debet non penetrari cum manu, dentibus, et palato, vt patet, quarè sufficienter per hæc verba reuelauit hoc miraculum, et sic non decipit nos. Sed contra est primò, quia hoc ad summum euinceret, quod illa accidentia non penetrarentur cum alijs corporibus, non autem, quod deberent calefieri, frigefieri, et pati alias alterationes. quæ nihil faciũt, vt comedantur, et manibus sumantur, cum enim actio naturalis fiat in subiecto, et ibi nullum sit subiectum esset actio miraculosa, de quo miraculo nullum haberemus indicium ex diuina reuelatione. Secundò, quia iam primaria panis sensibilitas, quæ est maximè vniuersalis, quippe, quæ respiciat tactum sensus omnibus communem, non haberetur præcisè ex accidentibus panis, sed ex ipsa panis natura, à qua per se reddũtur ipsius accidẽtia sensibilia, Ergo Christus Dominus præcisè per vnionem sui corporis, cum accidentibus panis non reddidit illud sub signis vniuersaliter sensibilibus, sed secundum quid, cum adhuc per ea accidentia per te non sint tangibilia, si enim nullum vellet facere miraculum per eã vnionem non possent ea accidentia tangi; hoc autem est contra sensum communem fidelium, et PP., qui totam sensibilitatem in hoc Sacramento tribuunt accidentibus, et non miraculo, et sanè numquam concederem hanc propositionem, præcisè per accidentia panis corpus Christi non est tangibile. Fundatur autem communis sensus fidelium in ipsis verbis Christi Domini, cum dixit, hoc est enim corpus meum. Nam per pronomen, hoc, demonstrãtiuum significauit id quod subest his accidentibus panis sensibilibus, & tangibilibus, aliter non esset pronomen adæquatè indicatiuum rei simpliciter sensibilis, sed secundum quid sensibilis nempe per miraculum superadditum, cum de se non sint res tangibiles.

Hinc

Digitized by Google

Hinc denique ratio naturalis oritur ratione sensibilitatis; nã in reliquis sensibus materia, & substantia, nõ est immediatè sensibilis per se, sed medijs accidentibus, nẽpe per colorẽ, odorẽ, sonũ saporem &c. ergo etiã, quia tactu debet esse sensibilis hoc nõ per se ipsam habet, sed per quantitatem superadditam. Impenetrabilitas enim est ratio proxima tactus, per quam redditur res tangibilis, & sinè qua res non esset tangibilis; ergo impenetrabilitas nõ debuit identificari cum substantia, sed cum aliquo accidente superaddito per quod redderetur materia, & tota substantia tangibilis, nulla autem potest assignari ratio, cur natura substantiam non fecit sensibilem à reliquis sensibus immediatè, facit autem immediatè tangibilem per impenetrabilitatem sibi identificatam.

Obijcies, quantitas est solùm subiectum accidentium, ergo non denominat accidentia quanta, quia omnis denominatio sumitur à forma.

Respondeo transeat antecedens de quo suo loco, nego consequentiam, & eius probationem; potest enim aliqua denominatio sumi à subiecto, & ab vnione, quam habet cum illo res, quæ ponitur in subiecto, imo si Angelus esset vnitus cum ligno palmari esset impenetrabilis cum alio corpore ratione ligni cum quo esset coniunctus, & tamen lignum non est forma Angeli, neque subiectum, multò magis ergo id dici potest de accidentibus materialibus, quod nempe reddantur impenetrabilia formaliter à quantitate cum qua vniuntur, licèt illa sit subiectum ipsorum.

ARTICVLVS II.

An Continuum constet partibus solùm potentia distinctis.

NOmine Continui intelligimus non solam quantitatem, de qua locuti sumus, sed quodlibet ens habens partes vnitas, quæ faciant aliquam molem, siue in ordine ad locum, siue secundum se, vndè sub nomine Cõtinui, veniunt materia, & formæ materiales, & vbicationes diuisibiles, & etiam res spirituales habentes partes, omnia enim ista habent rationem aliquam continui, & constituunt aliquam molem, & quia moles, est duplex; altera successiua, nempe motus, & tempus; alia permanens v.g. lignum de vtraq. hìc quærimus, quę est difficillima omnium quæstio.

Pri-

Prima sententia in hac materia asserit in continuo nō dari partes actu distinctas ante diuisionem, & assignationem, sed solum dari potentiam ad partium distinctionem per diuisionem, et assignationem. Hanc sententiam tenet S. Thomas 5. Metaphys. textu 31. & 8. Physicorum textu 68. & alibi, Capreolus in primo, distinctione 43. art. 3. quæst. 1, Henricus quodlibet 4. quæst. 15. P. Albertinus in prædicamento quantitatis disputat. 3. quæst. 6. et multi Recentiores.

Hæc sententia his argumētis impugnatur communiter, primò, quia omnis indiuiduatio cuiuscumque rei, non distinguitur ab entitate ipsius, ex se enim habet hæc res, vt sit hæc entitas, & non alia, ergo hæc entitas vnius palmi, cum ex se habeat, vt sit hæc, et non alia, non potest existere, quin semper sit hæc, quamuis cętera omnia mutentur, et vniantur cum ipsa. Tum sic argumentor hæc entitas palmi, quæ prius erat in vno indiuiduo bipalmari, vel erat hæc, vel non; si erat hæc, ergo etiam tunc habebat per se ipsam nō esse aliam entitatem, ergo tunc distinguebatur ab omni alia entitate. Probatur hæc consequentia, nam illud realiter distinguitur ab alio, de quo verificatur hoc non est illud, sed de hac entitate palmi tunc verificabatur nō esse aliam, ergo tunc distinguebatur realiter ab alia. Si dicas, quod tunc non erat hæc entitas, ergo hęc est producta de nouo, et consequenter entitas bipalmaris, non erat ipsa diuisibilis in duas partes æquales, sed solum erat destruibilis tota, et erant producibiles duæ nouæ entitates, quod hęc sententia non admittit, quia concedit in entitate bipalmari potentiam, vt per diuisionem diuidatur in duos palmos actu distinctos.

Verùm responderi posset huic argumento, indiuiduationem rei identificari cum entitate rei determinata, non autem cum entitate rei, indeterminata, cum enim indiuiduatio sit vltimum distinctiuum rei, per quod distinguitur ab omni alia, entitas indeterminata non potest habere hoc vltimū determinatiuum, quia non habet determinationem. Ex hoc sequitur, quod sola entitas indiuisibilis, v. g. animę rationalis habeat sibi idētificatam omnimodam determinationē, quia per se ipsam adæquatè habet, quod nō sit alia, at verò entitas diuisibilis non habet ex se sola omnimodā determinationem, sed illā ab aliquo alio debet accipere, nępe ab aliqua vnione cōtinuatiua, à qua vnione præscindēdo, neq. habemus palmū, neq. duos palmos, sed solùm habemus aliquid incōpletum, quod si determinetur per duplicem vnionem palmarem distinctam

Digitized by Google

ſtinctã, euadit duo palmi, ſi per vnicam vnionem bipalmarẽ, euadit bipalmaris, & ita pro diuerſa vnione continuatiua habetur diuerſa, & diuerſa indiuiduatio completa, à ſola autem entitate continui, præſcindendo ab vnione iſta continuatiua nihil habetur certi, ac determinati, neq. à parte rei poteſt dari entitas continui ſinè aliqua vnione continuatiua; ſicuti non poteſt dari aliquid ſinè duratione, quia nihil exiſtit indeterminatũ, nomine autem vnionis continuatiuæ non determino hic, quid veniat, ſiue ſit aliquid indiuiſibile, ſiue vbicatio, ſiue alius modus parum facit pro præſẽti difficultate, certè in omnium ſententia debet aliquid venire, per quod duæ partes continui euadant vnum, de quo ſuo loco agetur.

Verùm hæc tota reſpõſio efficaciter impugnatur, planeq. demonſtratur non poſſe ſubſiſtere, quia nõ poſſet hæc entitas vnionis reddere determinatam entitatem continui, niſi illam ſupponeret per ſemetipſam determinatam, ergo entitas continui ſe ipſa antecedẽter ad omnem vnionem continuatiuam eſt hæc entitas indiuidua determinata. Probatur ſubſumptum, quia hæc vnio continuatiua palmaris, ſiuè ſit modus aliquis diuerſus ab vbicatione, ſiue ipſa vbicatio, eſt modus eſſentialiter afficiens non quamcumq. entitatem, ſed vnam certam, ac determinatam, ergo illa entitas, quam eſſentialiter afficit hæc vnio palmaris eſt ſe ipſa determinata. Antecedens probatur, nam hæc vnio palmaris nõ poteſt afficere aliã entitatem, niſi hanc, quia eſt modus illius, & modus eſt eſſentialiter determinatus ad rem, quam modificat. Cum ergo neque de potẽtia Dei abſoluta poſſit hæc vnio modificare aliam entitatem præter iſtam, certè iſtam ſibi determinat. Probatur hinc conſequentia, quod ſcilicèt per hoc talis entitas ſit dererminata ſe ipſa etiam vt contradiſtincta à modo continuatiuo, nam illud eſt determinatum ſe ipſo, quod habet aliquod prædicatum ſibi identificatum, per quod diſtinguitur ab omni alio, ſed entitas continui, quam afficit hæc vnio palmaris prout contradiſtincta ab ipſa vnione palmari habet prædicatum, per quod diſtinguitur ab omni alia re, ergo ſe ipſa eſt diſtincta. Maior videtur certa, nam diſtingui eſt poſſe verificari, quod hoc non ſit illud, ergo quod habet prædicatũ ratione cuius dici poteſt, hoc non eſt illud certè diſtinguitur realiter ab illo. Minor probatur, quia hæc entitas continui, quam afficit hæc vnio palmaris habet hoc prædicatum ſibi eſſentiale, prout contradiſtincta ab ipſa vnione, nempe habet eſſe talem entitatem, quam eſſentialiter reſpiciat hæc vnio palmaris, hoc autem prædicatum non reperitur in vlla alia entitate poſſibili; nulla enim eſt

entitas

entitas in Thesauro Diuinæ omnipotentiæ, quę habeat aptitudinem intrinsecam, vt afficiatur à tali vnione palmari, & vt sit terminus exigentiæ illius, ergo habet prędicatum peculiare, per quod sufficienter distinguitur ab omni alia entitate: quare de hac entitate continui etiam quando erat in entitate bipalmari verificabatur hæc propositio, in hac entitate bipalmari datur entitas apta terminare vnionem paluarē B, & non vnionē palmarem C; & prętterea datur entitas apta terminare vnioné palmarem C. & non alias vniones, ergo dabatur duplex entitas vna distincta ab alia, nempe vna apta terminare vnionem continuatiuam B, non autem vnionem C, altera apta terminare vnionem continuatiuam C, non autem B, ergo dabantur duæ entitates realiter distinctæ.

Dices secundò. Sicuti corpus determinatur ad existendum in hoc loco ab hoc vbi, sic entitas continui determinatur ad essendū hanc entitatem ab hac vnione palmari, ergo sicuti præscindendo ab vbi, corpus Petri non habet esse hìc, sic etiam prescindendo ab vnione continuatiua entitas continui non habet esse hanc.

Respondeo negando paritatem, nam ad hoc, vt corpus Petri sit hic, non debet præsupponi hic, sed solùm debet presupponi capax, & aptum esse hìc, seu aptum terminare hanc vbicationem. Per hanc autem aptitudinem terminandi hoc vbi, non habet formaliter esse hìc. Contra verò entitas continui per capacitatem, quā habet huius vnionis palmaris essentialiter, & formaliter habet esse hanc entitatem, ergo prout contradistincta ab hac vnione, habet distingui ab omni alia re; capacitas enim, quam habet entitas continui respectu huius vnionis palmaris est prędicatum sufficienter iudiuiduās ipsam entitatem continui, sed hanc capacitatē habet antecedenter ad vnionem palmarem, ergo antecedenter ad illam habet distingui ab omni alia entitate. Eadem etiam est disparitas, si fiat ab Aduersarijs paritas durationis cum re durante, res enim durans uon habet esse nūc per capacitatem talis durationis.

Secundò Impugnatur, quia sit entitas ligni bipalmaris, & in vno palmo sit calor albus, in altero niger, entitas, quæ vnitur albedini, non vnitur nigredini, ergo sunt duæ entitates. Antecedens patet, quia totum lignum non est album, & nigrum, sed partim album, partim nigrum. Consequentia probatur, quia materia ligni, quæ producit vnionem cum albedine non producit vnionem cum nigredine, sed quotiescumque de entitate affirmatur prędicatum vnum, & negatur alterum, quod

quod conuenit etiam alij entitati, toties istæ duæ entitates, non sint idem. ergo entitas palmaris A per se ipsam non est entitas palmaris B. Minor probatur, quia id, quod identificatur cum hoc prædicato, quod sit causa vnionis cum albedine, non identificatur cum alio prædicato, quod nempe sit causa vnionis cum nigredine, ergo prędicatum identificatur cum vna entitate, quod non identificatur cum altera: quare hę duæ entitates, quæ constant totum lignũ sunt realiter distinctæ etiam antecedenter ad albedinem, & nigredinẽ, nam antecedenter ad vtramque qualitatem dabatur actualis potentia ad vnionem A, cum nigredine, & actualis potentia ad vnionem B, cum albedine, quæ potentiæ actuales, non erunt vna entitas, propter idem argumentum; vnio enim est modus essentialiter sibi taxans hanc entitatem, & non potest modificare aliam, quare vnio cum albedine sibi taxat hanc entitatẽ, & vnio cum nigredine taxat hanc, vt supradiximus de vnione cõtinuatiua.

Tertiò impugnatur ab aliquibus, quia causa realis adæquata debet distingui à suo effectu, sed si darentur partes in quantitate solũ potentia distinctæ, causa non distingueretur adęquatè à suo effectu, ergo non dantur partes hoc pacto. Maior videtur certa, quod nulla res potest partialiter causare se ipsam saltem immediatè, ergo datur distinctio inter causam, & effectum immediatum. Minor probatur, nam quando successiuè comburitur filum, seu lignum non potest assignari quidnam sit causa, quid effectus, sed quidquid assignaueris pro causa, inuolueret etiam effectum, ergo non distinguerentur causa, & effectus. Consequentia est clara. Antecedens probatur, nam quamcumque partem fili combusti assignaueris pro effectu, continebit causam suam, ponamus enim, quod assignaueris primum digitum ignis producti in filo, quia primus digitus per te est diuisibilis in infinitũ, prima medietas illius digiti, quæ producta fuit, priusquã secũda medietas est causa efficiẽs secundę medietatis, semper enim ignis existens concurrit ad ignem immediatè subsequentem, ergo primus digitus ignis, non est effectus adęquatus solius ignis applicati, sed aliquid ipsiusmet digiti ignis concurrit etiam ad ipsum digitum ignis. Idem dico de secũda medietate eiusdem digiti, quod scilicet non habuerit causam adęquatam, nã hæc secunda medietas est diuisibilis bifariam, & prima pars illius est causa secũdæ, & ita redit argumentũ suprafactum: quare nunquam datur pars aliqua ignis successiuè producti, cuius detur causa adæquata ab ipso contradistincta, quo sanè nihil absurdius esse

potest; omnis enim res, quæ fit, debet habere causam adæquatam à se. contradistinctam.

Verum hoc argumentum æquè militat contra partes actu distinctas; nam accepta quacunq. parte fili combusti, non posset dari causa adæquata ipsius, nam prima medietas vnius digiti fili, fuit etiam causa partialis alterius medietatis, & sic numquam assignabis adæquatam causam alicuius ignis in eo filo, quia ille ignis semper haberet partes, & antecedēs est causa subsequētis, adeoq; quēcumq. ignem acceperis pro effectu inuoluet in se causam eiusdem ignis, quare soluendum est æquè ab omnibus hoc argumentum, qui ponunt continuum esse diuisibile in partes in infinitum.

Quartò, impugnatur; quia in tempore, verè vna pars non est alia, ergo partes distinguuntur. Consequentia patet, nam illæ iterùm se distinguuntur, quorum vnum potest esse, non existente alio. Antecedens probatur, quia quando est prima media hora, non est secunda. imo potest existere prima hora, secūda nō existēte, ergo entitas illa per quam est prima hora non est entitas illa, per quam est secunda. Præterea neque possunt confugere ad modum aliquem continuatiuum; si enim hic modus ponitur totus simul, est cōtra dominiū Dei, vt probauimus, eūm de duratione permanenti, quia per suam entitatem simul positam haberet essentialiter durare mediam horam, sin autem ponetur successiuus redit idem argumentum, quod partes istius modi, non sint vnum, cum possit existere vna, non existente alia.

Impugnatur quintò, nam designatio extrinseca, siue per intellectum, siue per visionem, siue per contactum nihil mutat intrinsecè rem, sed solùm extrinsecè denominat, vt forma extrinseca, ergo si video de entitate bipalmari vnum palmum, & alterum non video, cum per te non detur palmus, & palmus distinctus actu, quando facio visionem, tota illa entitas bipalmaris denominabitur visa, & non visa, quæ sunt contradictoria.

Respōdebis primò, distinguendo dici visam, & non visam adæquatè nego inadæquatè concedo, non sunt autem contradictoria esse visam inadæquatè, & non visā adequatè. Sed contra est nā hæc inadæquatio vel se tenet ex parte visionis solius, vel etiam se tenet ex parte obiecti, si ex parte solius visionis, nihil est ad rem, nam solùm significat visionem non esse claram, ac distinctam, sicuti explicauimus agentes de præcisione obiectiua; de hac tamen visione, quamuis obscura, seu clara peto, habet ne per suam intrinsecam entitatem videre illam entitatem, quam denominat visam.

visam, an possit existere ea visio, sine ea entitate? Primum dici non potest, nam etiam si Deus destruat vnum palmum non visum, & remaneat palmus visus, visio esset prorsus eadem, aliter dicemus, quod quando video vnum palmum maris, si auferatur vna gutta in Indijs intrinsecè, mutatur mea visio; ergo visio taxat sibi aliquã entitatem palmarem, sinè qua esse non posset, de illa entitate peto nunc, est ne illa quam non taxat, non enim taxat totam, & taxat aliquam, sinè qua esse non potest, & eam denominat visam.

Quod si dixeris illud, *inadæquatè*, se tenere ex parte rei visæ, actu dantur partes, illud enim, quod actu non habet aliud, & aliud, nõ potest per suã entitatẽ actu saluare duo contradictoria per inadæquationem; inadequatio enim intrinseca obiecto, est quod partim videatur, & partim nõ, si enim tota videatur adequatur intrinsecè tota ab ipsa visione; quare si verificatur actu, quod per intrinsecã sibi inadequationem videatur, hoc ipso, partes actu admittuntur.

Dices secundò, hoc argumentum, & similia solùm valere de eo, quod est vnum indiuisibiliter, vt est anima, non autem de eo, quod est vnum diuisibiliter. Sed contra est, nam esse vnum diuisibiliter nihil significat aliud, nisi actu esse vnum totum, quod possit diuidi, quod etiã verũ est, si partes essent actu distinctæ, & vnitæ, nam tunc facerent vnum per vnionem, quam habent, sed diuisibiliter, quia possunt separari, & diuidi in duas partes; tu autem præter hoc dicis, non esse duas entitates actu vnitas, sed esse prorsus vnã, quæ tamen possit diuidi in duas, de hac ergo vna entitate, quæ potest diuidi per te in duas, peto an denominetur visa, et redit argumentum suprafactum, quod non probat dari duas entitates diuisas, sed solum dari duas, & præscindit ab hoc, quod actu sint diuisæ, an sint diuisibiles, et non diuisæ, quid ergo iuuat hæc distinctio, quam sepè vsurpatam audiui ad solutionem argumenti, quod probat distinctionem partium, quamuis sint vnitæ, et diuisibiles.

Aliqui recentiores ponunt solùm verbaliter partes in potentia, sed re vera ponunt continuum esse quid *essentialiter* indiuisibile, sed quando ex vna aqua fiunt duæ, dicunt perire substantiam illius & produci duas alias substantias, quod tamen nõ ita clarè asserũt, sed argumentis pressi hoc tandem fatentur. Si enim petas ab ipsis entitas substantialis duarum guttarum, cõtradistincta ab omnibus accidentibus, à diuisione, & negatione diuisionis, est ne entitas, quæ prius erat, quando erant vnita etiam contradistincta ab omnibus accidentibus &c. si dicunt esse eandem (vt oporteret dici in eorum sententia) solùm sequeretur, quod illa entitas substã-

tialis per se sit indifferens, vt sit vna, & vt sint multa, habet enim esse vnam per negationem diuisionis, quidquid sit hæc negatio, habet esse plura per diuisiones; adeoque ex se debet esse indifferens ad vnitatem, & pluralitatem substantialem, sed si dicunt entitatem substantialem duarum guttarum, ita acceptam, vt iam diui, non esse entitatem substantialem earumdem, cum prius vnum faciebant, ergo illa entitas substantialis perijt, & fuerunt productæ aliæ duæ, sicuti si Deus annihilaret, vnam vbicationem indiuisibilem bipalmarem, & loco illius produceret duas realiter distinctas, illi priori æquiualentes. Hæc autem sententia clarissimè soluit omnes difficultates continui permanentis quoad hoc, quia ponit ipsum realiter indiuisibile, sed incidit in plura inconuenientia, nam per vnam ablationem guttæ ab oceano, annihilaretur tota eius substantia, & crearetur alia tota de nouo, & hanc potentiam haberet vnus pulex, intingendo vnum de suis pilis in Oceano, quod repugnat ex ipsa admiratione. Videmus enim, quod natura, vt aliquid destruat, requirit agens potentissimum, quomodo ergo ex vi vnius pulicis destrueret, imo annihilaret totum Oceanũ. Præterea annihilatio, & creatio est solius Dei, vt suo loco probabimus, ergo non posset pulex annihilare totum Oceanum, & alium creare. Quod autem annihilaret, & crearet, patet ablatis tergiuersationibus vocum, nã verè cessaret esse ea entitas materiæ, quę fuisset prius, & verè alia esset de nouo, quæ prius non erat, ad quam ponendam non concurreret alia materia, nec subiectum; ergo non potest negari, quod re vera crearetur illa materia, quibuscumque tandem vocibus vtaris.

Præterea neque saluaretur difficultas de partibus actu distinctis in motu, ac tempore, & in omni continuo successiuo, quia ibi nõ potest poni aliquod tertium, quod destruatur, & producantur duo æquiualentia illi, ad hoc enim requiritur permanẽtia; vt patet. Denique est contra Aristotelem, & communem consensum omnium Scholarum, & contra Concilium Tridentinum asserens in qualibet parte hostiæ consecratæ, esse totum Christi corpus; at in hac sententia nullas partes hostia haberet, nam entitas, quæ est in vna medietate, nec actu, nec potentia est distincta ab entitate alterius medietatis, non actu, quia sic dicis, non potentia, quia illa entitas implicat, quod possit euadere vnquam distincta ab alia, nec de potentia Dei absoluta, quamuis possint fieri aliæ duę entitates. Denique est contra experientiam; experimur enim in nobis ipsis pedem non esse caput, adeoq. debet dari aliqua distinctio inter illas entitates saltem potentiales.

Sunt

Suar præterea contra sententiam ponentem partes solùm potentia distinctas multę aliæ difficultates, quæ tamen magna ex parte sunt communes sententiæ partes actu distinctas admittenti, quare potius sunt difficultates contra admittentes continui diuisibilitatem in infinitum: nempe quomodo uniantur partes continui, quomodo fiat rarefactio, & condensatio, adeo vt quantitas, & materia, quę prius occupabant duos palmos, occupent vnum sinè penetratione partium; & è contrario quomodo fiat, quando prius occupabant vnum palmum, deinde occupent duos; præterea, quo pacto in rota moueatur pars vicinior centro, tardiùs, quàm partes remotæ à centro, cum omnes illæ partes faciant continuum, & vnam entitatem.

Denique sunt difficultates Theologicæ de merito, & augumento charitatis, quo pacto non sit meritum infinitum pro vno actu charitatis vnius horæ, cum in eo sint assignabilia instantia in infinitum, et singulis instantibus illius actus debeatur aliquod certum præmium.

ARTICVLVS III.

An Continuum tam permanens, quam successiuum constet puris indiuisibilibus.

FVit sententia Zenonis, Democriti, et Stoicorum, Cõtinuum, tam permanens, quàm successiuum componi ex solis indiuisibilibus, contra quos argumentatur Aristoteles, afferens multas demonstrationes mathematicas. Hęc sententia dupliciter potest intelligi; primò, quòd continuum constet ex indiuisibilibus mathematicis, hoc est, quæ singula occupent spatia prorsus indiuisibilia. Secundò potest intelligi, quod continuum constet partibus realiter indiuisibilibus, quæ tamen singulæ occupent spatium virtualiter diuisibile iuxta vtrumque sensum instituimus quæstionem; Et quoad primum dicimus hanc sententiam incidere in absurda manifesta, loquendo de continuo permanente.

Probatur primò, ab Aristotele hac ratione; quia vnum indiuisibile hoc pacto acceptum, coniunctum alteri, vel facit aliquam extensionem, vel non? Si dicas secundum, continuum non constat solis indiuisibilibus, quę sunt inepta ad faciendam extensionem. Si dicas primum, ergo vnum indiuisibile spatij, est extra aliud, ergo non se tangunt secundùm se tota, et consequenter habent partes.

Prima

Prima consequentia patet, quia si vnum non esset extra aliud, non facerent maius spatium. Secunda consequentia probatur, nam si se tangerent secundum se tota, nihil vnius esset extra aliud, quādoquidem non habent partes. Caterùm quātam vim habeat hoc argumentum infra videbimus.

Secūdò probatur ex motu, sequeretur enim quod mobile velox, conficeret idem spatium eodem tempore, quo conficit mobile tardum, nam dum equus progreditur vnum indiuisibile spatij, formica non potest progredi minus spatium, indiuisibili, ergo si singulis instantibus vtrumque mobile conficit singula indiuisibilia spatij, certè tota hora, quæ constat puris instantibus, vtrumque mobile conficit idem spatium quod est contra experientiam.

Neque dicas cum Arriaga hic disput. 16. sect. 11. numer. 223. et Oued. hic contro. 17. puncto 9. num. 2. Galenum pro se, et Vallesium citantibus, quod formica postquam conficit vnum indiuisibile, quiescat ibi per centum instantia, verbi gratia, et equus quiescit per quinq. instantia, et hinc dicitur velocius moueri. Probatur enim oppositū motu lineæ rectæ, quę circa centrum voluatur, ponamus enim lineam rectam A B, moueri circa centrum continuò, certe si non moueretur secundum omnes partes, talis linea inflecteretur, nam partes, verbi gratia versus A, si mouerentur, et quiescerent partes B, non amplius hę partes iacerent in directum, quia non amplius essent omnes in eadem distantia, in qua erāt prius,



cum iacebant in directum, hoc est facientes vnam lineam rectam. Hoc posito sequeretur, quod punctum A, dum mouetur vno indiuisibili spatij, punctum B, non possit moueri minus, ergo vna hora tantùm spatij conficit punctum A, quantùm punctum B, quod est absurdum; quare non possumus negare, quod et omnia puncta lineæ A B moueantur, et præterea omnia moueantur æqualiter, quia singulis instantibus per singula puncta mouerentur, hæc impugnatio innititur euidenti principio, de quo agemus cum de circulo maiori, et minori erit sermo.

P. Oued loco citato num 33. gloriatur se reperisse gordiani nodi solutionē, et consuluisse Mathematicos doctissimos, qui omnes vno ore dixerunt, exhauriri eius respōsione totam difficultatē. Solutio autem eius videtur consistere in eo, quod ponat indiuisibi-

lia,

lia, quæ sint res, et indiuisibilia. qnę sint modi vnientes ipsas res; videtur autem istos modos indiuisibiles collocare, inter duo indiuisibilia, quæ sint res, ita vt duo indiuisibilia, quæ sint res, cũ vno modo indiuisibili intermedio, occupent tria puncta spatij diuersa, ex quo infert posse in linea superiori moueri vnũ indiuisibile, quod fit res, occupando locum modi subsequentis, absque eo, quod separetur ab indiuisibili superiori immoto, verbi gratia sit linea superior constans tribus punctis, et duabus vnionibus indiuisibilibus, sintque littera A pũcta lineę, littera O. vniones indiuisibiles, sitque hæc linea notata littera B. Rursus sit linea inferior constans ijsdem pũctis notata D. Certè, quia istæ duę lineæ sunt inter se vnitę, debet dari linea intermedia C, in qua sint vniones, inter indiuisibilia superiora, et consequenter ne detur linea C. tota constans solis vnionibus collocari debent in ea alternatim puncta, quæ sint res, hoc posito, dicit; moueatur linea superior B, per



sistente linea inferiore D, ita vt pũctum A, occupet locum, quod occupabat prima vnio O, vt patet in hac figura, adhuc primũ indiuisibile A, lineę superioris erit vnitũ cum indiuisibili primo A, lineę D, vnde infert posse fieri motum lineæ circa centrum cum parua inflexione ipsius, quę non est sensibilis.



Tota hæc solutio repugnat euidenter demonstrationibus mathematicis, et clarissimis rationibus; nam in primis tota hęc constructio linearum, etiam dato, quod dentur modi indiuisibiles intermedij inter singula puncta, occupantes diuersa spatia indiuisibilia (aliter nihil esset solutio) sibimet repugnat; accipio enim prima duo puncta lineę superioris, et primũ inferioris cum sua vnione intermedia, certè hæc tria non possunt occupare in illo instanti maius spatium, quam trium indiuisibilium, aliter occuparent spatium maius se, in aliquo instanti, ergo, vel inflarentur, vel essent simul in duplici loco, sed per constructionem ipsius Auctoris occuparent spatium maius, quam trium indiuisibilium, ergo sibimet repugnat. Subsumptum demonstratur, nam quando illa tria indiuisibi-

uisibilia erant collocata vnum super aliud perpendiculariter v.g. in hac linea, occupabant spatium trium indiuisibilium; At verò si A, superior intelligatur moueri persistente A inferiori, occupabunt non amplius perpendicularem lineam trium pũctorum, sed obliquam, vt patet, hæc autem recta obliqua est maior, quam recta perpẽdicularis, vt patet ex hoc triangulo, in quo recta obliqua est opposita angulo recto, & linea recta, in qua prius erant puncta vnum super aliud, est opposita angulo ácuto, ergo ex demõstratione libri primi Euclid. est maior obliqua, quam illa recta, in qua erant prius tria illa indiuisibilia, & tamen obliqua constat etiam tribus indiuisibilibus, quod implicat.



Secundò implicat, quia vel linea intermedia nempe C. mouetur, vel quiescit, si mouetur, non poterit moueri nisi per dimidium punctum, quòd implicat. Sequela petet; nam si ea moueretur etiã vno indiuisibili spatij, fieret hæc figura, in qua duo essent absurda. Primum, quod singulæ lineæ transuersæ, cõstantes tribus punctis, quæ sunt quinque, non essent amplius rectæ, sed circulares, nam per tria puncta non posita in directum, circulus duci potest, vt demonstrant Mathematici. Secundum, destrueretur suppositio facta, quod in omni recta linea post punctum rei, sequitur modus, nam vt videtur in hac figura, prima linea recta transuersa, quæ esset post punctum A, lineæ inferioris, constaret A, & duobus O, secunda constaret O, & duobus A, ita vt vnum sit perpendiculariter supra aliud. Præterea præscindendo ab his absurdis & admissa ista solutione, adhuc nihil



soluitur de motu lineæ circulariter circa idem punctum, tamquam centrum, sit enim recta linea A C. quæ constet, verbi gratia centum digitis, et intelligatur moueri circa punctum A, ita vt circulum describat, puncto C, describet etiam circulum puncto B, quod est terminus primi digiti, certè circulus à puncto C. designatus erit plusquam cẽtuplus, respectu circuli designati à puncto B, vt demonstratur ab Euclide libro 10. ergo ad hoc, vt punctum B,



tran-

transeat vnum indiuisibile spatij, punctum C, debet transire plus quam centum, & consequenter debebit curuam recta A C, plusquã per centum indiuisibilia, ad quod nihil facit tota doctrina præcedens, quæ solùm intendebat probare solam curuitatem per vnum indiuisibile.

Præterea hæc recta linea A C, ponatur esse Angelus semper seruans rectitudinem, certè poterit circumagi circa punctũ A. quid iã fiet in tali casu, in quo nulla daretur curuitas inea recta? Deniq; rectat argumentum euidens contra hanc solutionem, de quo infra cum agemus de circulo maiori, & minori.

Probatur tertiò, quia dantur multæ demonstrationes Mathematicæ contra hanc sententiam. Primò sequeretur diametrum quadrati esse æqualem costæ, hoc est lateri eiusdem quadrati quod in libro 10. elemen. Euclidis demonstratur esse non posse. Ponamus lineam lateris vnius solùm esse decem punctorum, ducantur tamen lineæ rectæ, singulæ à singulis punctis lateris vnius, ad singula puncta lateris oppositi, certè secabunt diametrum, & quia inter singulas has decem lineas non datur spatium intermedium, occupabunt hæ lineæ solùm decem puncta in diametro, quæ puncta erunt immediatè vnum post aliud, ergo tota diameter continebit solùm decem puncta, adeoque æqualis costæ.

Conantur huic demonstrationi respondere P. Arriag. loco citato num. 124. & Ouied. hic puncto 10. num. 8. dicentes lineam diametralem transire per aliqua duo puncta eiusdem lineæ parallelæ costæ, & sic esse maiorẽ costa habebit enim plura puncta, quam costa. Hæc responsio incidit in duo manifesta absurda. Primum est, quod admissa solutione adhuc sequeretur diametrum esse cõmensurabilem costæ, quod ab Euclide libro decimo demonstratur esse impossibile, adhibente pro medio termino, quia non potest se habere respectu costæ, sicuti numerus ad numerum, quod est rem esse commensurabilem cum alia, quia quilibet duo numeri habent mensuram communem, nempe vnitatem, quod autem iuxta solutionem datam diameter esset commensurabilis costæ, patet, nã hoc ipso, quod constaret punctis, quamuis pluribus, quam costa, quæ etiam constat punctis, se habebit ad costam, sicuti numerus ad numerum, nempe, sicuti numerus punctorum, quæ in ea sunt, ad numerum punctorum, quę sunt in costa, quid ergo conantur respondere ad demonstrationes mathematicas? melius esset omnes negare, & arguere scientiam euidentem falsitatis, vt

sic soluant gordianum nodum. Secundum absurdum est contra ipsam definitionē, ac notionem lineæ rectæ, quæ est, quod ex æquo interiaceat inter sua pūcta, vel assignent ipsi aliquā aliā definitionem, certè numquam cum ea stare poterit, quod linea recta, qualis est diameter, ducta de puncto ad punctum, possit secundum vnā partem sui coæquari, cum vna recta, & secundum alteram partem sui coęquari cū alia recta parallela respectu prioris; hoc autē sequeretur ex responsione, nam diameter habet per vos duo pūcta in vna linea recta, costæ parallela, consequenter per ea duo puncta illi rectæ coæquatur; in eo enim duo coæquantur inter se, in quo sibimet mutuò congruunt (quod est primum principium) præterea eadem diameter secundum alia duo puncta penetraretur, & coæquaretur cum alia recta parallela primæ, ergo verè sequeretur hoc absurdum, quod eadem recta secundum vnam partem coæquaretur vni rectæ, & secundū aliam, alij priori rectæ parallelæ, adeoque esset diameter linea non recta, sed vndosa, quod non eueniret ex eo, quod non possumus eam pingere ad sensum, nisi vndosam, vt putat P. Arriag., sed quia non possumus mente concipere, nisi vndosam, quia æquaretur duabus, & pluribus rectis inter se parallelis, adeoq. realissimè esset vndosa.

Secunda demonstratio est, quia circulus maior, esset æqualis minori facto ab eodem centro, fiat enim circulus maior quinquaginta punctorum, & circulus minor viginti quinque punctorum, certè si à centro ducantur quinquaginta lineæ rectæ ad puncta singula circuli maioris, transibunt hæ rectæ per minorem, ergo designabunt in minori quinquaginta puncta, per quæ transibunt, nō enim possunt transire per spatium minus puncto, neque possunt transire duæ per idem punctum, ergo per diuersa puncta, adeoque circulus minor, haberet quinquaginta puncta sicuti maior.

Hanc demonstrationem de more soluunt P. Arriag. & P. Ouied. loco citato, dicentes, aliquas rectas debere transire per idem punctum circuli minoris. Sed hoc est contra principium Mathematicorum, quod non possint duæ rectæ habere idem segmentum cōmune. Videntur tamen hoc principium negare; quia non demonstratur, sed prima principia non debent demonstrari. Fundatur autem hoc principium in definitione, & essentia lineæ rectæ, quæ ex æquo interiacet inter sua puncta. Cum ergo duo puncta circuli maioris occupent diuersum locum indiuisibilem, vt supponit sententia Zenonis (non enim penetrantur) implicat lineam esse rectam,

Digitized by Google

tam, & deflectere ad hoc punctum dextrum, si erat recta terminata ad sinistrum, nam deflectit à rectitudine, si enim linea A B C, est recta, linea A B D, deflectit à rectitudine, quia deflectit ad spatium diuersum à recto. Certè contra negantes prima principia non est disputandum: verum vt ostendatur magis veritas in re clarissima. Peto ab Aduersarijs ad hoc, vt aliqua linea non sit recta, sed faciat angulum, quantum vnum eius latus debet dilongari à recta, v.g. linea A B C, sit recta, & linea A B, B D, non sit vna recta, sed sint duæ facientes angulum in B, peto linea B D, quantum debet dilongari



à puncto C, quod est vltimum lineæ rectæ A C, ad hoc, vt faciat angulum; nam per vos si solùm dilongatur vnico puncto, non ideo cessat à rectitudine, quot ergo punctis debet dilongari à puncto C, punctum D. vt linea BD, non sit amplius vna recta cum segmẽto communi B A, fortasse neque per vos sufficit vt dilongetur per duo puncta,



neque per tria, neque per quatuor, sed certè aliquando dilongabitur, ponamus ergo requiri mille puncta (eadem autem erit vis argumenti si ponatur maior adhuc numerus punctorum) sit ergo circulus cuius semidiameter sit centum millia puncta, certè tota circumferentia cum sit plusquam sex semidiametri, erit plusquam sexcenta millia puncta; rursus sit circulus minor, cuius semidiameter sit decem puncta, erit eius circumferentia aliquanto plus, quam sexaginta puncta, sit ergo summum centum, vt sim liberalis Aduersarijs, cum ergo lineæ, quæ ducuntur ad centrum ab omnibus punctis circuli maximi, sint sexcenta millia, per singula puncta circuli minoris debent transire plusquam mille, imo plusquam decem millia linearum, ergo quia linea A B C, est recta, & linea B D, dilongatur in puncto D, à puncto C, plusquàm mille pũctis, recta linea AB, BD, non erit vna recta, sed duæ facientes angulum in puncto B, ecce quo pacto etiam admissa responsione aduersariorum non soluitur demonstratio contra Zenonem,

nem, quod nempe à circulo maiori, non possint duci rectæ ad centrum, quæ transeant per puncta circuli minoris.

Neque dicas hanc demonstrarionem facere contra sententiam Aristotelis, quia debent esse plura indiuisibilia in circulo maiori quàm minori, ergo impossibile est quod rectæ omnes, quæ duci possunt à circulo maiori, transeant per diuersa puncta in circulo minori, quia essent totidem puncta in circulo maiori, quam in minori. Nam qui negant indiuisibilia, dicunt posse dari lineas in infinitum, quæ semper diuidunt circulum minorem, in minutiores partes, nulla autem est possibilis diuisio in quātitate maiori, quæ non sit possibilis etiam in minori, faciendo tamen semper partes minores in ea, & ita qui admittunt indiuisibilia dicunt non posse dari duo indiuisibilia immediata, neque sibi maximè proxima, quia, cum inter punctum, & punctum in ea sententia detur pars diuisibilis in infinitum, implicat dari duo puncta in eadem linea maximè vicina, sicuti dātur in sententia Zenonis, adeoq. implicat dari omnes lineas ab omnibus punctis circuli maioris ad centrum, sed posse dari plures, & plures in infinitum. Caterum si hæc sententia in hoc aliquid laborat, de quo infra, non debet teneri semper enim demonstrationes certæ, & euidentes debent ab omnibus affirmari, & potius probabilia negare, quàm à certis, & euidentibus discedere.

Tertia est, omnis linea potest bifariam diuidi, si ergo esset linea quinq. punctorum non posset diuidi bifariam, ergo non potest constare ex solis punctis.

Quarta est; supra lineam quinq. punctorum triangulum constituatur, et singula duo latera reliqua sint decem punctorū, à singulis punctis laterū rectæ ducātur, quo posito, linea, quæ erit basis, habebit quinq. puncta; secunda est minor basi, quia duo latera trianguli semper restringuntur, ergo est quatuor punctorum, consequenter tertia erit trium punctorum, quarta duorum, et quinta vnius, ergo sexta, et septima vsq. ad decimam erunt minores vno puncto, quod implicat.

Responsiones Aduersariorum ad hæc sūt similes superioribus, quæ à nobis satis superq. clare impugnatæ sunt.

Multæ aliæ fieri possūt demonstrationes, sed sufficiant hæ communes, quæ valent, tametsi ponātur puncta infinita, si enim puncta infinita faciāt extensionē, debet quodlibet punctū facere extensionē.

Dixerunt aliqui recentiores hæc argumenta non habere vim, quia

quia Zeno, & alij Philosophi possent respondere negando postula-
ta mathematica, verbi gratia, dato pũcto, & spatio potest dari cir-
culus. De puncto ad punctum duci potest linea recta; & similes
propositiones quæ assumuntur tamquam certæ, ex eo, quod suppo-
natur quantitas non constare ex solis indiuisibilibus, ergo negata
hac suppositione, corruunt hæ demonstrationes. Verum nullo vn-
quam argumento reuocandum est in dubium, quod omnium se-
culorum auctoritate semper habitum est, vt certissimum nulla fac-
ta suppositione. In primis enim si Mathematica est scientia, vt iã
ab omnibus & ab ipsis etiam stoicis existimatur, non debet suppo-
nere aliquod principium, quod non sit certum simpliciter, sed in-
nitatur suppositioni dubiæ, & præscindẽdo ab ea possit negari; scię-
tiæ enim sunt simpliciter certæ, & reduci debent ad prima princi-
pia indemonstrabilia, si ergo aliquod principium, seu postulatum
mathematicum ad hoc, vt acceptetur vt verum, debet præsuppo-
nere aliquam propositionem certè illa propositio dubia esse non
debet, aliter non haberet veras demonstrationes illa scientia, sed
imiteretur principio dubio, quod simpliciter ab aliquo negari pos
set. Secundò, etiam contra eã, quia præscindamus, quod continuũ
constet, vel non constet solis indiuisibilibus mathematicis certè lu-
mine naturæ patent eæ suppositiones, quas Mathematici suppo-
nunt posito, quod continuum sit extensum, & occupet spatium di-
uisibile: demonstrationes enim geometricæ, sunt potius de spatio,
quàm de re: posito ergo spatio diuisibili, & aliquo puncto debet
posse dari circulus circa illud pũctum, quia semper possum intelli-
gere æqualem distantiam circumcirca illud punctũ, vndè etiam si
sit pũctum post punctũ, et vno immobili, alterum circa ipsum mo-
ueas, designas per illum motum aliquem circulum, quare hæc
veritas non pendet ex eo, quod continuum constet, vel non constet
solis punctis; similiter patet lumine naturæ, quod data quacumq.
linea finita, possit semper fieri alia maior, quia semper potest fieri
additio; quod debeat dari definitio lineæ rectæ; quod ea, quæ si-
bi congruunt sunt æqualia; et sic de reliquis principijs mathema-
ticis, adeoq. mathematica non supponit quantitatem constantem
partibus, sed demonstrat positis suis principijs, quæ vera sunt ex
hoc præcisè, quod spatiũ sit diuisibile, et habet extensionem præ-
scindendo ab eo, quod hæc extensio sit constans, vel non constans
solis punctis, ex quibus principijs demonstrat non posse compo-
ni solis punctis; quia probat quamlibet lineam finitam esse diuisi-

bilem

bilem bisariam, et cæteras demonstrationes.

Afferam præterea argumentum, quod ni fallor videtur efficacissimum, etiam præscindendo ab omni principio mathematico. Certè enim duo pũcta sibi immediata, semper eodẽ pacto se habẽt, cum enim sint perfectè indiuisibilia, omnino si sunt immediata, eodem modo inter se se habent. Peto iam duo puncta sibi immediata faciunt ne lineam rectam, an curuam? Si rectã, ergo nulla datur linea curua, si curuam, ergo nulla datur linea recta, probatur consequentia, nam faciant rectam, certè addito tertio puncto facient etiam rectam cum puncto sibi proximo, quare tria puncta, erunt duæ rectæ, et quatuor puncta erunt tres rectæ, et sic semper erunt multæ rectæ, siue faciant angulum inter se, siue non faciant, multæ autem rectæ non possunt facere curuam. Idem valet si duo puncta faciant curuam, faciunt enim plura puncta plures curuas, sed non facient rectam.

Dices, duo puncta faciunt lineam, sed indifferentem ad rectã, et curuam, determinatur autem ad curuitatem, seu rectitudinem, à collocatione tertij puncti. Sed contra est euidenter, nam collocatio tertij puncti respectu sibi proximi, faciet etiam lineam indifferentem ad rectam, et curuam, ergo solùm determinabit rectam, vel curuam lineam, si collocabitur tali, vel tali modo respectu primi. Dicas ergo mihi quomodo collocandus est respectu primi pũcti, vt faciat curuam? Si colloces ab eo distans vno puncto, facit ne rectam, an curuam? duo enim puncta vnita cum vno intermedio, non possunt inter se distare magis vno puncto, vt per se patet, ergo quomodocumq. colloces, vel omnia tria se tangent, itaut primus tangat secundum, et tertium, vel duo extrema distabunt vno puncto, minus enim distare non possunt, ergo vel semper faciunt rectã, vel semper curuam, si duo extrema puncta, se non tangunt, vel si se tangunt, faciunt superficiem trium punctorum.

Neque recurras ad quartum punctum, nam æquè militat argumentum, nam quartus, vel distat à primo duobus punctis, vel minus, si duobus erit linea, vel recta, vel curua, si minus, non distabit nisi vno puncto (non enim potest distare vno tantum cum dimidio) ergo à secũdo puncto non distabit, adeoq. erunt tria vltima puncta sibi omnia vnita facientes superficiem, et non lineam. Hoc argumentum desumitur ab essentia rectitudinis, et curuitatis, quæ non possunt componi ex solis indiuisibilibus, sed ex partibus taliter collocatis.

Eodem

Eodem etiam pacto demonstratur in hac sententia Zenonis nō posse dari vllum angulum, vt patet in hac figura; sit enim angulus in puncto A, probo non esse angulū,



sed ea quinque puncta E D A B C. acere vnā lineam rectam; nam pūcta B D, vnita puncto A, si non distant inter se, faciunt superficiem trium punctorum, si distant faciunt vnam rectam trium punctorum (distant enim inter se vno puncto duo autē pūcta distantia vno intermedio faciunt rectā, quia nō possunt magis distare, posito, quod sint vnita illi intermedio, ergo tria pūcta D A B, sunt vna recta. Similiter punctū C. vnitū puncto B, distabit à puncto A, vno puncto intermedio, nempe puncto B, ergo hæc tria puncta A B C, faciunt vnam rectam, sed etiam puncta D A B, faciebant vnam rectam, ergo quatuor puncta D A B C, faciunt vnam rectam, nam punctum D, à puncto C, distat duobus punctis, sed etiam pūcta E D A, ob eamdem rationem faciunt vnā rectam, ergo punctum E, facit vnam rectam cū reliquis quatuor, distat enim à puncto C, tribus pūctis intermedijs, quæ sunt vna recta, ergo numquam dabitur angulus, eadem enim est ratio de pluribus punctis, quæ est de quinq; vt per se patet.

Objicies, si quantitas non constaret solis punctis mathematicis, Deus vna ala muscæ posset obtegere mille mundos, imo infinitos, quia loquendo de spatio illius alæ, potest diuidi in infinita spatia, quæ haberēt minorē crassitiem, quam ala muscæ, & eamdē latitudinē. Ergo collocando ista æqualia spatia, sed minus, et minus crassa obteget tandem aliquando mille mundos, cum habeant superficiem finitam, et nullum sit spatium finitum, quod ala muscæ secūdum latitudinem multiplicata obtegere non possit. Quod autem ala muscæ sit diuisibilis in infinitum patet, quia si facta aliqua diuisione tandem illæ partes non possent amplius diuidi, sequeretur, quod essent indiuisibiles, adeoq. ala muscæ constaret solis indiuisibilibus, quod à nobis non conceditur.

Respondeo concedendo totum argumentum, in quo nihil est absurdi, licèt sit multum admirationis, sed hinc admiramur potentiam Conditoris, qui semper possit assignare spatium minus, et minus crassum in infinitum æquale, quoad longitudinem, et latitudinem alæ muscæ.

AR-

ARTICVLVS IV.

An Continuum constet indiuisibilibus, diuisibiliter locatis.

COmpositionem ex partibus indiuisibilibus alio modo explicauit Eminentiss. Card. de Lugo, dum in Hispania Philosophiam doceret, inuenit enim nouam quamdam viam componendi continuum ex partibus finitis, realiter quidem indiuisibilibus, sed occupantibus spatium virtualiter diuisibile, et realiter indiuisibile. Dicitur spatiũ virtualiter diuisibile, & realiter indiuisibile vbi illud, quod non habet quidem partes, et consequenter neque de potentia Dei absoluta diuidi potest, sed tamen, tale est, vt possit dari spatium aliud, minus illo, sic dicunt aliqui in Angelis dari vbi indiuisibile realiter occupans totam hanc scholam, quod tamen est virtualiter diuisibile, quia potest dari vbi minus illo, et potest quidem æquiualere vbicationibus innumerabilibus, quæ minores, et minores possunt esse in spatio imaginario huius scholæ, tale ergo vbi ita debet esse in toto spatio imaginario, vt debeat etiam esse in qualibet parte eiusdem spatij; concipiendo enim vbi minora in infinitum, inclusa in eo spatio, totum est in quolibet illorum vbi, et totum est in omnibus illis simul acceptis, quare dicit hæc sententia continuum permanens constare punctis finitis indiuisibilibus; occupantibus spatium solùm virtualiter diuisibile; tempus verò, et durationem successiuam constare instantibus finitis omnino indiuisibilibus, etiam virtualiter, propter peculiarem rationẽ, quia nimirùm si illa instantia essent virtualiter diuisibilia æquiualerent pluribus minoribus in infinitũ, quod esset absurdũ, et contra dominium Dei, vt probatum est indurationẽ permanentem, Deus enim non posset destruere entitatem illius instantis virtualiter solùm diuisibilis pro quolibet instanti imaginario.

Hæc sententia facilè soluit omnia absurda, et explicat omnes difficultates in alijs sententijs ferè inexplicabiles, solùm admittit aliquid nouum apud Philosophos, et repugnans principijs Aristotelicis de continuo. Id ergo, quod præcipuè nouum admittit est rem materialem, et ipsam etiam materiam constare paruulis entitatibus finitis, quæ sint totæ in toto suo spatiolo imaginario, et totæ in qualibet parte illius spatioli, quod sanè non admittitur

cur communiter, nisi de rebus spiritualibus. Cæterum neq. hoc videtur repugnare; si enim hoc repugnaret ex natura rei, neq. miraculosè posset effici, sed fit miraculosè in corpore Christi Domini, quod licèt sit materiale; tamen de facto in Sanctissima Eucharistia, est totum in tota hostia, & totum in minima qualibet parte ipsius, ergo non repugnat ex terminis, quod res materialis posit ita se habere respectu parui spatij, quantum esset millionesima pars acuminis vnius acus, quod autem indiuisibile realiter occupet spatiũ imaginarium diuisibile, neq. est contra naturam rei indiuisibilis, nam etiam Angelus potest occupare spatium huius scholæ, per vbi indiuisibile realiter, iuxta probabilem sententiam.

Dices repugnare ex eo, quod talis res non esset amplius materialis, quia de ratione rei materialis est saltem posse occupare diuersa spatia, per diuersas sui partes, quod prædicatum non haberẽt puncta Continui. Sed contra est, quia licèt verùm sit, quodlibet materiale concretum habere, quod possit occupare plura spatia per diuersas sui partes, quia quodlibet materiale concretum debet componi pluribus punctis, tamen loquendo de punctis ipsis materialibus, non debent habere hoc prædicatum, neque ideiroo amittunt conceptum rei materialis, nam sunt natura sua ordinata ad constituendam rem materialem, quo pacto non est ordinatus Angelus; præterea exigunt quantitatem naturaliter, hoc est impenetrabilitatem cum alio puncto, quæ prædicata non conueniunt rei spirituali, vt suo loco dicemus. Ratio enim rei materialis habetur per exigentiam quantitatis, non per diuisibilitatem, vel indiuisibilitatem: quare cum hoc præditatum, neq. implicet ex terminis; et exemplo Eucharistiæ facilius reddatur, solùm restat esse reijciẽdã hãc sententiam, quia nõuum hucusq. apud Philosophos asserit, & repugnans principijs Aristotelicis, quamuis de cætero bene videatur soluere omnia absurda.

Hanc sententiam acriter impugnat P. Arriag. hic sect. 9; sed eius impugnationes facillimè soluuntur. Primũ argumentũ est, nã vel in spatio imaginario possunt dari puncta omninò indiuisibilia, vel nõ, si primum incurritur in sententiam Zenonis; si secundum, solũm differt hæc sententia ab Aristotelica, quod illa ponat partes in infinitum diuisibiles in Continuo, hæc verò ponat illas saltem virtuales in solo spatio, ergo nõ fugit difficultates sententiæ Aristotelicæ. Sed contra est, nam hoc ipsum non ponere actu in spatio partes actuales, neque potentiales per diuisionẽ, euitat magnam, & difficiliorem partem argumentorum sententiæ Aristotelis, in qua

difficillima sunt argumenta, tam contra partes in potentia, & per diuisionem possibiles, vt sint actu, sicuti vidimus, quàm cõtra partes, si ponantur actu distinctæ, vt infra videbimus, siue dentur, siue non dentur indiuisibilia inter eas partes; At hęc sententia ponit finita, entia actu adæquatè inter se distincta, & finita etiam spatia realia solùm virtualiter diuisibilia.

Dices in hac virtuali diuisibilitate redeunt argumenta, quæ fiunt cõtra sentẽtiam Aristotelis, nam ipsum spatium imaginariũ, debet poni esse actu diuisibile in infinitum, ergo in eo refringitur hæc sententia; hęc impugnatio videtur procedere ex ignoratione spatij imaginarij, nam spatium imaginarium, non est quid fictitiũ, sed est vel possibiles vbicationes vel ipsarũ priuationes, quare de spatio imaginario nõ loquimur aliter, ac de spatio reali quoad hoc. In omni ergo sententia spatium reale est quid modale essentialiter per suam entitatem habens esse hoc spatium, neq, habet hoc, per comparationem ad aliquid aliud, vt fusè explicauimus agentes de loco, sicuti vnio de se est vnio, & actio de se, est actio; dicitur autem omne spatium vnius puncti in hac sententia virtualiter diuisibile, quia potest id, quod possunt spatia, plura, & plura in infinitum imperfectiora in ratione spatij: præstat enì indiuisibiliter hoc spatiũ, quod præstarent alia duo spatia æquè perfecta inter se, & imperfectiora eo, & hæc dicerentur medietates ipsius; quia ipsis æquiualerent per suam entitatem. Similiter possunt dari tria spatia inter se æqualia, illo adhuc imperfectiora. & erũt tres tertię partes ipsius virtualiter, quia illis tribus æquialet, præstãdo indiuisibiliter, quod illæ præstant collectiuè acceptæ, & idem dico de qualibet collectione spatiorũ in infinitum imperfectiorum, & imperfectiorum respectu illius; quid ergo in hac virtuali diuisibilitate obijci potest de ijs, quæ obijciuntur Cõtinuo Aristotelico realiter in infinitum diuisibili, etiam quoad spatium? Quod autem explicetur perfectio rei indiuisibilis per æquiualentiam ad plura distincta, neq. est nouum, neq, mirum in philosophia. Præterea potest etiam perfectio vnius spatij indiuisibilis explicari per effectus, quos præstat; nam poteris applicare punctum, verbi gratia substantiæ ignis, alicui passo, cui non poteris applicare aliud spatium, quod esse dicimus imperfectius, & minus illo; nam si solùm daretur secũdũ indiuisibile ex ijs duobus inter se æquè perfectis, quibus æquialet spatium indiuisibile vnius puncti, & quæ appellamus esse medietates illius spatij virtualiter, si inquam daretur secundum indiuisibile solùm, non applicaret corpus alteri indiuisibili alterius pũcti antecedentis,

tis, quia distaret ab eo per altera [illegible] medietat[illegible] ergo quomodo explicatur per effectũ, & à posteriori perfe[illegible] maior vnius indiuisibilis spatij, quam perfectio alterius, cui æquiualet cum excessu perfectionis, hoc est simul etiam æquiualendo alijs spatijs.

Hinc patet apertissimè quid sit duo indiuisibilia penetrari adæquatè, nempe secundum totum spatium, & spatij virtualitatem; nempe quoties vnum punctũ est in spatio suo, & alterum punctum est in spatio eiusdem speciei cum alio, & eiusdem perfectionis, & æquiualentiæ, sicuti diceremus de duobus spatijs Angelicis inter se penetratis. Esse autẽ spatia eiusdem speciei in ratione spatij explicatur, vt diximus, su[illegible] loco, ex eo quod habeãt à re[illegible]is spatijs possibilibus eandem d[illegible] [illegible]rò penetrari [illegible]o puncta inadęquatè est, sicut [illegible]e Angelis, dai[illegible] duas vbicationes duor[illegible] [illegible]eciei, sed [illegible]tas æquiualentes [illegible], quàm [illegible]rsim acceptã per se si[illegible] [illegible]od essent diuersæ speciei non haberent æquiualentiam, cum ijsdem imperfectioribus spatijs, sic enim essent eiusdem speciei, & omnino adęquatè penetratæ; ex eo autem, quod æquiualerent alicui [illegible]olo imperfectiori, dicentur illæ duæ vbicationes inadæqua[illegible]ratę, sicuti duo Angeli, si vnus occuparet totum palm[illegible] [illegible] alter medietatem palmi A, & medietatẽ palmi B per vbicationes indiuisibiles, essent inadæquatè penetrati, non quod aliquid vbicationis vnius esset realiter extra aliam vbicationem (tota enim [illegible] [illegible]et in tota) sed quod altera esset virtualiter extra a[illegible] [illegible]ec quã illa haberent æquiualere duabus vbica[illegible] [illegible]ribus, quæ essent spatia specie diuersa, hoc [illegible] [illegible]neq realiter penetrata; quare ex hac virtuali [illegible]bilitate vbicationum non sequuntur difficultates, quę fiunt contra sententiam Aristotelis.

Arguit secundò, idẽ Auctor, quia iuxta sententiam suam posset dari minima omniũ vbicatio, hæc autem esset indiuisibilis, et hinc multa infert absurda. Verũ hęc impugnatio deficit, quia ostẽdimus implicare creaturã omniũ perfectissimã, & imperfectissimã agentes de infinito, secundo quia etiam quoad hanc difficultatem dato, quod sit possibilis illa vbicatio, certe debet esse diuisibilis iuxta principia, quibus eam sententiam probat, nam ipse putat dari quantitatem omnium minimam. Rursus eius argumentum hoc probat ad summum; dicit enim, quod Deus posset dicere volo dare minimam vbicationem, quam possum huic [illegible]o, ergo posset dicere volo dare minimam, quam possum d[illegible]litatem huic pũ-

Digitized by Google

cto. Propo[illegible] tam est i[illegible] in primo, quàm in secũdo casu; ergo si quid [illegible]bat, probat posse dari minimã diuisibilitatẽ; minimam enim indiuisibilitatem Deus nõ potest velle, quia est chymera in hac sententia, ergo ad summum sequeretur dari minimam diuisibilitatem; hæc autem similiter implicat, quia argumentum nihil probat, vt diximus in quęstione de infinito. Nam quando Deus dicit volo minimam, quam possum, cum ipsa potentia sit syncategorematicè tendens in obiecta, est essentialiter indeterminata, & sic non potest dari determinatio ipsi obiecto præcisè ab ipsa potentia, esset enim velle chymeram, nempe vt potentia indeterminatè [illegible]dens, determinet, sed de ho[illegible] fusius diximus loco citato.

T[illegible] arguit ab inco[illegible] sententia admittit [illegible]nino indi[illegible]tiones; verum in h[illegible] impugn[illegible]nio Dei, dari posse d[illegible]ationem indiuisibile[illegible]sibilem, quod etiam si admitteretur de possibili, non tamen de facto arguitur tẽpus non constare instantibus omnino indiuisibilibus finitis, quod repugnat Cõtinuo perma[illegible] ratio disparitatis habetur ex ipsa natura spatij localis, quod [illegible]x figurarum, & motus, & rerum, quæ condensantur, & rarefiu[illegible]c. ex quibus deducũtur absurda, si spatium constaret ex punctis omnino indiuisibilibus, vt vidimus articulo præcedenti. At verò in d[illegible]atione non militant hæc argumenta, ergo ex his ca[illegible] repugnant, & illis melius explicantur ea, quæ spectan[illegible] etiam permanens; quare etiam sidemus esse [illegible] virtualiter solùm diuisibilem, nihil hoc fac[illegible] sententiam.

Quod autem hæc sententia [illegible], in difficultates mathematicas, rarefactionis, ac celeriores motus, &c. vt hic Auctor intendit probare, & aliqui obiecere, ex his apparebit.

Supponendum est autem, quod antea explicauimus, nomine spatij imaginarij, nos intelligere priuationes vbicationum possibilium, quare spatium imaginarium vnius puncti, sunt priuationes omniũ vbicationum realiter indiuisibilium, quibus potest æquiualere, spatium reale illius puncti; & ita quando dico medietatem, tertiam partem &c. spatij imaginarij, dico realem vbicationem imperfectiorem respectu spatij illius puncti. Hinc fit, quod possit dari spatium totum d[illegible]no indiuisibile, sed occupans medietatem spatij imaginarij [illegible]cupabat prius et medietatem spatij imagina-

bus vbicationibus imperfectioribus, quarum vna esset intra spatiũ vnius puncti, et altera intra spatium alterius: verbi gratia sint duo puncta A B cum suis spatijs adequatis. Certè spatium A, æquiualet duobus spatijs imperfectioribus, nempe C D, et spatium B, etiam æquiualet duobus spatijs imperfectioribus, nempe C D, et spatium B, etiam æquialet duobus spatijs imperfectioribus E F. intelligatur moueri punctum A, versus spatium puncti B, certè in aliquo instanti occupabit spatium sibi congruum, æquale spatio antecedenti, eritq. hoc spatium D E, indiuisibile physicè, sed æquiualens spatio D, et spatio E, spatium autem D, appello medietatem spatij imaginarij A, et spatium E, medietatem spatij imaginarij B, sine vlla fictione, quia datur vera negatio spatioli D, et spatioli E, quod spatiolu D, simul cũ negatione spatioli C, occupabat adæquatè spatium A, spatiolum autem E, simul cum spatiolo F, occupabatur etiam adæquatè à spatio B, quare cum dico spatium imaginarium semper intelligendum est iuxta hanc explicationem.



Videamus iam an incurrat hæc sententia in eadem absurda, quæ diximus. Et primò quidem non incurrit in demonstrationes factas contra Zenonem, nam optimè saluat, quomodo rota celerius moueatur in circulo maiori, quàm minori, nam in singulis instãtibus temporis, vnum punctum circuli maioris percurrit maius, spatium imaginarium, quàm punctum circuli minoris, et consequenter mouetur tardius minor, quàm maior; punctum enim circuli maioris in vnico instanti temporis acquirit, verbi gratia tertiam partem spatij imaginarij puncti sequentis, et relinquit tertiam partem sui spatij imaginarij; at punctum circuli minoris eodem instanti acquirit, verbi gratia decimam partem spatij sui; quare eodem instanti producitur in singulis punctis rotæ maioris aliud vbi realiter indiuisibile eiusdem magnitudinis cum prioribus, sed non occupans idem spatium imaginarium, quod prius Vbi occupabat, sed occupans tertiam partem Vbi imaginarij subsequentis, et relinquens vnam tertiam partem spatij imaginarij, quod prius occupabat; at in circulo minori producitur eodem instanti in singulis illius punctis nouũ indiuisibile spatij æquale etiam priori, sed occupans decimam partem spatij imaginarij puncti sequentis, et relinquens decimam partem sui spatii imaginarii, adeoq. motus

maio-

cto. Propo[illegible] tam est i[illegible] in primo, quàm in secũdo casu; ergo si quid [illegible]bat, probat posse dari minimã diuisibilitatẽ; minimam enim indiuisibilitatem Deus nõ potest velle, quia est chymera in hac sententia, ergo ad summum sequeretur dari minimam diuisibilitatem; hæc autem similiter implicat, quia argumentum nihil probat, vt diximus in quęstione de infinito. Nam quando Deus dicit volo minimam, quam possum, cum ipsa potentia sit syncategorematicè tendens in obiecta, est essentialiter indeterminata, & sic non potest dari determinatio ipsi obiecto præcisè ab ipsa potentia, esset enim velle chymeram, nempe vt potentia indeterminatè [illegible]deus, determinet, sed de ho[illegible] fusius diximus loco citato.

[illegible] sententia admittit [illegible] arguit ab inc[illegible] [illegible]tiones; verum [illegible] [illegible]nino indi[illegible] [illegible]nio Dei, dari in h[illegible] impugn[illegible] [illegible]sibilem, quod posse d[illegible]ationem indiuisibile[illegible] etiam si admitteretur de possibili, non tamen de facto arguitur tẽpus non constare instantibus omnino indiuisibilibus finitis, quod repugnat Cõtinuo perma[illegible] ratio disparitatis habetur ex ipsa natura spatij localis, quod [illegible]x figurarum, & motus, & rerum, quæ condensantur, & rarefiu[illegible] [illegible]c. ex quibus deducũtur absurda, si spatium constaret ex punctis [illegible]nino indiuisibilibus, vt vidimus articulo præcedenti. At verò in d[illegible]atione non militant hæc argumenta, ergo ex his cap[illegible] [illegible]o repugnant, & illis melius explicantur ea, quæ spectan[illegible] [illegible] etiam permanens; quare etiam sidemus esse p[illegible] [illegible]irtualiter solùm diuisibilem, nihil hoc fac[illegible] [illegible]c sententiam.

Quod autem hæc sententia [illegible], in difficultates mathematicas, rarefactionis, ac celeriores motus, &c. vt hic Auctor intendit probare, & aliqui obiecere, ex his apparebit.

Supponendum est autem, quod antea explicauimus, nomine spatij imaginarij, nos intelligere priuationes vbicationum possibilium, quare spatium imaginarium vnius puncti, sunt priuationes omniũ vbicationum realiter indiuisibilium, quibus potest æquiualere, spatium reale illius puncti; & ita quando dico medietatem, tertiam partem &c. spatij imaginarij, dico realem vbicationem imperfectiorem respect[illegible] spatij illius puncti. Hinc fit, quod possit dari spatium totum d[illegible]no indiuisibile, sed occupans medietatem spatij imaginarij [illegible]cupabat prius et medietatem spatij imaginarij subsequentis [illegible] est datur indiuisibile realiter æquiualẽs duabus

bus vbicationibus imperfectioribus, quarum vna esset intra spatiũ vnius puncti, et altera intra spatium alterius: verbi gratia sint duo puncta A B cum suis spatijs adequatis. Certè spatium A, æquiualet duobus spatijs imperfectioribus, nempe C D, et spatium B, etiam æquiualet duobus spatijs imperfectioribus, nempe C D, et spatium B, etiam æquiualet duobus spatijs imperfectioribus E F. intelligatur moueri punctum A, versus spatium puncti B, certè in aliquo instanti occupabit spatium sibi congruum, æquale spatio antecedenti, eritq. hoc spatium D E, indiuisibile physicè, sed æquiualens spatio D, et spatio E, spatium autem D, appello medietatem spatij imaginarij A, et spatium E, medietatem spatij imaginarij B, sine vlla fictione, quia datur vera negatio spatioli D, et spatioli E, quod spatiolu D, simul cũ negatione spatioli C, occupabat adæquatè spatium A, spatiolum autem E, simul cum spatiolo F, occupabatur etiam adæquatè à spatio B, quare cum dico spatium imaginarium semper intelligendum est iuxta hanc explicationem.



Videamus iam an incurrat hæc sententia in eadem absurda, quæ diximus. Et primò quidem non incurrit in demonstrationes factas contra Zenonem, nam optimè saluat, quomodo rota celerius moueatur in circulo maiori, quàm minori, nam in singulis instãtibus temporis, vnum punctum circuli maioris percurrit maius, spatium imaginarium, quàm punctum circuli minoris, et consequenter mouetur tardius minor, quàm maior, punctum enim circuli maioris in vnico instanti temporis acquirit, verbi gratia tertiam partem spatij imaginarij puncti sequentis, et relinquit tertiam partem sui spatij imaginarij; at punctum circuli minoris eodem instanti acquirit, verbi gratia decimam partem spatij sui; quare eodem instanti producitur in singulis pũctis rotæ maioris aliud vbi realiter indiuisibile eiusdem magnitudinis cum prioribus, sed non occupans idem spatium imaginarium, quod prius Vbi occupabat, sed occupans tertiam partem Vbi imaginarij subsequentis, et relinquens vnam tertiam partem spatij imaginarij, quod prius occupabat; at in circulo minori producitur eodem instanti in singulis illius pũctis nouũ indiuisibile spatij æquale etiam priori, sed occupans decimam partem spatij imaginarij puncti sequentis, et relinquens decimam partem sui spatij imaginarij, adeoq; motus

maio-

Digitized by Google

maioris circuli est velocior motu minoris, ratione spatij virtualiter diuisibilis.

Quod si vnico instanti temporis vnum punctum Cõtinui relinquat adæquatè totum spatium imaginarium sui vbi prioris, & acquirat integrum spatium imaginarium vbi subsequentis, tũc mobile mouebitur maxima celeritate naturali, adeo, vt celerior motus in corpore dari naturaliter nõpossit; quare admittitur in hac sententia summa velocitas naturaliter, nõ autem summa tarditas, nam semper vnum pũctum Continui potest acquirere minus, & minus in infinitum de spatio imaginario puncti sequentis, cum in singulis punctis spatij sint producibilia vbi minora, & minora in infinitũ, nec possit assignari minimũ vbi, à Deo producibile; nõ potest autem velocius, & velocius moueri, quia si acquirit vnicum indiuisibile subsequens in vno instanti, non potest acquirere amplius, aliter simul existeret vnum punctum in duobus spatijs adæquatis, quod esse non potest. Dixi naturaliter, quia spatia singulorum punctorum Continui sunt naturaliter determinatæ magnitudinis iuxta naturam Continui, verbi gratia singula occupant millesimam partem vnius acuminis acus, at supernaturaliter posset Deus dare vni puncto ligni, vbi realiter indiuisibile vnius palmi, imo vnius milliaris, & amplius, & tunc vno temporis instanti posset hoc punctum moueri occupando alterum milliare subsequens, & ita in decem instantibus percurreret decem milliaria, sicut potest facere Angelus, si habeat suum vbi vnius milliaris.

Nec magis vrget difficultas de costa, & diametro, nam Mathematicus nihil curat de physica diuisibilitate rei, sed solùm considerat diuisibilitatem virtualem spatij, quam possumus appellare mathematicam. nam si Angelus occuparet per vbi indiuisibile totam hanc scholam, tamen Mathematica ageret de illo tanquã de re diuisibili, cõsideraret enim posse bies vbi ationes minores, & minores, quibus æquialet hoc vbi Angelicũ, & per illas faceret suas demonstrationes. tota enim Geometria est de solo spatio etiam imaginario, vt patet, ideoq. dicitur præscindere à materia sensibili, quia nihil curat qualis sit entitas illa, quę præbet ipsi molem, sed non præscindit à materia intelligibili, quia scilicet semper debet intelligere rationẽ molis, & spatij: hinc sequitur, quod Mathematica in singulis punctis physicis considerat omnes suas figuras possibiles; sic in vno puncto physico posset mente describere lineas in infinitum, circulos, triangula, quadrata, & quaslibet figuras, imo posset-

Digitized by Google

posset describere totum mundum, & cælum cum distãtijs proportionatis stellarum, regionum, Climatum, Ciuitatum, & quæcumq. minutissima reperiuntur in toto mundo.

Ad demonstrationes ergo respondetur, si ducantur decem lineę physicæ à decem punctis physicis lateris quadrati, ad latus oppositum, occupabunt quidem totam physicam diametrum, sed singulę lineæ occupabunt illam plusquam in vno puncto physico, & ita assignabũt in ea plusquã decẽ pũcta physica: ratio autẽ cur assignarent singulæ lineæ plusquam vnum punctum physicum in diametro, est quia illam obliquè secarent, & non ad angulos rectos, vt patet in duabus trabibus, quæ quanto obliquius se secant, tanto maiorem sui partem ad inuicem occupant, vt patet ex exemplis, nam in exemplo A, duæ trabes occupant simul vnum quadratum, quia positæ sunt ad angulos rectos, at in exemplo B, occupant plus spatij, quia positæ sunt obliquæ ad inuicem, quadratum autem, quod



est in exemplo A, minus est parallelogrammo, quod est in exemplo B, vt demonstratur ex primo Euclidis, quia basis quadrati est minor basi parallelogrammi, & ambæ figuræ sunt intra easdem parallelas, hoc autem totum prouenit, quia lineæ physicæ in hac sententia occupant crassitiem diuisibilem virtualiter, & sunt sicuti trabes, quod non suffragabatur superiori, sententiæ ponenti puncta, et lineas omnino indiuisibiles. Ad circulos centum punctorum, et quinquaginta, dico, si ducantur à circulo maiori rectæ ad centrum, transibunt quidem omnes per circulum minorem, sed in eo habebunt partes communicantes, vt patet in trabibus A B, si enim trabes palmares in latitudine intelliguntur emisse à centro E, ad duo puncta circuli maioris A, et B, quæ puncta supponamus, verbi gratia esse palmaria certè in circulo minori occupabunt spatium minus, nempe spatium C, D, sed illæ duæ trabes superponentur vna supra aliam in circulo minori,

adeo-

adeoque habebunt partes communicantes, ſicuti euenit in flabellis mulierum, quorum aſſulæ coëunt in vnum punctum, et habent partes eò magis communicantes, quò ſunt viciniores puncto concurſus, quare non poſſunt dari lineæ phyſicę à centro, quæ ſint communicantes in circulo maiori, quin eædem habeant partes communicantes in circulo minori, et eo magis communicantes, quo circulus minor eſt.



Hoc autem non ſuffragatur priori ſententiæ, quia lineæ ſunt omnino indiuiſibiles, quoad ſpatium etiam virtualiter in ea ſentẽtia, adeoq. non habet partes in latitudine, quibus inter ſe communicent, atq. de huiuſmodi lineis loquitur Mathematica.

Ad triangulum reſpondeo, ſi ſit baſis quinq. punctorum phyſicorum, et latera ſingula decem punctorũ, ſecũda linea phyſica ſuprà baſim non erit minor baſi, vnico ſpatio phyſico vnius puncti, ſed minus, nempe medietate illius ſpatij, in quo nihil eſt abſurdi, vt patet; ſimiliter ſi eſſet linea quinq. punctorum eſſet biſariam diuiſibilis mathematicè, non phyſicè, hoc eſt eſſet aſſignabile in puncto phyſico intermedio ſpatium illud imaginarium in duas æquales partes diuiſum, quod ſanè effici poteſt per duas vbicationes minores, et ſufficit Mathematicę, quæ prętera nihil curat.

Secunda difficultas poſſet obijci ex Archimede lib. de lineis ſpiralibus demonſtrat. prima: demonſtrat enim lineam ſupra quam, punctum moueatur motu æquali, eſſe diuiſibilem in tot partes ſimiles, ſicuti tempus in quo factus eſt motus: ponamus ergo tempus eſſe quinq. inſtantium, ergo quia ſpatium lineæ poteſt diuidi biſariam, poterit etiam diuidi biſariam tempus, quod eſt abſurdũ in hac ſententia, inſtans enim non poteſt diuidi in duo inſtantia neque realiter, neq. virtualiter.

Reſpondeo Archimedem ibi ſolùm demonſtrare, quod ſi accipiantur duę partes lineæ, et duę partes tẽporis, in quibus percurſæ ſint illæ partes lineę, ſicuti ſe habet pars lineę ad partem lineę, ſic ſe habet pars temporis, ad partem temporis, quæ totum ſemper verum eſt in hac ſententia, ſi enim tempus ſit quinq. inſtantiũ,

et di-

Digitized by Google

et diuidas ſpatium lineæ biſariam non potes accipere partes temporis, in quibus percurſę fuerint partes lineæ, nam duobus inſtantibus percurſum fuit minus ſpatij, quam medietas, et in tribus inſtantibus percurſum fuit maius, adeoq. nō accipis partes lineæ correſpondentes ſingulis partibus temporis, ſicut præcipit demonſtratio, quare malè colligitur, quod ſicuti eſt diuiſibile ſpatium lineæ, ita ſit diuiſibile ſpatium temporis, ſed ſolùm debet colligi, quod ſi diuidatur ſpatium lineæ prout correſpondens diuerſis partibus tēporis, eſt eadem proportio inter partes lineæ, quæ eſt inter partes temporis correſpondentes.

Tertia difficultas eſſet quomodo Continuum rarefiat, & condenſetur, quæ difficultas eſt ferè inexplicabilis in alijs ſententijs, in hac tamen facillimè explicatur, ponit enim hæc ſententia determinatam magnitudinem maximi, & minimi ſpatij imaginarij, quę naturaliter poſſet competere ſingulis punctis, verbi gratia ſpatium maximum ſit milleſima pars acuminis acus, & minimum ſit pars millioneſima eiuſdem acuminis; quando agens naturale producit in ſingulis partibus Cōtinui vbicationes occupātes maximū ſpatiū imaginarium, tunc fit ſumma raritas vltra quam naturaliter non poteſt dari maior. Quando verò producit in ſingulis partibus minimas vbicationes naturaliter poſsibiles, tunc dat ſummam denſitatem; intra autem hos terminos pro varia exigentia diuerſorum Continuorum, vel violentia cauſarum, poſſunt dari vbicationes maiores, vel minores, quę tamen illos terminos non excedāt, & ita idem prorſus corpus cum eadem materia, & quantitate poteſt occupare nunc minus, nunc maius ſpatium, prout condenſatur, & rarefit; at Deus de potētia abſoluta poſſet dare vbicationes maiores, & minores in infinitum vltra illos terminos.

Vrget contra hanc ſolutionem Arriaga ex peculiari ſententia ſua, quę tamen facit contra communem ſententiam, quòd nempe ſi in vno loco aliquid rarefit, in alio debet aliquid cōdēſari, ne detur penetratio corporum, Hęc ratio impugnata fuit a nobis, cum egimus de vacuo, negantes eſſe abſurdum, quod cum aliquid rarefit, aliud condenſetur, & è contrario, quia eadem vis, quæ facit rarefactionē in vno corpore, facit cōdēſationē in alio per impulſum; nihil autem facilius in aere, quàm fieri condenſationem, ac rarefactionem; eam ſemper fieri in motu locali, et motu proiectorum ſuo loco oſtendemus, cum agemus de virtute impreſſa,

Quarta difficultas, quæ videtur maxima in hac ſententia eſt aſ-

signare, quam figuram habeant hæc spatia physica indiuisibilia, quamlibet enim determinatam ponamus, non possumus saluare omnes corporum figuras, si enim ponamus, esse vbicationes alicuius figuræ solidæ rectilineæ, non possent conflare perfectam sphæram, sed facerent corpus asperum multorum angulorum. Si demus illi latera circularia, vel sphærica nō possēt componere corpus hæbens latera plana, ergo nullam figuram determinatam habere possunt.

Posset aliquis respondere, dari non posse naturaliter corpora perfectè sphærica, cylindrica, oualia, et similia, sed solùm apparent talia quoad sensum nostrum, qui nō potest percipere asperitatem angulorum paruulorum sensu imperceptibilium. Verum hæc responsio non satisfacit, nam si talis sphæra aspera circumrotetur circa suum cētrum, debet saltem in aëre abscindere aliquæ corpuscula, quæ occupent spatia inter illas asperitates interiecta, & ita saltē in aëre dabuntur aliquæ vbicationes habentes vnam superficiem sphæricam, vt patet ex hac figura. In qua prominentibus angulis, si intelligatur circumrotari linea A B, circa centrum A, certè extremitas anguli B, designabit lineam perfectè circularem, quia in quolibet puncto imaginario, semper extremitas anguli B, æquè distabit à centro A, adeoque designabit lineam semper æquè distantem ab eodem puncto A, quæ linea est circulus, qui definitur linea æquè distans à centro, ergo non possumus negare dari aliquas vbicationes omnino circulares.



Melius ergo respondetur figuras punctorum, vt plurimum esse cubicas, quia sic congruentius connectuntur inter se; quando tamen datur impulsus, vel alia causa, possunt etiam produci aliæ figuræ, quæ habeant aliquod latus curuum quacumq. curuitate, præsertim loquendo de punctis terminantibus superficiem Continui, prout autem corpora sunt magis, vel minus dura, habent maiorem difficultatem, seu facilitatem, vt ipsorum puncta terminantia mutent figuram, & ita si adamas esset in sphæram complanandus, quia est durissimus, deberet agens adhibere maximum conatum, vt ipsius puncta terminantia reduceret ad sphæricum latus. At verò aër, & similia corpora mollia, multò facilius permutant figuram in suis etiam indiuisibilibus, non tamen hinc sequitur, quod spatiū

puncti

Digitized by Google

puncti mutans figuram minuatur, quia sic condensaretur illud punctum, sed totum spatium prius occupans cubum imaginarij, occupat deinde aliam figuram eiusdem magnitudinis, quæ aliquando habeat latus vnum curuum & ita, benè saluatur varietas superficierum in varijs corporibus.

Quod si aliquando voluatur sphæra non perfecta circa centrum, tunc in illis cauitatibus inter puncta terminantia, quæ non habent latus sphæricum adhæret indiuisibile aëris, vel aquæ, si gireturin aqua & sic euadit sphæra perfecta, supplente aëre cauitates illas, ne detur vacuum in motu locali, quæ puncta aëris in illis cauitatibus etiam si debeant aliquantulum condensari ob paruitatem spatij nihil erit in aëre facilius.

Posset obijci contra hanc sententiam, quod in Concilio Constantiensi sess. 14 inter alia damnatas Vvicleff, ponitur hæc linea mathemati[illegible] ex solis instantibus in[illegible] punctis finiti[illegible] tempus

Respondetur in primis cum Valentia tom. 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 7. & alijs. Concilia nihil definire circa res philosophicas. Secundò respondetur, Concilium illud à Martino Quinto nō fuisse approbatum nisi, quoad ea, quę fuerunt conciliariter sancita in materijs fidei, vt patet sess. 45. illa autem propositio non fuit conciliariter examinata, sed fuit ibi lecta ab aliquo viro docto. Tertiò, illa propositio nō cōtinetur in catalogo propositionū, quas Martinus Quintus refert, & dānat in dicta sess. Præterea neq. continetur in corpore authētico Concilij, sed fui[illegible] inde impressa diuerso caractere exquodā manuscrip[illegible] hanco, vt ipse impressor testatur Deniq. vt notat[illegible] Concil. auctoritate cap. 19 Concilium illud non ha[illegible] requisitas conditiones ad Concilium generale in ea sess. 15.

Ingenioſi recentiores excogitarunt Romæ alia argumenta contra hanc sententiam, quę placet apponere, ac soluere. Obiecit aliquis in hac sententia nullum esse motum ita tardum, qui non esset etiam alicui corpori velocissimum. Nam ponamus duo corpora alterum respectu alterius duplo densius, certè motus, qui respectu minus densi, non esset celerrimus, quia solùm in instanti mutaret medietatem sui spatij, respectu alterius esset celerrimus; sit ergo motus, quantumuis tardus respectu alicuius corporis, certè per illum motum aliquam partem sui spatij indiuisibilis quodlibet eius punctum transibit, sit verbi gratia millesima, ergo illud corpus ita

signare, quam figuram habeant hæc spatia physica indiuisibilia, quamlibet enim determinatam ponamus, non possumus saluare omnes corporum figuras, si enim ponamus, esse vbicationes alicuius figuræ solidæ rectilineæ, non possent conflare perfectam sphæram, sed facerent corpus asperum multorum angulorum. Si demus illi latera circularia, vel sphærica nō possēt componere corpus habens latera plana, ergo nullam figuram determinatam habere possunt.

Posset aliquis respondere, dari non posse naturaliter corpora perfectè sphærica, cylindrica, oualia, et similia, sed solùm apparent talia quoad sensum nostrum, qui nō potest percipere asperitatem angulorum paruulorum sensu imperceptibilium. Verum hæc responsio non satisfacit, nam si talis sphæra aspera circumrotetur circa suum cētrum, debet saltem in aëre abscindere aliquæ corpuscula, quæ occupent spatia inter illas asperitates interiecta, & ita saltē in aëre dabuntur aliquæ vbicationes habentes vnam superficiem sphæricam. vt patet ex hac figura. In qua prominentibus angulis, si intelligatur circumrotari linea A B, circa centrum A, certè extremitas anguli B, designabit lineam perfectè circularem, quia in quolibet puncto imaginario, semper extremitas anguli B, æquè distabit à centro A, adeoque designabit lineam semper æquè distantem ab eodem puncto A, quæ linea est circulus, qui definitur linea æquè distans à centro, ergo non possumus negare dari aliquas vbicationes omnino circulares.



Melius ergo respondetur figuras punctorum, vt plurimum esse cubicas, quia sic congruentius connectuntur inter se; quando tamen datur impulsus, vel alia causa, possunt etiam produci aliæ figuræ, quæ habeant aliquod latus curuum quacumq. curuitate, præsertim loquendo de punctis terminantibus superficiem continui, prout autem corpora sunt magis, vel minus dura, habent maiorem difficultatem, seu facilitatem, vt ipsorum puncta terminantia mutent figuram, & ita si adamas esset in sphæram complanandus, quia est durissimus, deberet agens adhibere maximum conatum, vt ipsius puncta terminantia reduceret ad sphæricum latus. At verò aër, & similia corpora mollia, multò facilius permutant figuram in suis etiam indiuisibilibus, non tamen hinc sequitur, quod spatiū

puncti

Digitized by Google

puncti mutans figuram minuatur, quia sic condensaretur illud punctum, sed totum spatium prius occupans cubum imaginarium, occupat deinde aliam figuram eiusdem magnitudinis, quæ aliquando habeat latus vnum curuum & ita, benè saluatur varietas superficierum in varijs corporibus.

Quod si aliquando voluatur sphæra non perfecta circa centrum, tunc in illis cauitatibus inter puncta terminantia, quæ non habent latus sphæricum adhæret indiuisibile aëris, vel aquæ, si giretur in aqua & sic euadit sphæra perfecta, supplente aëre cauitates illas, ne detur vacuum in motu locali, quæ puncta aëris in illis cauitatibus etiam si debeant aliquantulum condensari ob paruitatem spatij, nihil erit in aëre facilius.

Posset obicij contra ha[illegible] sent[illegible]am, quod in Concilio Costantiensi sess. 14. inter al[illegible] damnatas Vviclesi, ponitur hæc linea mathemati[illegible] punctis finiti[illegible] tempus ex solis instantibus in[illegible]

Respondetur in primis cum Valentia tom. 3. disput. 1. quæst. 1. punct. 7. & alijs. Concilia nihil definire circa res philosophicas. Secũdò respõdetur, Conciliũ illud à Martino Quinto nõ fuisse approbatum nisi, quoad ea, quę fuerunt conciliariter sancita in matrijs fidei, vt patet sess. 45. illa autem propositio non fuit conciliariter examinata, sed fuit ibi lecta ab aliquo viro docto. Tertiò, illa propositio nõ cõtinetur in catalogo propositionũ, quas Martinus Quintus refert, & dãnat in dicta sess. Præterea neq. continetur in corpore authẽtico Concilij, sed fui[illegible] inde impressa diuerso caractere exquodã manuscrip[illegible] hanco, vt ipse impressor testatur Deniq. vt notat[illegible] Concil. auctoritate cap. 19 Concilium illud non ha[illegible] requisitas conditiones ad Concilium generale in ea sess. 15.

Ingeniosi recentiores excogitarunt Romæ alia argumenta contra hanc sententiam, quę placet apponere, ac soluere. Obiecit aliquis in hac sententia nullum esse motum ita tardum, qui non esset etiam alicui corpori velocissimum. Nam ponamus duo corpora alterum respectu alterius duplo densius, certè motus, qui respectu minus densi, non esset celerrimus, quia solùm in instanti mutaret medietatem sui spatij, respectu alterius esset celerrimus; sit ergo motus, quantumuis tardus respectu alicuius corporis; certè per illum motum aliquam partem sui spatij indiuisibilis quodlibet eius punctum transibit, sit verbi gratia millesima, ergo illud corpus ita

Digitized by Google

densum per millesimam proportionem densitatis eo motu mouebitur celerrimè, quia singulis instantibus mutat adæquatè suum locum quodlibet eius punctum.

Pro solutione. Aduertendum est non posse naturaliter corpora rarefieri, nec condensari in infinitum, sed datur aliquis terminus, tàm in condensatione, quàm in rarefactione iuxta virtutem limitatam agentium. Secundo motum primi mobilis esse celerrimum motum quem experimur in natura, vt à Cosmographis demonstratur. An autem ille motus sit velocissimus respectu punctorum vltimæ sphæræ, an non? nihil possumus diuinare. Tertiò, linea physica à centro vniuersi vsq. ad vltimæ sphæræ superficiem, innumera quasi puncta continebit, sed eorum numerus est finitus iuxta hanc sententiam, at circ[illegible] sphæræ vltimæ continebit numerum horum pu[illegible]n tali linea, nempe semidiam[illegible]s vniuersi, p[illegible]eoque erit vastissimus punctorum numerus, & vnum[illegible]m habebit suam determinatam densitatem, & spatium, quod occupat. Ex his dico primo, motum naturaliter possibilem in sublunaribus, & multò magis in terra esse incomparabiliter tardiorem, quàm motus primi mobilis. nam si aliqua res mo[illegible]tur circa superficiem orbis terrestris, itaut conficeret supra [illegible]eram terræ, partem proportionalem, illi, quam conficit motus primi mobilis, certè vna hora deberet percurrere vigesimã quartã partẽ totius globi terrestris, conficeret enim quindecim g[illegible]adus orbis terrestris, qui singuli cõtinent ad minus sexaginta [illegible]ria, [illegible]oq. conficeret vna hora nongenta milliaria, [illegible] nunquam experti sumus, & tamen hic motu[illegible] conficeret nongenta milliaria supra terrestris orbis super[illegible]m. est incomparabiliter tardior respectu motus primi Mobilis, qui vna hora conficit quindecim gradus vltimę sphæræ, imperceptibiliter superantis quoad imaginationem totum orbem terrestrem, qui respectu illius se habet instar puncti. Nam ex computatione P. Clauij de sphæra, conficit vna hora, motus primi mobilis supra quadraginta duos millio nes milliariorum, ergo quilibet motus, quamuis velox, de quo in terris habere possumus experientiam est incõparabiliter tardior motu vltimæ sphæræ.

Dico secundo, ex his, corpora, quę super terram mouentur, si habent pũcta æquè densa, ac sunt puncta vltimæ sphæræ, non posse in

duos milliones, si enim possent tantam partem relinquere, esset possibilis motus naturalis supra terram, qui vna hora conficeret nongẽta milliaria, qui motus ex experientia, quã habemus nũquam datur: sequela est clarissima, nam dato aduersarijs, quod puncta vltimæ sphæræ, mutent adæquatè totum locum suo motu, si hæc inferiora tardiùs mouerẽtur proportione data, mutarent partem sui spatij quæ se haberet ad totum spatiũ vnius pũcti, vt nongẽta ad 24. milliones: talis enim est proportio motus ad motum, sicuti pars spatij percursa, ad totum spatium ibi percursum, ergo pars hic percursa esset respectu totius spatij vnius puncti, vt 900. ad 42. milliones, si hic posset fieri talis celeritas motus, quam numquam sumus experti,

Inferò ex his tertiò, solutionem difficultatis propositæ, quod nempe si posset dari punctum respectu cuius esset summa velocitas motus, qui conficeret nongẽta milliaria in vna hora, deberet esse densius ad minus, quàm punctum vltimæ sphæræ, vt se habent 42. milliones ad 900. quæ proportio densitatis est naturaliter impossibilis. Quod si loquamur de potentia Dei absoluta, nego esse absurdum summam velocitatem vnius puncti, esse motum valde tardũ respectu alterius, quia hoc proueuit ex maxima improportione densitatis ad densitatem, si enim Deus potest facere spatium puncti quod se habeat ad spatium alterius puncti, sicuti terra ad totũ vniuersum, imo etiam incomparabiliter minus, quid erit absurdi, & contra principia certa, quod summa celeritas motus in tali puncto, sit tarditas motus, respectu alterius puncti?

Obiecit alius hæc puncta esse contra notionem naturalem, quã habemus, nempe iudicandi, quod id, quod est in diuerso spatio, nõ sit idem cum eo, quod est in alio spatio, quod iudicium est nobis inditũ à natura, aliter possemus dicere esse idem in parte dextera, quod est in sinistra, si ergo eadem entitas Continui esset in spatio diuisibili, non esset verum hoc iudicium à natura nobis inditum. Sed contra est, quia notio naturalis est, quod naturaliter vbicumq. possumus sensu distinguere spatium, & spatium, ibi sit diuisibilitas corporum, sensus autem non possunt percipere punctum per se, nec distinguere vnum spatium ipsius ab alio, sed semper percipiũt plura indiuisibilia simul, quare iudicium, quod experimur à natura inditum, semper est verum, quia vbi possumus per sensum distinguere, ibi datur diuersitas rerũ, at verò diuisibilitatem spatij vnius puncti; solum intelligere possumus ob argumenta, quæ fiunt si non detur tale spatium.

Petes

Petes hæc puncta quomodo vniuntur inter se?

Respondeo per vniones sibi proportionatas, quæ vel subiectabitur in vno, vel in duobus punctis, iuxta varias sententias ponendi vniones, præterea vniuntur per coëxistentiam, hoc est per durationes ipsorum simultaneas, nam non sufficit duo puncta esse vnita inter se, sed vt vniantur cum alio tertio, debent coëxistere duæ vniones altera inter hæc duo, & altera inter hæc duo, ad hoc, vt detur hoc ternarium vnitum, si enim heri fuit vnio inter hæc duo, & non hodie, & hodie sit vnio inter hæc duo, & nõ fuit heri, sequitur, quod hæc duo fuerunt vnita, & hæc duo sunt vnita, & tamen à parte rei non datur ternariũ punctorum, sed de hoc alibi cum de vnione continuatiua inter minima physica.

Petes secundò, quid dicendum in hac sententia de contactu sphærici, & plani, & similibus contactibus

Respondeo has difficultates esse communes cum Continuo Aristotelico, quia licèt vnum punctum sphæræ physicum tangat aliud plani, tamen illi non adæquatur, neque ipsum mensurat, & solùm tangit illud in puncto Mathematicè; quare quoad hoc debent dari responsiones, quas infra afferemus, cum agemus de huiusmodi contactibus, & an dentur in Continuo puncta Mathematica præter partes.

Hanc sententiam sic explicatam libenter sequerer, nisi esset noua, & contra Aristotelis authoritatem, tot sæculis confirmatam, consensu doctissimorum hominum, & omnium ferè scholarum, quare eam impugno ex ipsa nouitate, videtur enim potius ingeniosè excogitata ad soluendas difficultates, quam omnino veritatem rei attingere, & semper remanet scrupulus, quomodo illa puncta sint materialia, & essentialiter indiuisibilia, & collocata ad modum rei spiritualis, videtur enim esse prima notio entis materialis, quod habeat partes, & molem, quare licèt eam laudem, vt ingeniosam, non tamen amplector, vt veram, quia talem ex corde non existimo.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Proponitur, & defenditur sententia ponens partes actu distinctas in Continuo.

VNica videtur restare via explicandi compositionem Cõtinui, nempe asserendo dari infinitas partes actu distinctas in Cõtinuo, & præterea ipsum Cõtinuum esse diuisibile in infinitum. Hãc sententiam defendunt. Gregorius in 2. quæst. 2. articulo 1. Gabriel ibidem distinctione 7. quæst 3. Suarius disput. 40. Metaph. sect. 5. Ruius tract. de Compositione Continui Toletus, Hurtad. Arriag Ouied. & alij.

Dicendum est Cõtinuum esse diuisibile in infinitum, & constare partibus actu distinctis imperfectè, quamuis grauissimæ difficultates contra hoc ipsum militẽt. Probatur conclusio ex impugnatione aliarum sententiarum; si enim Continuum non datur conflatum ex partibus solum potentia distinctis, neque ex indiuisibilibus. restat, vt detur conflatum ex partibus diuisibilibus actu distinctis.

Pro maiori intelligentia conclusionis, & solutione difficultatum aduertendum est partes actu distinctas, fieri per aliquam negationem vnionis continuatiuæ inter ipsas partes, verbi gratia ad hoc, vt palmus fiat actu diuisus in duos semipalmos, debet destrui aliqua vnio, quæ vniebat eas entitates semipalmares, si enim daretur talis vnio, certè non essent diuisi, sed facerent vnum Continuũ, in quo autem consistat hæc vnio, & an sint aliqua indiuisibilia copulatiua, an aliquid aliud suo loco dicemus.

Aduertendum est, secundo partes in Continuo non posse accipi, nec esse determinatas, nisi in ordine ad aliquem modum, siue intrinsecum, siue extrinsecum; & præscindendo ab omni modo eas determinante, solùm dari partes indeterminatè, et confusè, v.g. In Continuo palmari non possunt concipi, neque dari duæ medietates, nisi in ordine ad duos, vel aliquos modos, qui eas determinent, dari enim duas medietates, non est dari illam entitatem, verbi gratia ligni, nam etiam si daretur eadem entitas, posset adhuc esse in mille locis, ita ut vna pars sit hìc, alia alibi, & sic de reliquis, & tamen tunc esset prorsus eadem entitas ligni, secundum se accepta

præscin-

præscindendo ab omni modo, ergo vt actu sint duæ medietates, non sufficit dari medietatem, et medietatem Continui, quod nunc est palmare, sed debent dari illi modi, per quos determinetur ad duas medietates tales, idem dico de eadem entitate, vt sint quatuor quartæ partes palmi, vt sint octo octauæ, et sic de quibuscumque partibus. Porrò dupliciter possunt partes determinari; primò intrinsecè, secundò extrinsecè, determinantur partes intrinsecè, quoties habent tales modos continuatiuos partium, qui tamen modi sint inter se vniti, si enim essent non vniti, non essent actu partes, sed essent potius actu tota, quia non facerent vnum. Isti autem modi intrinsecè afficientes, et constituentes ipsas partes non possunt esse vbicationes, vt suo loco probabimus, tum quia quod sit hoc lignum substantiale est de conceptu substantiali ligni, sed si per vbicationem palmarem, verbi gratia constitueretur hoc individuum substantiale, aliquod accidens esset de intrinseco conceptu constitutiuo substantiæ, quod est omninò absurdum, vt diximus agentes de vnione; tum quia vbicatio nihil aliud præstat, nisi ponere hìc vnam partem, et hìc aliam, non autem vnit illas partes vndè si ego traherem semipalmum ligni ex vi vbicationis præcisè, non deberet sequi alia medietas ad huius motum, quia hoc dicit vnionẽ, et colligationẽ, quæ nõ est de conceptu vbicationis, nisi velis identificare prædicata vnionis, cum prædicatis vbicationis. Denique vbicatio neque habet de se intrinsecè partes determinatas, est enim indifferens vbicatio palmaris, vt sint duæ medietates, et quatuor quartæ et sic de cæteris partibus, quare eam præcisè considerãdo nulla datur intrinseca determinatio per quã sint hæ partes; quare supponimus hìc debere dari modos intrinsecè constitutiuos partiũ aliquarũ finitarum, afficiunt autẽ aliquã minima physica Cõtinui, quæ licèt habeãt partes in infinitũ individuales, individuibiliter tamẽ afficiũtur, ac determinantur ab illis modulis, vt suo loco explicabimus; in præsentia satis sit innuere, quia difficultas præsens non consistit in partibus determinatè distinctis intrinsecè, sed in partibus intrinsecè indeterminatis; quare siue admittantur actuales modi intrinseci Cõtinuo, siue non admittantur actu restat difficultas de partibus actu indeterminatè distinctis.

Secundo modo possunt determinari partes per aliquem modũ, et determinationem extrinsecam, ex eo, quod illa entitas indifferens, vt possit accipi in ordine ad multa, accipitur potius in ordine ad

ad hæc, quàm alia, verbi gratia entitas ligni palmaris potest accipi de se, tam in ordine ad duas medietates semipalmares, quàm in ordine ad quatuor quartas, & sic de cæteris partibus in infinitum conceptibilibus, at si accipiatur in ordine ad talem determinatam visionem, vel contactum, vel cognitionem, vel aliam quamcunque designationem determinatam extrinsecam ipsi ligno, tunc datur actu determinatio sufficiens, vt accipiendo illam entitatem, non accipiã sub conceptu v.g. trium partium, sed solùm duarum partiũ æqualium, vel inæqualium, prouterit extrinsecè determinatio, & ita possum dicere cum veritate, hæc medietas non est illa, quia ex parte obiecti habeo aliquod sufficiens determinatiuum, in ordine ad quod possum determinare illam entitatem de se indifferentem ad quamlibet determinationem.

His ita explicatis. Dico partes in Cõtinuo esse quidem actu distinctas, sed imperfectè, & indeterminatè, si præcisæ ab omni modo, seu determinatione intrinseca, vel extrinseca accipiantur.

Probatur, quia esse partes actu indeterminatas est de se non habere prędicata sufficiẽtia ad vllam determinationẽ; habere tamen prędicata sufficiẽtia, vt accepta in ordine ad aliquid aliud determinẽtur; tales sũt partes Cõtinui præscindendo ab omni determinatione superaddita ipsis, vel intrinseca, vel extrinseca, ergo sũt quidẽ actu, sed indeterminatè, vt diximus. Minor nõ debet negari, si maior sit possibilis, quia sic bene explicatur ratio Cõtinui sinè vlla implicãtia. Maior probatur, & explicatur paritate, Sint actu cẽtũ vnitates simul, certè in illis sunt actu numeri multi, verbi gratia binarij, ternarij, decenarij: at non sunt determinatè in præcisa entitate earum vnitatum, sed solùm determinabiles in ordine ad determinationes, nempe varias acceptiones; ad hoc enim, vt habeantur actu in illis vnitatibus, verbi gratia quaternaria, debent dari tales designationes appræhensionum, vel vt aliqui volunt tales relationes, per quas constituantur 25. quaternaria, vndè Aristoteles dixit, bis tria, non esse sex. quia forma constitutiua ternarij debet haberi ab ipsis vnitatibus in ordine ad aliquam determinationem acceptis. Quare illæ vnitates habent quidem prædicata sufficientia actu ad numerorum multitudinem, sed indeterminatè, & solùm determinabilia per aliquam determinationem, quæ non est identificata cum ipsis vnitatibus, adeoq. sunt de se indifferentes ad numerum cẽtum, ad duo quinquaginta, ad decem denarios, & sic de reliquis numeris, qui in ipsis accipi possunt. Simili modo, licèt nõ

quoad omnia, vt mox patebit, entitas, quæ nunc est in ligno palmari, habet quidem actu partes indeterminatè, de quibus nullus formari possit determinatus conceptus, si per se præcisè accipiantur, sed solum in ordine ad aliquã determinationem intrinsecam, vel extrinsecam, quare si præcisè concipias entitatem ligni præscindendo ab omni determinatione intrinseca, siue extrinseca, concipis aliquid indifferens ad multitudinem partium, vel hanc, vel illã, prout eã entitatem accipies in ordine ad plures, vel pauciores determinationes, siuè intrinsecas, siue extrinsecas. Esse autem de se tale, est habere partes indeterminatè, quod non competit rei indiuisibili nullas habenti partes, nec determinatè, nec indeterminatè.

Dices repugnat actualitas partium cum indeterminatione, nam ipsa actualitas partium eas determinat, & ipsa distinctio tollit formaliter omnem confusionem ipsarum.

Respondeo, quod actualitas, & distinctio perfecta repugnat cum indeterminatione, & confusione, non autem actualitas imperfecta: potest autẽ aliquid habere actualitatẽ in ordine ad aliquod prædicatũ sibi idẽtificatũ, adæquatè, et nõ essentialiter acceptibile in ordine ad aliud, et esse in potentia ad alic..ã denominationem, quã non habet de se, sed solùm in ordine ad aliud, sic materia est actu in ratione potentiæ ad formas indeterminatè; at in ordine ad hãc determinatè, non potest de se determinationem habere, sed per formam in obliquo conceptam. Similiter centum vnitates sunt quidem actu in ratione entitatum, at in ratione talium numerorũ, non habent de se determinationem, sed in ordine ad varias determinationes, siue intrinsecas, siue extrinsecas. Hoc autem modo est actualitas Continui per se accepta, habet enim esse actu aliquid indifferens de se ad multas partes finitè in infinitum; non tamen habet determinationem de se ad vllam ex illis, sed solùm est ad eas determinabile in ordine ad aliquam determinationem ipsi superadditam, siue intrinsecam, siue extrinsecam.

Eadẽ est respõsio de distinctione, distingui enim, aliqua imperfectè nõ negat omnẽ cõfusionẽ, sed solùm in ea ratione, in qua est distinctio; si ergo accipiatur Continuum, verbi gratia lignum, quod est in palmo per se præcisè, sunt quidem in eo prædicata talia, vt accepta in ordine ad varias determinationes, siue intrinsecas, siue extrinsecas, sint determinatè distincta, at per se accepta sint distincta, quasi radicaliter, et aptitudinaliter, quæ distinctio aptitudinalis,

Digitized by Google

lis, cum sit actu aliqua distinctio, est quantum sufficit, vt dicantur partes imperfectè distinctæ, sic in centum vnitatibus sunt aliquo modo decem denarij, & viginti quinque quaternarij, sed non perfectè distincti de se, nisi in ordine ad aliquam determinationem diuersam ab illis.

Dices secundò, distingui realiter, est vnum non esse aliud, quod consistit in indiuisibili, vel enim est aliud, vel non est, ergo non potest dari à parte rei distinctio imperfecta,

Respondeo cum distinctione, si à parte rei dentur vnum, & aliud per se accepta, concedo antecedens, non per se accepta, hoc est quod accepta entitate aliqua, non datur vnum, & aliud, sed solùm in ordine ad aliquos modos, seu determinationes, nego. In Continuo autem præscindendo à modis determinantibus ipsum non datur vnum, & aliud, neque hoc, & hoc, quia ipsa indiuiduatio Continui est indifferens ad plures modos, verbi gratia entitas, quæ est in palmo ligni, est indifferens, vt sit vnus palmus, vt sit duo palmi, quatuor quartę, & sic de cæteris partibus, hinc est, quod ipsa accipiendo, semper accipis precisa quædam, qua respiciuntur ab infinits modis, & determinationibus possibilibus. Rursus ipsa eadem entitas, cum alia etiam palmari, est indifferens ad determinationem bipalmarē, ad duas palmares; ad quatuor semipalmares, & sic de cæteris partibus, quare accipiendo illam entitatem, nullam habes determinationem ad has potius, quàm ad alias, vt ergo cōpares vnam cum alia prius debes accipere entitatem sub determinatione *huius*, nempe *hanc*, sit autem *hæc*, non per suam precisan. entitatem, sed per suam entitatem in ordine ad tales modos determinatos, adeoque si præscindas à modis, habes aptitudinem in ea, vt sit hæc, vel illa [illegible] ordine ad hunc, vel illum modum.

Dices tertiò, il[illegible]m, quod taxat sibi in entitate, quæ est palmaris hę[illegible]mo continuatiua, est prædicatum identificatum cum substantia ligni, & contradistinctum ab omni alio ligno, implicat enim quod hæc vnio possit afficere aliam entitatem vt supra probauimus, contra ponentes partes solùm potentia distinctas, ergo per tale prędicatum sufficienter entitas illa est hęc, & non alia, adeoq. determinatè distinguitur ab omni alia ex vi præcisa illius.

Respōdeo concedendo, ex vi illius prędicati de facto contradistingui ab omni alia, quam non respicit illa vnio continuatiua, sed negando posse illud prædicatum accipi præscindendo à tali

vnione continuatiua, vel ab aliqua determinatione, & idcirco dico distingui indeterminatè. Explicamus hoc ex disparitate visionis respectu Continui; visio enim intuitiua, & perfectissima obiecti A, habet per suam entitatem respicere hoc obiectum, non tamen ex hoc habet suam indiuiduationē in ordine ad hoc obiectum, nam posset dari alia visio solo numero differens ab ea visione, quæ etiam esset in ordine ad obiectum A, certe esset diuersum indiuiduum ab ea, quia hæc visio per suam entitatem habet esse hoc indiuiduum. & hæc habet esse hoc indiuiduum, & non præcisè, quia respicit hoc obiectū, vndè si quis imperfectissimè cognosceret has duas visiones, posset cognoscere esse duas, etiam si nō cognosceret distinctè de quo obiecto sint. At verò entitas quæ est nunc palmaris differt à visione primò, quia visio per suam entitatem respicit hoc obiectum, lignum non respicit essentialiter hanc vnionem, sed potius respicitur ab hac vnione; secundò differt, quia hæc entitas ligni [illegible] respicitur ab infinitis modis, quare non habet potius, quòd [illegible] hæc, quia respicit hunc modum, quàm quòd respiciat alios, [illegible] sanè non habet visio, cuius indiuiduatio de se est talis; indiuiduatio ergo ligni est aliquid indifferens ad hunc, & infinitos modos, quare si concipiatur ecceitas, & indiuiduatio talis ligni, est aliquod indifferens ad infinitos modos, nec habet de se potius determinari ad hunc, quàm ad alios infinitos modos, quare pronomen illud, *hoc*, si cadat supra entitatem ligni, non potest explicari, nisi per particulam, *vel* nempe, vel prædicatum, quod taxatur ab vnione palmari A, vel prædicata, quę taxantur ab vnionibus semipalmaribus B, et C, et sic de cæteris, et ipsissima prædicata ligni, quæ taxantur ab vnionibus B, et C, sunt ipsum prædicatum, [illegible] taxat vnio A, adeoque si accipis eam entitatem, [illegible] id, quod est palmus ex parte ipsius, quàm id quod sunt duo semipalmi, et sic de cæteris partibus, ecce quomodo de se Continuum est quid essentialiter indeterminatum, et acceptibile in ordine ad varias determinationes. Atque hoc dicimus cùm asserimus partes in Continuo esse imperfectè distinctas, et indeterminatè se habere.

Obiicies primò, sequeretur partes in vno palmo ligni esse infinitas actu, contra id, quod à nobis dictum est in quæstione de infinito. Sequela probatur, nam [illegible] in hoc

quámuis non possi
bil es sunt syncate
omnia actu, itaut
gorematicè.

Respondeo ex i
do sequelam, ad pr
te perfectè, & dete
determinatè disti
nullum ex illis est
ab alijs, nego, vt s
cedo. Quotiescunc
prædicatum, quod
vt illud idem sit ac
infinitum, talis ent
categorematicè,
tentia ad plura, &
ordine ad diuersos

Dices Deus faci
determinatā à sua
fibi taxant modi p
facere, & ponere pe
negationibus) qu
nit.

Respondeo
hoc enim, vt Deu
gnoscat in ordine
semipalmares, &
hac entitate præd
dicata, quæ taxāt
les possibiles in i
raret alios modo
scendo hunc mo
taxat sibi in enti
nare suam omni
hoc prædicato p
uersa ab omni al
ni, si vellet proc
obiectis in [illegible]

Digitized by Google

quamuis non possint accipi, nisi in ordine ad illos, sed modi possibil es sunt syncategorematicè infiniti, ergo ea prædicata, quæ sunt omnia actu, itaut nullum ex his sit in potentia, sunt infinita categorematicè.

Respondeo ex ijs, quæ diximus in quæstione de infinito negando sequelam, ad probationem dico, prædicata hæc sunt actualitate perfectè, & determinatè distincta, nego, impetfectè solùm, & indeterminatè distincta concedo: similiter, distinguo cum dicitur nullum ex illis est in potentia, vt sit actu determinatè distinctum ab alijs, nego, vt sit actu, sed indeterminatè distinctū ab alijs, concedo. Quotiescunque ergo actualitas positiua est talis, vt vnum prædicatum, quod accipitur in ordine ad aliquem modum, sit tale, vt illud idem sit acceptibile in ordine ad alios modos possibiles in infinitum, talis entitas non dicitur habere actu infinita prædicata categorematicè, quia semper restat in quacumque acceptione potentia ad plura, & plura prædicata in infinitum, si comparentur in ordine ad diuersos modos.

Dices Deus faciendo hoc lignum, debet habere suam potentiā determinatā à sua cognitione, vt faciat hæc realia prædicata, quæ sibi taxant modi possibiles finiti in infinitū, ergo nō potest ea actu facere, & ponere per positionem positiuam (quod non militat in negationibus) quin ea collectiuè cognoscat, sicuti collectiuè ponit.

Respondeo concesso antecedente negādo consequentiam, ad hoc enim, vt Deus ponat hanc entitatem ligni, sufficit, vt eam cognoscat in ordine ad vnum modum palmarem, vel ad duos modos semipalmares, & sic de cæteris modis; ratio est, quia idem est in hac entitate prædicatum, quod taxat talis modus palmaris, ac prædicata, quæ taxāt duo modi tales semipalmares, & reliqui modi tales possibiles in infinitum, quare etiā si per impossibile Deus ignoraret alios modos, præter hunc palmarem, adhuc perfectè cognoscendo hunc modum, cognosceret sufficienter prædicatum, quod taxat sibi in entitate talis modus, & sic posset sufficienter determinare suam omnipotentiam ad hanc entitatem ponendam, quæ ex hoc prædicato præcisè sufficienter esset hæc individua entitas, diuersa ab omni alia, quæ non esset ipsa, quæ responsio non posset dari, si vellet producere in Petro cognitiones actu distinctas de obiectis in infinitum possibilibus, quia tunc non sufficeret, quod Deus cognoscat vnū, vel aliquod ex illis obiectis, sed deberet omnia,

Digitized by Google

vnione continuatiua, vel ab aliqua determinatione, & idcirco dico distingui indeterminatè. Explicamus hoc ex disparitate visionis respectu Continui; visio enim intuitiua, & perfectissima obiecti A, habet per suam entitatem respicere hoc obiectum, non tamen ex hoc habet suam indiuiduationē in ordine ad hoc obiectum, nam posset dari alia visio solo numero differens ab ea visione, quæ etiam esset in ordine ad obiectum A, certe esset diuersum indiuiduum ab ea, quia hæc visio per suam entitatem habet esse hoc indiuiduum, & hæc habet esse hoc indiuiduum, & non præcisè, quia respicit hoc obiectū, vndè si quis imperfectissimè cognoscèret has duas visiones, posset cognoscere esse duas, etiam si nō cognoscèret distinctè de quo obiecto sint. At verò entitas quæ est nunc palmaris differt à visione primò, quia visio per suam entitatem respicit hoc obiectum, lignum non respicit essentialiter hanc vnionem, sed potius respicitur ab hac vnione; secundò differt, quia hæc entitas ligni [illegible] respicitur ab infinitis modis, quare non habet potius, quòd [illegible] hæc, quia respicit hunc modum, quàm quòd respiciat alios, [illegible] sanè non habet visio, cuius indiuiduatio de se est talis; indiuiduatio ergo ligni est aliquid indifferens ad hunc, & infinitos modos, quare si concipiatur ecceitas, & indiuiduatio talis ligni, est aliquod indifferens ad infinitos modos, nec habet de se potius determinari ad hunc, quàm ad alios infinitos modos, quare pronomen illud, *hoc*, si cadat supra entitatem ligni, non potest explicari, nisi per particulam, *est*, nempe, vel prædicatum, quod taxatur ab vnione palmari A, vel prædicata, quę taxantur ab vnionibus semipalmaribus B, et C, et sic de cæteris, et ipsissima prædicata ligni, quæ taxantur ab vnionibus B, et C, sunt ipsum prædicatum, [illegible] taxat vnio A, adeoque si accipis eam entitatem, [illegible] id, quod est palmus ex parte ipsius, quàm id quod sunt duo semipalmi, et sic de cæteris partibus, ecce quomodo de se Continuum est quid essentialiter indeterminatum, et acceptibile in ordine ad varias determinationes. Atque hoc dicimus cùm asserimus partes in Continuo esse imperfectè distinctas, et indeterminatè se habere.

Obiicies primò, sequeretur partes in vno palmo ligni esse infinitas actu, contra id, quod à nobis dictum est in quæstione de infinito. Sequela probatur, nam prædicata, quæ sibi taxant in hoc ligno vniones continuatiuæ possibiles, sunt de facto omnia actu quam-

quamuis non possint accipi, nisi in ordine ad illos, sed modi possibiles sunt syncategorematicè infiniti, ergo ea prædicata, quæ sunt omnia actu, itaut nullum ex his sit in potentia, sunt infinita categorematicè.

Respondeo ex ijs, quæ diximus in quæstione de infinito negando sequelam, ad probationem dico, prædicata hæc sunt actualitate perfectè, & determinatè distincta, nego, impetfectè solùm, & indeterminatè distincta concedo: similiter, distinguo cum dicitur nullum ex illis est in potentia, vt sit actu determinatè distinctum ab alijs, nego, vt sit actu, sed indeterminatè distinctũ ab alijs, concedo. Quotiescunque ergo actualitas positiua est talis, vt vnum prædicatum, quod accipitur in ordine ad aliquem modum, sit tale, vt illud idem sit acceptibile in ordine ad alios modos possibiles in infinitum, talis entitas non dicitur habere actu infinita prædicata categorematicè, quia semper restat in quacumque acceptione potentia ad plura, & plura prædicata in infinitum, si comparentur in ordine ad diuersos modos.

Dices Deus faciendo hoc lignum, debet habere suam potentiã determinatã à sua cognitione, vt faciat hæc realia prædicata, quæ sibi taxant modi possibiles finiti in infinitũ, ergo nõ potest ea actu facere, & ponere per positionem positiuam (quod non militat in negationibus) quin ea collectiuè cognoscat, ficuti collectiuè ponit.

Respondeo concesso antecedente negãdo consequentiam, ad hoc enim, vt Deus ponat hanc entitatem ligni, sufficit, vt eam cognoscat in ordine ad vnum modum palmarem, vel ad duos modos semipalmares, & sic de cæteris modis; ratio est, quia idem est in hac entitate prædicatum, quod taxat talis modus palmaris, ac prædicata, quæ taxãt duo modi tales semipalmares, & reliqui modi tales possibiles in infinitum, quare etiã si per impossibile Deus ignoraret alios modos, præter hunc palmarem, adhuc perfectè cognoscendo hunc modum, cognosceret sufficienter prædicatum, quod taxat sibi in entitate talis modus, & sic posset sufficienter determinare suam omnipotentiam ad hanc entitatem ponendam, quæ ex hoc prædicato præcisè sufficienter esset hæc individua entitas, diuersa ab omni alia, quæ non esset ipsa, quæ responsio non posset dari, si vellet producere in Petro cognitiones actu distinctas de obiectis in infinitum posibilibus, quia tunc non sufficeret, quod Deus cognoscat vnũ, vel aliquod ex illis obiectis, sed deberet omnia,

sia, & singula obiecta collectiuè cognoscere, vt inter sō distincta, vt faceret eas cognitiones, quia prædicatum vnius cognitionis nō esset prædicata aliarum cognitionum. At in palmo ligni ipsum prædicatum, quod taxat talis vnio continuatiua palmi, est ipsissima prædicata, quæ sibi taxant alij modi tales in infinitum possibiles, ergo ad determinanda talia prædicata, non est necesse collectiuè cognoscere illos modos omnes, sed satis est cognoscere aliquos, vel hos, vel illos, vt sufficienter sint hæc ipsa prædicata, quæ taxantur ab omnibus in infinitum possibilibus, & hoc est esse prædicata imperfectè, et indeterminatè distincta.

Dices secundò, adhuc Deus videt esse actu ea prædicata, quæ sibi taxant modi possibiles, ergo videt ea esse simul infinita.

Respondeo negando consequentiam Deus enim videt eam entitatem, esse prædicatum taxatum à tali modo palmari, esse duo prædicata taxata à duplici modo semipalmari; esse tria prædicata respectu trium modorum talium, esse quatuor prædicata respectu quatuor modorum, & sic respectu aliorum modorum in infinitū; non potest autē videre vnam multitudinem collectiuè infinitam, quia non possunt accipi modi collectiuè infiniti, vt, suppono, negādo esse possibile infinitum categorematicum; quod si præscindatur à modis videt Deus entitates partium indeterminatè distinctarum, et quæ per se ipsas non possunt sufficienter ad inuicē distingui, sed solùm in ordine ad modos possibiles. Vnum quippe prædicatum in ea, est idem, ac plura, et plura prædicata prout comparātur cum vno, vel cum pluribus modis, et præscindendo ab hac comparatione dantur indeterminatè partes, et ita confusæ, vt non possint accipi, vt distinctæ, ita ut vna distinguatur per se ab alia.

Obijcies secundò, cum Arriag. hìc sect. 5. nu. 52. Auferat Deus nunc omnes modos continuatiuos ab entitate ligni palmaris, repugnat, vt ibi remaneat aliquod diuisibile, quia diuisibile essentialiter dicit vnionem inter partes, vt possint diuidi per ipsius destructionem, ergo remanebunt mera indiuisibilia.

Respondeo casum implicare, sicuti implicat creatura, verbi gratia Angelus sinè aliqua vbicatione, duratione, et actione, per quam pendeat à Deo.

Vrget Arriag. Cur hoc implicat? respondetur, quia Continuū non potest constare indiuisibilibus; sed reclamat ille hanc responsionem esse claram petitionem principii. Immeritò tamen reclamat;

hanc; numquã enim est petitio principii, quoties ego assigno rationem meæ conclusionis, quando Aduersarius petit à me, cur hoc quod repugnat meæ conclusioni, fieri non potest, nisi positiuam afferat rationem, qua probet hoc fieri posse, tunc enim debeo soluere illam rationem positiuam, et non afferre rationem meæ conclusionis, verbi gratia, si quis probet contra me non dari actionem distinctam, dicendo Deus potest producere formam, non producẽdo diuinitus actionem, non peto principium, si hoc negem, et dem rationem cur negem, illam nempe, qua meam conclusionem probo. At verò si afferat aliquam rationem physicã, quod possit Deus non ponere actionem, quia actio est accidens, et debet subiectari in aliquo; tunc teneor respondere illi difficultati per aliam rationem.

Sed probat, et melius intentum argumenti alio modo: etiam si Deus non possit annihilare omnes modos in hoc ligno palmari, tamen cognoscit entitatem ligni absolutam, contradistinctam ab omnibus modis, ac de illa petitur, est ne diuisibilis, an indiuisibilis? non primum, quia præscindit ab vnione, ergo secundum.

Respondet huic argumento P. Ouied. hic punct. 3. numer. 7. et 8. implicare, quod Deus præscindat ab vnionibus, quia sunt de essentia partium, sicuti non potest concipi homo, et præscindi ab vnione. Sed contra est, nam quoties vna entitas non est alia potest concipi hæc, præscindendo ab alia, hoc est possunt concipi prædicata ipsi intrinseca, et quid ipsis per se acceptis conueniat, sicuti potest concipi substantia Angeli, vt contradistincta ab omni actione, et quid illi conueniat, quamuis essentialiter exigat aliquam actionẽ, nec exemplum de homine, et vnione est ad rem; nam vnio est, quid intrinsecè constitutiuum hominis, adeoque, nisi ipsam accipias cum anima, et corpore non potes concipere hominem. At modi quamuis sint intrinsecè constitutiui partium determinatarum, non sunt tamen constitutiui entitatis, quæ non est modalis, in ligno palmari, adeoque si accipiatur per se entitas non modalis fieri potest semper argumentum, quod sint aliqua entia indiuisibilia.

Melius ergo respondetur argumento responsione communi, qua similibus obiectionibus satisfit; si quis enim accipiat substantiam Angeli contradistinctam ab vbicatione, habet ne esse alicubi, vel nullibi? Respondetur non habere esse alicubi præcisiuè, nõ negatiuè, et negatur simpliciter esse nullibi, hoc est, non esse alicubi

cubi negatiuè, et habere negationem omnium vbicationum, quod est falsum in Angelo existente, qui semper habet aliquam vbicationem: non esse alicubi præcisiuè, significat, quod per suam entitatem non habeat Angelus vbicationem; substantia enim Angeli, non est vbicatio, sed indifferens ad hanc, vel illam vbicationem, quare ipsa substantia per se accepta non habet de se vbicationem, habet tamen illam realiter superadditam; at verò esse nullibi significat habere realiter negationē omnis vbicationis. Similiter in casu nostro si per se concipiatur entitas ligni non modalis, non est diuisibilis præcisiuè, hoc est eam diuisibilitatem, quam de facto habet, non habet præcisè per suam entitatem, sed habet per modos superadditos, negatur tamen simpliciter esse indiuisibilē positiuè, quod significat realiter, non posse diuidi, cum enim realiter habeat modos; certè realiter diuidi potest, licèt hoc prædicatum diuisibilitatis non habeat præcisè per suam entitatem, sed per modos simul, et suam entitatem, in quo nihil videtur esse difficultatis.

Obijcies tertiò, vel potest accipi vna pars Continui contradistincta ab omnibus, vel non; si primum, illa esset indiuisibilis; non enim contineret partes, quia si contineret partes, non esset contradistincta ab omnibus partibus, sicuti dicitur in primo membro diuncti. Si secundum, ergo quælibet pars esset multitudo entium distinctorum, hoc ipso autē, quod detur multitudo debent tandem dari vnitates, quæ singulæ sint contradistinctæ à cæteris omnibus; si enim nō essēt vnitates cōtradistinctę, singulę vnitates essent multitudines aliarum multitudinum, & sic nihil explicaretur; nam si explicas multitudinem per alias multitudines, nescis semper quarū rerū constet multitudo, vt si dicas de Angelis sint multitudo multitudinū, et nō ponas Angelorū nihil explicasti; sic in casu nostro, quia semper explicas, multitudinem, per multitudines in ea contētas, nihil explicas, nisi deuenias ad vltimas vnitates, quę non sint amplius multitudines, adeoque sint indiuisibiles. Hoc argumentum maximè torquet eos, qui ponunt partes actu distinctas perfectè, & determinatè per se ipsas, videtur enim valde difficilè captu, quomodo sint infinita entia, & singula inuoluant alia, et non deueniatur ad vltima indiuisibilia. At posita distinctione partium imperfecta, & in ordine ad modos determinatiuos ipsarum soluitur argumentum afferendo, non posse vnam partem Continui accipi contradistinctam ab omnibus. Ad id, quod obijcitur cōtra hoc, dico explicari sufficienter partes non per alias solas multitudines, quas

quas continent, sed per ordinem ad modos, quos respiciunt, vt determinatiuos. ex. gr. explico duos semipalmos ligni, per ordinem ad duos tales modos, qui in se sunt determinati, & æquiualentes indiuisibiliter infinitis alijs modis, qui singuli sint ipsis imperfectiores, æquiualent enim quatuor quartis, & octo octauis, & sic de cæteris modis possibilibus; explicatur præterea diuisibilitas duorum semipalmorum, per modos possibiles minores, & minores in infinitum: sufficit enim ad diuisibilitatem, infinitum syncategorematicè possibile, quod habetur per possibilitatem modorum, & negationes aliorum modorum, siue formales, siue fundamentales, de quibus dicemus suo loco. Quare non explico essentiam vnius partis per multitudinem collectiuam entium, sed per duos conceptus, primò, eam concipiendo in ordine ad alios modos, à quibus sufficienter determinatur, vt sit hæc: secundò in ordine ad multitudinem partium syncategorematicè determinatarum ab infinitis modis minoribus, & minoribus in infinitum, et sic non explico multitudinem per multitudines, sed per res determinatas, & certas, nempe per modos aliquos. Exemplum Angelorũ fauet mihi, nam non solùm ibi explicarem hanc multitudinem precisè ex eo, quod contineat multitudines, qui modus explicandi bonus esse non potest, nisi deueniatur ad indiuisibiles vnitates, non enim ibi haberes aliquem modum determinatum æquiualentem alijs in infinitum minoribus, in ordine ad quem explices hanc multitudinem, sicuti habes in Continuo, ergo nisi explices per vltimas vnitates, restat semper inexplicata ea multitudo, atque hæc est ratio, quod omnis numerus actualis debet posse mensurari ab vnitate, quia tandem resoluitur in paruas entitates, at Cõtinuum mensuratur suis modis, à quibus determinatur, qui modi per æquiualẽtiam ad infinitos syncategorematicè minores habent esse tales, adeoque non debet dari vlla mensura indiuisibilis.

Obijcies quartò, diuidat Deus palmum ligni in quot partes potest diuidere, certè redigetur in partes indiuisibiles; si enim essent diuisibiles, possent diuidi, ergo non diuisit in omnes, in quas poterat diuidere, sic vrget hìc Arriag. sect. 6. sed iã ostendi alibi hoc argumentum nullam habere vim, esset enim dicere faciat Deus chymæram, quam potest facere, omnes enim diuisiones sunt chymæra, sicuti ergo hoc ipso, quod res est chymæra, quamuis addas, quã potest facere, nihil facis, sic quia omnes diuisiones sunt chymæra licèt addas, quas potest, propositio adhuc est falsa.

Dices propositio est identica.

Respondeo etiam est identica, Eodem pacto Deus potest facere chymæram, quã potest facere. Peccat autẽ propositio, quia loquẽdo de obiecto implicante, malè addis, quod potest Deus, est enim de subiecto non supponente, ac si dicam, meum est regnum Hispaniæ, quod est meum, partes ergo possibiles diuidi sunt essẽtialiter, quid indeterminatum, & syncategorematicè possibile, quare debet diuina volitio determinare numerum ipsarum, quem velit, qui sẽper erit finitus actu, licèt possit esse maior, & maior in infinitũ. Legãtur ea, quæ diximus de infinito, nihil autem est absurdi, quod potentia disiunctiuè tendat in plura, & non possit collectiuè ea facere; sicuti licèt Deus possit ponere in mea voluntate, vel actum amoris, vel odij circa aliquod obiectum, non potest ponere vtrumq. actum collectiuè, quamuis dicatur, faciat nunc Deus quidquid potest facere, quia potentia est disiunctiuè tendens. Eodem modo respondetur de diuina cognitione, quæ videt omnes possibiles diuisiones Continui. Videt enim per plures, & plures collectiones, sicuti sunt possibiles, non autem videt collectiuè; imò etiam dato, quod sit possibile infinitum, videret in tali sententia Deus infinitas diuisiones possibiles per partes proportionales, at non videret omnes, quia omnes sunt omnino chymæra, & hoc non gratis assumimus, sed probamus demonstrationibus clarissimis, quibus ostendimus Cõtinuum non posse constare puris indiuisibilibus mathematicis, sed partibus semper in infinitum diuisibilibus. Potest ergo diuidi Continuum in partes proportionales, nempe per medietates in infinitum. Similiter potest diuidi in partes æquales, sed minores, & minores in infinitum, itaut in qualibet diuisione semper fiant partes finitæ, in quo etiam est aduertendum, quod partes, quæ fiunt per vnam diuisionem destruũtur per aliam diuisionem, verbi gratia per vnam diuisionẽ fiunt duo semipalmi, per secundã fiũt quatuor quartæ, hæc secũda diuisio destruit semipalmos, nã duo semipalmi, dicunt essentialiter vnionem suarum partium, quam vnionẽ destruit secunda diuisio, diuidendo duos semipalmos per medietates, quę diuisio est destructio vnionis copulantis partes vtriusq. semipalmi, vnde fit, vt neque possint videri partes resultantes ex omnibus diuisionibus collectiuè, & simultate obiectiua, quia inuoluerent prædicata contradictoria, nam partes factæ per primam diuisionem, destruuntur per secũdã, & sic non possunt esse simul; sicuti non possunt esse simul Petrus, & eius negatio, semper itaque per quamlibet diuisionem fiunt, nouæ partes, & sic Deus cognoscit omnes partes collectiuè, quæ fierent per singulas diuisiones, quæ semper

semper sunt finitæ, licet minores, & minores, quoad extensionem, & plures, ac plures quoad numerum.

Obijcies quinto, si sphæra circumuoluatur in plano, designat rectam lineam in eo. Probo iam hanc rectam constare solis punctis mathematicis, nam sphæra non potest coæquari plano nisi in puncto, cum ergo describatur ea linea per coæquationem sphæræ, cum plano, designabitur per sola puncta. Sed facilè respondetur, & in primis, an, & quomodo dentur puncta dicemus articulo 7. Deinde etiam si daretur punctum distinctum, dico sphæram coæquari plano in puncto, dum quiescit, nō autem dum mouetur, quę libet enim res dum quiescit, occupat spatium sibi æquale, at dum mouetur occupat spatium maius se, imo hoc est omnibus soluendū, nam linea recta, & curua non possunt adæquari inter se, & tamen in tali circumuolutione designaretur in sphæra circulus, & in plano linea recta, omnes debent respondere nō esse absurdum in motu, lineam curuam coæquari rectæ; demonstrationes enim, & rationes in oppositum solùm demonstrant hoc in quiete, non autem in motu.

Ex dictis soluitur difficultas, quomodo in hac sententia diameter non sit commensurabilis costæ. Demonstrat siquidem Euclides in decimo propositione 5. eas magnitudines esse mēsurabiles, quę se habent sicuti numerus ad numerum; ergo si partes sunt actu distinctæ, tam costa, quàm diameter erunt multitudines partium, numerus autem definitur multitudo vnitatum. Respondetur ex dictis costam, & diametrum, & quodlibet Continuum non esse multitudinem vnitatum, sed esse multitudinem partium indeterminatarum de se, & consequenter diuisibilium per varios modos minores, & minores in infinitum; adeoque nulla datur communis mensura costæ, ac diametri; daretur autem talis mensura, si constaret vnitatibus tanquā vltimis componētibus, sicuti sunt vnitates in numero. Similiter respondetur illi quęsito, nempe quid sequatur post palmum A, immediatè? sequitur enim aliquod indiuiduum, si est diuisibile, iam non sequitur immediatè eius secunda medietas, hic autē petitur præcisè de ea entitate, quæ sequitur immediatè, prout contradistincta ab ea, quæ ita non sequitur. Respondetur sequi immediatè entitatem Continui, quę habet aliquem determinatum modum, et vt suo loco dicemus sequitur quoddam minimum Cōtinui, quod licèt habeat in se partes infinitas modo supra explicato, non potest tamen eas habere, nisi in ordine ad varios modos

posibiles, et sic non potest accipi entitas contradistincta ab infinitis entibus acceptibilibus in ordine ad varios modos, quia idem ipsum prædicatum, quod respicitur ab infinitis entibus acceptibilibus in ordine ad varios modos, est ipsissima prædicata, quæ respiciuntur ab infinitis modis syncategorematicè: reliquas difficultates petitas ex vnionibus partium, soluemus in lib. de Generatione.

ARTICVLVS VI.

De Continuo successiuo.

AD quatuor successionis genera videtur posse reduci Cõtinuũ successiuum, nempe, vel ratione loci, vel ratione formæ, vel ratione obiecti, vel ratione durationis præcisè. Ratione loci est vbi ratio fluens, per quam mobile semper est in diuerso, ac diuerso spatio, & dicitur motus localis; ratione formę est quando acquiritur noua, & noua forma, verbi gratia, cũ producitur calor per partes, itaut semper sit noua, & noua pars caloris producti; ratione obiecti, quando cognoscitur, siue per sensus, siue per intellectum, diuersum, ac diuersum obiectum, vel per appetitum, aut voluntatem amatur aliud, atq. aliud obiectum; ratione durationis est diuersitas ipsius durationis in se ipsam, etiam si terminus perseueret idem, quæ successio partium est ipsa essentia durationis, & tempus intrinsecum cuicumque rei, vt diximus in quæstione de tempore: hæc vltima successio, vt bene aduertit Aristoteles lib. 4. Physicorum non potest percipi dependenter a sensibus: si per varias mutationes rerum, quas experimur, vndè qui dormit non percipit durationem suam, & qui est valdè intentus alicui rei, vix percipit hãc successionem durationis; hinc solemus dicere cum sumus valdè occupati quod pertransit tempus, absque eo, quod animaduertamus.

Aduertendum hìc est omnes has species successionis, dici successiuas essentialiter, ratione durationis, quæ est idem, ac actio, non autem ratione termini, verbi gratia, partes caloris per se non sunt successiuæ, et saltem miraculosè posset produci secundus gradus, ante primum; similiter posset produci prius vbicatio subsequens quoad spatium, quàm antecedens; at verò ipsa actio, seu duratio habet partes essentialiter coordinatas, vt non possit quæcumque existe-

Digitized by Google

existere, nisi cum tali coordinatione respectu aljarũ, & Idcirco dicitur essentialiter successiua.

His positis quærimus primò hìc, an Continuum essentialiter successiuum constet solis instantibus indiuisibilibus, an partibus in infinitum diuisibilibus. Ad quam quæstionem dico cum Aristotele, & Communi sententia. Continuum successiuum non constare solis indiuisibilibus, & quamuis non possint contra hoc Continuũ afferri demonstrationes mathematicæ, quæ afferebantur cõtra Cõtinuum permanens, si constaret solis punctis, tamen probato iam quod Continuum permanens non constet ex punctis, sunt valida argumenta, quod successiuum etiam non possit constare ex pũctis, non quidem ex sola paritate, quę facillimè negaretur ab Aduersarijs, sed ex motu locali, sequeretur enim non posse dari motum localem. Nam in primò instanti, in quo mobile moueretur, deberet acquirere nouum locum, si enim esset in spatio, in quo erat instanti antecedenti, non moueretur: peto iam hoc nouum spatium, quod acquirit, verbi gratia lignum palmare, vel procedit extra spatium prius per vnum indiuisibile, vel per aliquid diuisibile, primum dici non potest, nam etiam sequenti instanti procederet per alterum indiuisibile, & sic spatiũ constaret solis punctis, quod hìc iam supponimus ex dictis implicare, neque potest dici secundum, nam sequeretur, vel quod mobile simul esset in duplici loco, vel quod peruenit ad nouum spatium, non transeundo per spatium itermedium, quæ naturaliter repugnant,



Probatur sequela, nam sit mobile A B, & in primo instãti motus occupet spatium C D. procedens vltra primum spatium aliqua parte diuisibili, nempe B D. certè debuit prius existere in spatio E F, quàm peruenire ad spatium C D, sed hoc prius, non datur in vno instãti, ergo vel simul est in spatio E F, & C D. vel transijt ad spatium C D, non per transeundo per spatium intermedium. Maioris autẽ claritatis gratia loquamur de vno puncto mobilis, vel de aliqua particula valdè minima, quæ sit B, iam hæc particula B, quæ prius erat in spatio B, in sequenti instanti per te erit in spatio D, vel ergo nunquã fuit in spatio inter B D, et sic transiuit ad punctũ D, non transeundo per spatium intermedium, vel si fuit in spatio intermedio, certè ibi fuit in instãti, quo mouetur, prius enim quiescebat

Digitized by Google

cebat in ſpatio B, ergo in eodem inſtanti erit ſimul in duplici loco, imo erit in toto ſpatio B D, quia nihil illius reliquit, niſi ad ſummũ vnicum punctum. Quare niſi ponatur Continuũ permanẽs coſtare ſolis punctis, ſiue mathematicè, ſiue phyſicè indiuiſibilibus, non poteſt poni Continuum ſucceſsiuum conſtare ſolis inſtantibus.

Obijcitur primò, pro hac ſentẽtia, nam ſi tẽpus nõ coſtarẽt ſolis inſtãtibus, nihil eſſet, nã tẽpus, vel eſt præſens vel præteritũ, vel futurũ. Præteritũ aliquãdo fuit præſens, futurũ aliquãdo erit præsẽs, ſed præſens eſt nihil, ergo etiã præteritũ, & futurũ nihil erũt, adeoq; totum ens ſucceſſiuum nihil eſt, quod prẽſens, ſit nihil, probatur, nã vel eſt merum indiuiſibile, vel diuiſibile, ſi primum habeo intentũ, nam quidquid eſt tempus cum aliquando ſit præſens, et præſens ſit merum indiuiſibile, quidquid eſt tempus ſunt mera indiuiſibilia. Si ſecundum contra eſt, nam diuiſibile ſucceſsiuum habet partes priores, & poſteriores, quę eſſentialiter habent non poſſe coëxiſtere ſimul, ergo ſibi inuicem non ſunt præſentes; ſi ergo præcisè accipiatur, quod eſt præſens, non poteſt includere partes non coëxiſtẽtes, nam ſi præſens coëxiſtit, implicat, quod coëxiſtat alteri, tunc ſimul non exiſtenti.

Neque dicas cum Thomiſtis partes temporis eſſe prẽſentes ratione inſtantis; nam contra eſt, quia cum exiſtit inſtans, non exiſtit pars, et eſt præterita, ergo fuit prius præſens, quod enim eſt præteritum fuit aliquando præſens, idem valet de pãrte, quæ ſequitur inſtans, eritenim futura. Quo pacto autem dicis præſens id, quod non eſt? Dicetur quidem præſens terminus illius partis nempe inſtans, at ipſa pars eſt incapax, vt ſit præſens, quomodo ergo verè exiſtit contradiſtincta ab inſtanti, ſi nunquam eſt?

Neq. dicas, cum Suario in Metaphyſ. q. 50. Hurtad. hìc ſect. 5. n. 80. eſſe præſentes partes inadæquatè, & indeterminatè acceptas, non autem per ſe totas. Contra enim, eſt nam hoc ipſo, quod concipis, & accipis partes, ſiue determinatè, ſiue indeterminatè, nõ potes præſcindere ab hoc prædicato ſucceſsionis, nempe, quod in ea ſit, quid eſſentialiter prius, & quid eſſentialiter poſterius, quãuis illud prius, & poſterius non determinetur, ſed veniat indeterminatè, et inadæquatè; quantumuis, ergo in ipſo conceptu prẽſentis veniat indeterminate, & inadæquatè prius, & poſterius, venit tamen præteritum, & futurum, ſine quibus prẽſens dari non poteſt, ſi ergo vt des prẽſens, nihil aſsignas niſi futurum, et præteritum, committis circulum, nam dicis eſſe præteritum, quod aliquando fuit prẽſens, et illud nũquã fuit prẽſens, ſed erat, vel præteritum, vel futurum.

Dif-

Difficile videtur hoc argumẽtum, ac plane insolubile aliquibus, quia numquam semel statuère, quid intelligant nomine *præsentis* & per vocem *nunc*, nisi autem hic statuatur, fiet magna quæstio de vocibus, sine conceptu obiectiuo. Dico ergo quod in vsu communi loquendi tam nomen *præsens*, quàm aduerbium, *nunc* applicamus etiam rebus diuisibilibus, sic dicimus præsenti anno; nunc dum ambulo, calefio &c. quæ loquutiones sunt de rebus diuisibilibus, vt patet. In perihermenia sufficienter explicaui, quid veniret nomine temporis præsentis, et per vocem *nunc*. nempe venire aliquam durationem intuitiuè cognitam à nobis, siue nunc, et præsẽs cadant supra ipsam, siue supra aliam illi intuitiuè cognitę coëxistentem, vt plurimis ibi explicauimus, et probauimus.

Cum autem nostra cognitio intuitiua est solùm instantanea (si potest dari instantanea) tunc præsens est instantaneum, si est successiua, etiam præsens est successiuum. Nomine enim *præsentis* nõ debet intelligi aliquid indiuisibile, neq. aliquid ex natura rei tale, sed præsens est terminus respectiuus in ordine ad nostram intuitionem, vndè respectu intuitionis vnius horæ, præsens est vnius horæ, et si Angelus per centum annos semper perseueraret in eadem intuitione alicuius durationis, centum anni essent *præsẽs*, respectu illius intuitionis. Hinc est, quod omnia dicãtur præsentia Deo, quia numquã definit Deus ea intueri coexistentia suæ æternitati adeoq. nihil est futurum Deo, quia nihil est in Deo, cui omnia nõ coexistant, quamuis inter se non coexistant.

Dices ipsa intuitio successiua habet essentialiter partes priores, et posteriores, ergo præteritas, et futuras, ergo non est præsens, nec mensura præsentis.

Respondeo verum esse, quod in ipsa etiam intuitione dentur partes priores, et posteriores, nego tamen eas denominari per se ipsas præteritas, et futuras. Nam prius, et posterius inter se, possunt respectu alterius, esse ambo præterita, ambo futura, ambo præsentia, et alterùm præsens, alterum futurum, si enim illa intuitio comparetur cum alia intuitione alicuius durationis illi non coexistentis, sed quę eam præcessit, prius, et posteriùs illius prioris intuitionis, se habent ambo, vt præterita respectu huius sequentis intuitionis, et sic dicimus de intuitione, quæ fuit heri, quod, licèt prima illius medietas fuerit prior respectu alterius medietatis, tamen vtraq. est præterita. Idem dico si intuitio sequetur post alteram intuitionem, ambæ enim medietates subsequentis, licèt vna

prior

prior, altera posterior, sunt futurę respectu alterius intuitionis præcedentis; si verò prima medietas intuitionis, comparetur cum aliqua alia intuitione durationis coexistentis cum ea, tunc ea medietas prior, respectu secundæ medietatis, erit præsens comparata cũ altera intuitione, et secũda medietas erit futura. Similiter si altera intuitio coexistet cũ secũda medietate alterius, hæc secũda medietas dicetur prȩsens respectu illius cui coexistit, et prima medietas dicetur præterita, quare, quod dentur partes essentialiter priores, et posteriores in re successiua, non tollit rationem præsentis, si fiat comparatio cum aliqua intuitione, et idẽ dico de partibus ipsius intuitionis, quæ ad hoc, vt denominentur prȩsentes, vel prȩteritæ, vel futuræ, non habent de se, sed vt comparatæ cum alijs intuitionibus durationũ, quæ illis partibus coexistãt, vel nõ coexistãt; at verò si nõ cõparentur cũ alijs intuitionibus modo dicto, sed solũ duratio cõparetur cũ illis, ea tota duratio cõparata cũ ea duratione indiuisibiliter accepta, dȩ prȩsẽs accipitur autẽ indiuisibiliter si cũ alijs intuitionibus nõ cõparetur, quare ex hoc argumẽto nihil colligitur pro cõpositione ex meris instãtibus in Cõtinuo successiuo.

Obijciunt secundò, quia partes successiuæ, vel vniũtur per vnionem distinctam, vel se ipsis; non primum, quia vnio deberet coexistere vtriq. parti, et sic esset res permanens, neq. posset vnire extrema, quæ non coexistant inter se, non secũdum, quia ea, quæ non coexistũt in aliqua mensura temporis, non possunt vniri, ergo nullo modo vniuntur.

Respondeo primò, hoc ipsum argumentum facere contra Aduersarios, nam duo instantia per ipsos, vel vniũtur se ipsis, vel vnione distincta, non se ipsis, quia non coexistũt in eadẽ temporis mensura, non per vnionem, quia extrema non coexistũt inter se, ergo nullo modo vniuntur.

Respondeo secũdo, directè partes essentialiter successiuæ facere vnum in ratione successiui; vnũ autem in ratione successiui non est esse vnum permanens, sed habetur per vnitatem valdè diuersã, nempe per negationem interruptionis, sola enim interruptio facit, vt non sit vna successio, vt optimè obseruauit Aristoteles lib. 4. Physicorum, interruptio, autem est cessatio, hoc est negatio alicuius successionis, vndè negatio interruptionis, est quid positiuũ, sicuti est negatio corruptionis; est ergo ipsa existentia partiũ successiuarũ essẽtialiter vnio hoc ipso enĩ, quod existit pars A, et pars B, cum essentialiter habeant de sua entitate, vt si ambæ existant, sibi sint omnino immediatę, nihil ampliùs requirũt ad vnitatem in ra-

ratione successionis, negatur ergo, quod partes essentialiter successiuæ ad hoc, vt vniãtur inter se, debeant existere in eadem mensura, imo debent non coexistere, quia conceptus vnius successiui dicit essentialiter non coexistentiam partium, non est autem necessaria vnio distincta, quia per ipsam existentiam vtriusque partis præcisè, tollitur omnis formalis indifferentia ad essendũ, vel non essendum vnum Continuum in ratione successiui, quia per se ipsas sibi succedunt illæ partes. si ambæ existunt, ergo nihil aliud requiritur ad Continui vnitatem in ratione successiui, dixi in ratione successiui, quia ad vnitatem in alio genere, requiruntur alia, de quibus hic nõ fit controuersia.

Dico secũdò, in Cõtinuo essẽtialiter successiuo dãtur partes actu distinctæ indeterminatè, impropriè diuisibiles in infinitũ. Explicatur prius cõclusio; diuisibilitas propria est cũ vnũ diuidicur in duo, ita ut existãt à parte rei illa duo diuisa, vt cũ gutta aquę diuidicur in duas guttas, atq. hæc diuisio est posibilis in Cõtinuo permanẽt i. at verò diuisio impropria est, quãdo nõ possunt quidẽ coexistere duæ partes vnius diuisæ, potest tamen, vel hæc, vel illa existere sinè altera, verbi gratia duæ semihoræ eiusdem horæ, non possunt ambæ existere, altera prius, altera posterius, quin faciant, vnum, potest tamen existere prima semihora, etiam si non existat postea secunda, & potest existere secunda, etiam si non extiterit prima, hic autem modus existendi vnius, absque eo, quod existat vllo pacto altera pars, appellatur quædam diuisibilitas impropria; vel si non placet hoc vocabulum, ne quæsò laboremus de voce, rem percipis appella quocunmque vocabulo libuerit. Conclusio sic explicata sequitur ex dictis, cum enim Continuũ successiuum nonposit constare solis indiuisibilibus, oportet, vt constet partibus modo dicto diuisibilibus, an præterea dentur instantia indiuisibilia præter partes, dicemus infra.

Verùm alia restat hic difficultas propria successionis. Nam de partibus Continui permanentis, diximus determinari ab aliquibus modis in se ipsis determinatis, & forsasse minimis, vt suo loco videbimus. Hoc autem videtur dici non posse de partibus Cõtinui successiui, nam vel tales modi determinantes partes successiuas, essent indiuisibiles, quoad entitatem, vel non, si secundum iam non essent ipsi determinati, haberent quippè partes priores, & posteriores in infinitum impropriè diuisibiles, per quid ergo essent quid determinatum? Si primũ contra est primò, quia iam daretur crea-

tra essentialiter durans aliqua duratione diuisibili, talis enim modus quamuis minimus, cū sit realiter indiuisibilis, & coexistat partibus temporis diuisibilibus, esset virtualiter diuisibilis; quod impugnauimus agentes de duratione. Secundò, quia neque hic modus esset possibilis ex allo capite, nisi fingatur esse omninò otiosus, nam vel per suā entitatē habet vnire eas partes, vel non, si secundum est otiosus, si primum non posset existere, nisi partes illæ inter se coexistant; modus enim essentialiter vnitiuus partium, exigit partes, non solùm sibi, sed etiam inter se coexistentes; hoc autē implicat in partibus essentialiter successiuis.

Dices sufficit, vt hic modus essentialiter indiuisibilis exigat essentialiter partes sibi coexistentes, sed non coexistentes inter se, quia talis debet esse essentia modi vnientis partes essentialiter successiuas. Sed contra est, nam posito illo modo tolleretur libertas ad ponendas, vel non ponendas partes illas temporis, nam hoc ipso quod in prima millesima parte illius temporis existeret modus, reliquæ partes temporis necessariò ponendæ essent, quia essentialiter exiguntur ab isto modo, ergo non saluaretur libertas, nec humana, neque Diuina, quia essent omninò ponendæ illæ partes subsequentes ex necessitate antecedente, ergo ad quid ponis modum melius pone durationes essentialiter indiuisibiles, et virtualiter diuisibiles, nam omnia argumenta, quæ fiunt contra illas, faciunt contra hanc necessitatem partium successiuarum, ex ipsa exigentia ipsius modi, adeoq. esset prorsus inutilis talis modus.

Est igitur diuerso modo philosophandum de Continuo successiuo, ac de permanenti, ob diuersitatem essentialem quam habent. Continuum enim successiuum, vt vidimus sufficienter habet partes vnitas ad inuicem per ipsarum præcisam existentiam, quod nō habet Continuum permanens, adeoque nullus debet dari modus, eas partes continuatiuè vniens, cum satis se ipsis vniantur. Hinc autem fit, maiorem videatur habere indeterminationem successiuum, quam permanens, quia alterum habet modos proprios determinatiuos, alterum non habet proprios. Verum si res attentè consideretur, non desunt determinationes extrinsecæ, in ordine ad quas determinentur partes successiuæ essentialiter, nam vt suo loco diximus, quælibet res taxat naturaliter pro sui prima positione talem mensuram temporis, hoc est talem sui durationem, verbi gratia Angelus naturaliter exigit pro sui prima productione hanc entitatem, tantam suæ durationis, adeoq. si comparetur cum substan-

stantia Angeli habente talem exigentiam duratio, ipsius concipietur sub conceptu talium partium, & idem dico de qualibet re producibili. Præterea quia Deus posset producere rem, pro minori duratione, quam ipsa naturaliter exigat in infinitum, potest duratio essentialiter successiua comparari cum decretis Dei, quidquid illa sint, diuersis, determinatis essentialiter in se ipsis, cum quibus comparata, habet, quod sit talis pars, sicuti diximus de Continuo permanente. Præterea determinatur extrinsecè duratio ab effectu determinato, cuius determinatio habetur à tali causa in talibus circumstantijs posita, v.g. posito tali agente, ita approximato, & tali passo ita disposito, talis calor requirit tantam durationem in sui productione; si ergo duratio comparetur cum tali determinatione causæ, vel effectus dicetur vna hora, verbi gratia, ita mensuramus clepsydra tempus, quia comparatur cum exigentia talis grauitatis, quæ est in puluere collocato supra foramen &c. talis exigentia taxat tantam durationem, & sic de cæteris.

ARTICVLVS VII.

An dentur indiuisibilia in quantitate permanenti.

QVærimus an in Cõtinuo permanẽti præter partes diuisibiles, dentur aliq uæ entitates prorsus indiuisibiles, etiam quoad spatium. Multi affirmant dari hæc indiuisibilia præter partes, siue actu, siue potentia distincta, ita communiter Thomistæ, & Scotistæ, Suar. disp. 36. Metaph. sect. 5. Ruuius 6. Physicor. tract. de compositione Continui, num 15. Hurtad. disput. 15. physicæ sect. 2. & alij quos citant Conimbric. lib. 6. physicor. c. 2. qu. 1. artic. 1. & 4.

Negant alij dari vlla indiuisibilia in Continuo permanente. Ita Durandus in 2. distinct. 2. quæst. 4. & tota Schola Nominalium. Albertinus tom. 2 disp. 3. qu. 7. Auersa q. 22. sect. 4. Peterius, & alij Recentiores.

Pro solutione aduertendum est, posse dari triplex genus indiuisibilium, quoad spatium: primum est punctum, quod est simpliciter indiuisibile, et definitur, quod nullas habet partes, adeoque est secundum omnes rationes imparti bile. Secundum genus est li

nea, quæ secundum quid est indiuisibilis, siquidem est longitudo expers latitudinis, adeoque est indiuisibilis, quoad latitudinem, licet diuidi possit quoad lõgitudinem. Tertium genus est superficies, quæ habet quidem latitudinem, & longitudinem, sed nullam habet profunditatem, et consequenter est indiuisibilis quoad profunditatem seu crassitiem.

Dico nullum dari, indiuisibile realiter in quantitate permanenti.

Probatur primò conclusio, nam indiuisibile quoad spatium, vel occupat diuersum spatium à spatio partis diuisibilis, vel non, neutrum dici potest, ergo non datur: si dicas primum, ergo facit maius spatium indiuisibile additum parti, quàm sola pars, quod aduersarij non admittunt. Sequela probatur, quia si indiuisibile occupat diuersum spatium, certè hoc spatium diuersum, additum alteri spatio partis, facit maius in ratione spatij; quid enim est facere maius in aliqua ratione, quam addere vnum alteri, participãs eandem rationem. Si dicas non occupare diuersum spatium à spatio partis diuisibilis, contra est, nam indiuisibile existẽs alicubi est, ergo vel extra, vel intra spatium partis A sibi coniunctæ, si est extra ergo intra spatium partis B sequentis, si est intra erit in spatio partis A. Vtrumque autem esse non potest, nam penetraretur cum aliqua parte diuisibili.

Nec dicas penetrari quidẽ cũ parte diuisibili, sed minori, & minori in infinitũ ita vt assignari nõ possit cũ qua penetretur, nã cõtra est primò, quia entitas actu existẽs sufficiẽter assignat id, cũquo penetratur, quia verè datur aliquod penetratũ cũ ea, & aliquid nõ penetratũ; implicat autẽ, vt realiter id quod penetratur, sit idẽ cũ eo, quod non penetratur ergo omnino designat aliquam entitatẽ diuisibilem, quod implicat. Secundò, quia quando vnum indiuisibile tangit aliud, verbi gratia superficies manus dexteræ, tangit sinistram, illæ duæ superficies penetrantur per Aduersarios, ergo etiã aliquæ partes diuisibiles manuum, quæ sunt simul cum illis superficiebus penetrantur, quod repugnat quantitati. Tertiò, quia potissima argumenta, quę faciunt aduersarij contra nos, hac ipsorum responsione eneruantur, vt infra patebit.

Secũdò probatur, quia hæc indiuisibilia sunt omnino superflua, & inutilia, ergo frustra multiplicantur. Antecedens probatur, nam indiuisibilia, vel sunt terminatiua, hoc est terminant quantitatem, verbi gratia, duo extrema puncta terminãt lineam, tres lineæ terminant

minant superficiem triangularem, superficies sphærica terminat corpus rotundum; vel sunt continuatiua, verbi gratia in linea bipalmari punctum inter primum, & secundum palmum illos continuat, similiter linea intermedia in superficie bipalmari continuat duas superficies, & in duabus aquæ guttis superficies, quibus se contingunt aquæ coniunctę, continuant duo illa corpora, itaut euadant vnum, sed neque terminatiua, neque copulatiua sunt vtilia, ergo sūt omnino superflua. Hoc antecedens probatur, et quod spectat ad terminatiua, patebit ex solutione argumentorum; possunt enim optimè fieri contactus, sinè his realibus indiuisibilibus, vt mox videbimus; quoad copulatiua probatur, nam vel ponuntur hæc indiuisibilia copulatiua esse absoluta, hoc est indifferentia, vt vniant has duas partes, vel ponuntur esse relatiua, nempe modi essentialiter vnientes duas partes, neutrum dici potest, ergo nihil iuuant ad partium vnionem. Minor probatur quia si sunt indifferentia, ergo, vt duæ guttæ aquæ faciant vnam aquā, nihil seruit indiuisibile copulatiuum intermedium, quia illud est indifferens ad vniendum per te, ergo per aliquid aliud debet fieri continuitas partium, adeoque frustra ponitur in ordine ad faciendam continuationem. Si dicas indiuisibilia continuatiua esse modos, & in hoc differre à terminatiuis, quod illa essentialiter habēt terminare, hæc autem essentialiter habeant vnire. Contra est, quia quando producitur successiuè, verbi gratia vna linea caloris in eo instanti, in quo producitur vnum indiuisibile copulatiuum, non dū est pars sequens caloris, quæ ab ipso indiuisibili deberet per te vniri cum parte antecedenti, quia productio est successiua, ergo illud indiuisibile copulatiuum, non habet essentialiter vnire per suā entitatem duas illas partes. Consequentia probatur nam vnio, implicat, quod existat quin vniat, sed per te debet existere pro aliquo instanti indiuisibile copulatiuum, absque eo, quod copulet partes, quia tunc non est adhuc producta pars sequens, ergo non potest essentialiter esse modus vniens partes.

Secūdò impugnatur indiuisibile copulatiū, quia nō potest assignari, quę nā vniret, siue enim ponas partes actu distinctas, siue potētia; indiuisibile copulatiū A, nō vnit plures, quā duas partes simplices, non enim vnit duos cōplexus partiū, quia cōplexus partiū habēt alia infinita indiuisibilia copulatiua, quibus vniātur, sed implicat, quod vniat duas partes simplices, nam ille partes sunt diuisibiles, ergo implicat esse simplices, vel actu, vel potentia: quare

nihil

nihil proficiunt hæc indiuisibilia copulatiua ad copulandas partes.

Tertiò probatur conclusio argumentis mathematicis; nam sit pyramis quadrata, sicuti sunt obelisci, vel sit conus, nempe obeliscus rotunda, certè tam pyramis, quàm conus desinunt in punctũ, vt omnes admittunt: peto iam, illud vltimũ punctum in summitate coni est ne immediatè superpositum alicui paruo circulo, vel est penetratum cum eo? an est superpositum entitati, etiam indiuisibili? non potest dici secundum, quia post punctum nõ sequitur punctum, sed immediatè sequitur corpus, sed corpus est diuisibile, & habet semper in cono figuram circularem, ergo si immediatè post punctum illud sequitur corpus, debes dicere punctum esse superpositum paruo circulo, vel cum eo penetratum, hoc autem est apertè falsum, quia conus A B desinens in circulum A, quantumuis paruum, etiam si supra illum circulum ponas, vel cum eo penetres punctum, certè non est conus integer, sed trũcatus, vt per se patet. Præterea sit pyramis DEC habens vnum palmum pro singulis basis lateribus, peto hæc superficies basis huius pyramidis, est ne superposita, vel penetrata cũ entitate diuisibili lata vnũ palmũ, an lata minus: si dicas primum ergo pyramis habet aliquam sui partem diuisibilem æquè latam, quod est falsum, semper enim pyramis est minor, & minor incipiendo à basi, ita vt nihil crassũ possit assignari, quod habeat æqualẽ latitudinem; si dicas secundum ergo superficies basis auget longitudinẽ pyramidis, quod est falsum, quia superficies non habet vllam crassitiẽ, quæ possit reddere pyramidem longiorem; sequela probatur, quia præscindendo à superficie basis, tota longitudo pyramidis, nõ obtinet in vlla parte latitudinem palmarem, sed minorem, ergo si de facto longitudo habet latitudinem palmarem, certè à superficie basis superadditur aliqua longitudo ipsi pyramidi: omitto multa alia argumenta, cum hæc satis sint.





Obij.

Obicies primò, quid sunt ergo punctum, linea, & superficies, de quibus sæpè loquuntur Mathematici, & quæ non possunt omnino negari?

Respondeo realiter loquendo, esse entitatem corporis trine dimensam, nempè longam latam, & profundam, sed formaliter inadequatè; acceptam, superficies enim est, si accipiatur, ea entitas præscindendo à profunditate, nam prout stat sub tali acceptione formaliter dicitur longitudo, & latitudo expers profunditatis, ex pers quidem formaliter, non realiter, sicuti animal dicitur formaliter expers rationalitatis, licèt realiter eadem entitas, sit etiam rationalis: linea verò est longitudo præscindens à latitudine, & profunditate; punctum est esse terminum lineæ præscindendo ab eo, quod sit longum, latum, & profundum, & ita sub tali acceptione, formaliter non habet partes, quare realiter non datur entitas indiuisibilis, sed diuisibilis, & solùm formaliter indiuisibilis.

Dices quando præscindis, verbi gratia à profunditate, à qua præscindis, siquidem profunditas non est, quid distinctum à longitudine, & latitudine, ergo si ab ea præscindis, præscindis etiam à longitudine, & latitudine.

Resp. sicuti diximus agêres de præcisione obiectiua, quod totũ rectũ profunditatis, longitudinis, & latitudinis venit, & concipitur quando concipiuntur formaliter indiuisibilia, vnde ex parte obiecti nõ accipitur aliquid in recto, & aliquid in recto relinquitur, quasi daretur præcisio ex parte obiecti, & per consequens distinctio realis, sed idem rectum concipitur in ordine ad diuersa obliqua extrinseca, hæc autem obliqua extrinseca sunt diuersa. Vbi, saltem possibilia in ordine, ad quę potest accipi Continuum intermedium, eiusque spatium, longitudo enim est corpus, seu spatium intermedium acceptum in ordine ad vbicationes sibi immediatas, sed maximè inter se distantes, latitudo est eadem entitas accepta in ordine ad alias duas vbicationes ex transuerso positas, minus distantes, altitudo est eadem entitas in recto accepta, in ordine ad duas vbicationes, alteram supra, alteram infra: sit exempli in tabula hic depicta: si considereretur hoc spatium tabulæ solùm in ordine ab vbicationes A B, illi immediatas, quæ tamen maximè distant, & præscindamus



mus ab aliis vbicationibus ambientibus hoc ſpatium tabulæ, tunc concipitur tabula formaliter ſub conceptu longitudinis, & lineæ, ſub tali enim conceptu præſcindimus an habeat, vel non habeat partes ex B, verſus D, quia non conſideramus vbi D, neque aliud vbi. At verò quando conſideratur eadem tabula in ordine ad vbi A, & B, et D, tunc conſideratur ſuperficies, & præſcinditur à craſitie, quia non conſideratur habere partes verſus vbi C, & ita per diuerſa obliqua extrinſeca, optimè poſſumus ſaluare, quomodo formaliter poſsit accipi corpus, & ſpatium trine dimenſum per conceptum lineæ, & ſuperficiei, qui conceptus ſemper formaliter declarat rationem extenſionis, ſemper enim concipitur pars extra partem. Conceptus verò puncti habetur ex eo, quod concipiatur entitas diuiſibilis quidem, ſed præſcindendo ab omni diuiſibilitate, itaut non accipiatur in ordine ad diuerſas vbicationes diſtantes inter ſe, ſicuti fit in linea, & ſuperficie, ſed ſolùm in ordine ad aliquod vbi immediatum, verbi gratia ſi hæc tabula conſideretur, vt immediata vbi A, præſcindendo ab aliis vbicationibus ſub tali conceptu concipitur quidem corpus, ſed ſub conceptu valde confuſo, itaut per ipſum non explicetur ratio extenſionis, ſicuti cum concipitur ratio entis, non concipitur ratio animalis, adeoq. punctum formaliter excluditur à conceptu quantitatis, non autem linea, & ſuperficies, quę ſunt ſpecies quantitatis etiam per Ariſtotelem. Mathematica, ergo ad faciendas ſuas demonſtrationes conſiderat extenſionem, ſeu ſpatiſi per hos conceptus preciſiuos, & dicit hanc lineam eſſe æqualem alteri, quia hæc duo vbi terminantia hanc quantitatem, æquè diſtant, ac alia duo terminantia alteram & idem proportionaliter dico de reliquis aſſertionibus mathematicis.

Obijcies ſecundò, dantur phyſici contactus cylindri, ſeu columnæ cum plano, & ſimiles contactus, ſed hi contactus fiunt in entitate indiuiſibili, vt demonſtratur, quia columnę ſuperficies non poteſt adæquari plano, niſi per lineam rectam, & ſphæra per punctũ, ergo non poſſunt negari indiuiſibilia realiter in quantitate.

Reſpondent aliqui ad hoc argumentum primo, dari non poſſe figuras perfectè ſphæricas, vel rotundas, adeoq. negant dari tales contactus. Sed contra eſt, quia de facto ſuperficies alicuius ſphæræ, vel tota conſtat planis rectis, vel habet aliquam partem, quamuis paruam, rotundam: ſi dicas ſecundum, ergo ſi ſecundùm illam partem rotundam ponatur ſupra planum dabitur contactus in puncto.

Si

Si dicas primum, sequitur quod illa plana recta quamuis plana, faciant tamen angulos inter se; linea enim recta inclinata ad rectam facit angulum, quare si ponatur talis angulus supra planum, itaut neutra linea complectens angulum coæquetur plano, certè tangit in puncto, vt patet in hac figura, quæ insistit supra lineam rectam in angulo, adeoq. tãgit in puncto.



Dicunt secundò, aliqui non posse sphæram planum rangere, sed semper erit aër, licèt paruus, intermedius. Sed contra est primò, quia annihiletur aër, cur sphæra non ita descẽdet, vt tãgat planũ, sed debet distare aliquo spatiolo? Secundò Deus per lineã rectam moueat sphærã generatam in aliquo solido marmore, & totum marmor, quod est penetratum cum sphæra in eo saxo, annihiletur à Deo, certè remanebit foramen rotundum in saxo, tunc ponatur idem globus intra illud foramen, certè tanget superficiem foraminis, quia foramen non est maius globo quoad rotunditatem, ergo in eo casu dabitur contactus globi in superficie foraminis in linea circulari.

Melius ergo respondetur concedendo dari similes contactus, sed explico, quomodo fiant: tangere siquidem in puncto, vel in linea, vel in superficie, non est, quod detur aliqua indiuisibilis entitas, quę tãgatur, sed verè tãgitur entitas diuisibilis in se, sed propter figuras, eorumque summam propinquitatem, datur à parte rei fundamentum faciendi præcisiones requisitas ad conceptum puncti, vel lineæ, vel superficiei, & ita Mathematicus simpliciter pronũciat iuxta suam abstractionem dari punctum, & lineam, et superficiem, sicuti si è lõginquo videatur motus progressiuus, datur fundamentum dicendi illud mobile est animal, et non daretur fundamentum dicendi, est equus, quia ex vi talis longinquitatis non potest fieri clarior cognitio, sic proportionaliter dico, quod ex vi contactus præcisè, hoc est maximè appropinquationis illorum corporũ, habentium talem figuram, non possint accipi entitates, quæ se tãgant, nisi sub conceptu præcisiuo, vel puncti, vel lineæ, vel superficiei, hoc vt clarius intelligatur.

Aduertendum est, quòd vox *tangere*, & *contactus*, non significat aliquam penetrationem duorum corporum, nec aliquam adæquationem vnius cum altero, sed solùm significat, quod vnum corpus

sit ita proximum alteri, vt salua illorum figura magis approximari non possint, nisi penetrentur. Certè hæc definitio contractus est vniuersalis, et maximè clara, quia optimè intelligimus, quid sit approximatio, ita vt non detur penetratio. Hoc posito.

Dico, quod aliqui sunt contactus, in quibus ita corpora approximantur, vt possit concipi superficies determinata in vno corpore, et superficies determinata in altero, et quod inter illas nihil intermediet: talis autem contactus dicitur adæquatus, et commensurabilis, et euenit, si verbi gratia lapis planus superponatur supra lapidem planum, et sic inter lapidem superiorem ita considerati, et lapidem inferiorem nihil intermediat, vnde dicitur adæquatè tangere, et commensurabiliter.

Aliquando verò contactus potest esse inadæquatus, & secundùm quid, cum scilicet potest assignari aliqua longitudo in corporibus tangentibus, inter quam, & alterum corpus nihil intermediet, sed non potest assignari simul aliqua alia longitudo, seu latitudo, inter quam, et corpus tangens nihil intermediet, sed quæcumque assignetur latitudo, semper intermediet corpus, ita tangit columna A, planum C B, si enim consideretur columna secundùm longitu-



dinem, nullum corpus est intermedium inter columnam, & planũ. At verò si cõsideretur columna secundùm latitudinem, semper inuenitur aër, qui intermediat, et ita dicitur cõtactus inadæquatus, et incõmensurabilis. Tertiò potest dari talis cõtactus, qui sit maximè inadequatus, quando scilicet dantur duo corpora ita approximata, vt tamẽ si accipitur, vel lõgitudo, vel latitudo illorũ quãtũuis minima, sẽper aliquod aliud corpus intermediat, vel potest intermediare salua figura, et propinquitate illorũ corporũ, et quod ita tangit, dicitur tangere in pũcto, & omninò incõmensurabiliter secun-

secundùm omnem rationem. Sic sphæra tangit planum, quia considerando, tàm sphęram, quàm planum, secundùm quamlibet lõgitudinem, vel latitudinem, quamtumuis minimam; nulla tamen potest assignari, in qua nõ itermediet aër, adeoq. nulla datur coæquatio sphęræ cum plano, et sic dicitur tangere in puncto, nam ex vno capite datur talis propinquitas sphęræ cum plano, vt nõ possit dari maior salua figura, et ex alio capite ex vi talis propinquitatis non dantur alia obliqua necessaria ad concipiendam extensionem spatij, & ita datur contactus, ex vi cuius, neque in tangente, neque in tacto possint concipi partes, et ideo datur fundamentũ ad conceptum puncti.

Dices primò, repugnat ex vno capite esse maximè approximata, et ex alio capite dari aliquid intermedium inter illa duo corpora, sed ita se habent sphęra, et planuum; columna, et planum, et similia corpora, nisi detur entitas indiuisibilis, inter quam, & planũ nihil intermediet, ergo debet dari talis entitas.

Respondeo negando maiorem, quæ facit etiam contra aduersarios: ponamus enim dari entitates indiuisibiles, vt ipsi volunt, peto si Deus annihilaret punctũ in sphæra, quo tangit planum distaret ne sphęra, à plano, an non: si nõ distat, ergo iã præscindendo ab indiuisibilibus potest dari indistantia inter duo secundùm se accepta, licèt quælibet pars assignabilis per se distet ab alia, et quælibet possit magis approximari plano; si sphæra distat, ergo distabit per vnum indiuisibile, quod est falsum, quia indiuisibile non facit distantiam etiam per aduersarios, cum sit simul cum parte diuisibili, ecce ipsi etiam tenentur soluere suas obiectiones.

Dico igitur dupliciter posse dari corpus intermedium inter duo corpora. Primò cum corpus intermedium est ita crassũ, vt possit assignari aliqua crassities minor, quã sit, quęlibet crassitie assignabilis illius corporis intermedij, seu quod clarius est, quãdo duo corpora ita distãt inter se, vt possit extra illa assignari distãtia ita parua, qua minor dari adhuc non possit inter illa duo corpora, certè si hoc pacto distent duo corpora vltro cõcedo, quod non se tangant, seu non sint ita approximata, vt magis approximari non possint. Secundò possũt dari duo corpora, quæ secundum partes assignabiles ita distent inter se, vt nulla sit assignabilis alia distantia quantumuis minima, qua nõ possit assignari alia minor inter hæc duo corpora, et talis distantia horum corporum benè stat cum contactu inadęquato, seu cum summa propinquitate horum cor-

porum, si enim secundùm se tota accipiantur, magis non possint approximari, atque hoc debēt etiam dicere Aduersarij, nam loquendo de entitate diuisibili horum corporum, vel distat, vel non distat; non potest dici, quod distet, quia solùm distaret per vnicum indiuisibile, neque quod non distet, ergo secundùm quamlibet partem assignabilem illa corpora distant, ergo etiam Aduersarij debent dicere, quod distant inadæquatè, et incommensurabiliter, quod non est contra rationem maximæ propinquitatis.



Totum hoc potest explicari duobus corporibus consideratis sub cōceptu superficiei; sint enim duæ superficies lapidum, se contingētes in puncto, certè vterque lapis non possunt magis approximari, et tamen inter vtrumq. lapidē intercedit aer hinc inde, et inter aēres intercedūt lapides, sed intercedunt inadęquatè, lapides enim distant inter se, vt assignata distantia quantumuis minima extra lapides, possit adhuc assignari minor illa in ipsa lapidum distantia, adeoq. lapides, distant inadæquatè, sicut etiam inadæquatè distant aēres, quia assignata quātumuis minima distātia extra aēres, potest adhue assignari minor illa, in ipsa distantia aērum.

Dices secundò, Aristoteles dicit illa esse continua quorum extrema sunt idem, et illa contigua, quorum extrema sunt simul, ergo explicatur contactus per penetrationem extremorum.

Respondeo negando consequentiam. Aristoteles enim non definit quomodo extrema debeant accipi, solùm ne formaliter, an realiter, quare dicimus extrema debere accipi solum formaliter, itaut illa sint continua, quorum extrema formaliter considerata sunt idem realiter, si enim in ligno bipalmari consideretur vnus palmus, vt terminatus, et alter etiam palmus, vt terminatus, tamen vtraque terminatio constituit vnum Continuum. At verò in rebus contiguis, quæ realiter sunt separata, dicuntur extrema esse simul, quia datur entitas ex vna parte, et entitas ex alia, et vtraque conceptibilis sub conceptu extremi, quæ tamen entitates sunt realiter diuersæ, & sunt simul; hoc est sub tali conceptu acceptæ non habēt distare,

Digitized by Google

distare, quod verificatur etiam in contactu puncti, nam si consideretur sphæra quatenus est vicinissima plano, & præscindatur ab eius longitudine, & altitudine, sub tali conceptu formaliter non concipitur esse aliquod intermedium inter ipsam, & planum, & ita potest bene dici, quod extremum sphæræ acceptum formaliter, sit cum extremo plani accepto etiam formaliter simultate immediationis.

Dices tertiò realiter loquendo, aliquid sphæræ non distat à plano, & aliquid distat, ergo realiter id, quod non distat, non est id, quod distat; sed id, quod non distat non est realiter diuisibile, ergo est indiuisibile. Idem argumentũ potest fiori de alijs contactibus.

Respondeo; quod realiter loquendo possunt assignari infinitæ partes in sphęra, quæ adæquatè distent à plano: tamen sphęra secũdum se tota non distat adæquatè à plano, sed inadæquatè, similiter possunt assignari infinitæ partes in sphæra, quæ singulæ indiuisibiliter accepto solùm distent inadæquatè à plano; nunquam autem potest assignari aliqua entitas, quæ ita tangat planum, vt infinitæ partes in ea possint assignari, quæ adęquentur plano. Hoc autem argumentum debent soluere etiam Aduersarij, nam loquèndo de ea entitate diuisibili, quæ per ipsos est penetrata cum puncto, certè illa debet non distare à plano, ergo est realiter distincta à partibus distantibus, quod aduersarij non admittunt, quare debent adhibere nostram responsionem.

Vrgebis distare, & nõ distare sunt contradictoria, ergo debet assignari quidquid non distat, distinctum à toto eo, quod distat, sed quod nõ distat, est indiuisibile, ergo distinguitur ab omni diuisibili. Vt soluatur in forma argumentum aduertendum est terminum *quidquid* posse facere duplicem sensum. Primus est quo accipiãtur singulæ partes alicuius totius distributiuè, nępe, & hæc, & hæc &c. Sic dicimus quidquid est in hoc igne est eiusdem speciei, tunc enim comparamus singulas partes huius ignis, cũ reliquis partibus eiusdem, atque in hoc sensu loquendo de sphæra tangente, vel de plano falsum est quod quidquid non distat sit distinctũ ab eo, quod distat; sensus enim esset, quod quidquid cõponit id quod nõ distat, distinguatur ab eo, quod distat, sicuti in eodem sensu falsum est, quod quidquid est totũ distinguitur ab eo, quod nõ est totũ, quia similiter sensus esset, quæcumq; pars componens totum distingueretur à quacumque parte, adeoq; distingueretur à se ipsa. Secundus sensus termini *quidquid* est, cum accipiuntur singula quibus conuenit

uenit id quod denominatur sub eo termino. v.g. quidquid est totum, si significet quodcunq. totum, & quidquid est ignis, si significet quemcumq. ignem, & tunc est, quasi terminus vniuersalis, ac si diceretur, omne totum, omnis ignis, omne non distans &c. Et propositio tunc est vera, quod omne non distans debeat distingui ab eo, quod distat, sicuti est verum in hoc sensu, quidquid est totum distinguitur ab eo, quod non est totum.

Aduertendum est præterea, quod terminus *totum* aliquando accipitur pro termino *omne*, qui facit sensum distributiuum, præsertim cum apponitur termino infinitanti, ita dicimus, totum, quod non est substantiale ponitur aliquo modo in aliquo ex nouē prædicamentis, in qua loquutione non significamus, quod totum collectiuè, quod non est substantiale sit in aliquo ex nouē prædicamentis, cum potius hoc totum sint ipsa nouem prædicamenta accidentium, quæ non sunt in aliquo ex illis prædicamentis, sed sunt in totalitate ipsorum. Atq. in hoc sensu vera est propositio allata in argumento, quod omne non distans, est distinctum à toto eo, quod distat, hoc est ab omni distāte; in quo eodem sensu potest dici omne totum est distinctum à toto eo, quod nō est totum, quia est distinctum ab omni, & quacunq. parte. At verò si terminus *totum* faciat sensum collectiuum, esset implicans propositio, *omne totum distinguitur à toto eo, quod non est totum*: sensus quippe esset omne totum distinguitur ab omni toto, quod non est totū, nam si partes à quibus singulis totum distinguitur accipiātur collectiuè, sunt ipsum totum, etiam sub conceptu totius; ergo sicuti non valet totum distinguitur à singulis partibus, ergo ab omnibus collectiuè, sic non possunt accipi partes, vt quid distinctum à toto, & simul accipi collectiuè; atq. ex his patet solutio in forma argumenti suprafacti.

Obijcies tertiò, lumen recipitur in sola superficie corporis opaci, præterea id, quod vident oculi, est sola superficies, non enim vident profunditattm, ergo datur saltem superficies.

Respondeo, quod lumen, vel existit in solo aëre, & corpore diaphano, & sic nihil est illius in corpore opaco, vel etiām dici potest, quod recipiatur in aliqua profunditate corporis opaci pro maiori densitate, & opacitate corporis, quod videtur probari experiētia, nam si corpus opacum redigatur in laminam subtilissimam videtur totum luminosum, semper tamen loquendo de eadem parua profunditate illuminata; partes minus profundæ magis illuminantur,

Digitized by Google

tur, quam profundiores; visio videt quidem totam entitatem, sed inadæquatè quæ inadæquatio se tenet ex parte visionis, non obiecti; potest etiam dici, quod videatur aliqua parua profunditas imperceptibilis, nempe illa in qua existit lumen; similiter dico de colore extrinseco & alijs accidentibus, quæ videntur esse in sola superficie, eo quod sint in valde parua profunditate.

Obijcies quartò, conus definit in punctum, sed si entitas coni tota esset diuisibilis desineret in circulum, vt probauimus, ergo non est tota diuisibilis. Similiter in pyramide quadrata datur basis palmaris, ergo datur aliqua entitas lata per vnum palmum, quæ non sit crassa, ergo datur superficies.

Respondeo conum desinere in punctum, & basim pyramidis esse latam vnum palmum, sed nego dari entitates indiuisibiles, sed solùm dari tales vbicationes, vt habeatur conceptus præcisiuus in entitate diuisibili, conus enim habet talem figuram, vt si supra verticem intelligatur alia vbicatio ipsi proxima, faciat contactum omninò inadæquatum, adeoq. habet conceptum puncti. Similiter si basis pyramidis tãgat planum habetur conceptus præcisiuus superficiei, nempe longitudinis, & latitudinis palmaris, quę nihil arguunt contra nos.

Ex dictis infertur neq. dari vbicationem indiuisibilem in Angelis, imo implicare spatium omninò indiuisibile, quia si posset dari certè designaret aliquid spatij diuisibilis, nempe id cum quò penetretur, vt supra probauimus.

IN QVATVOR LIB. ARISTOTELIS DE COELO QVAESTIO XVI. ET VLTIMA.

Quærimus in hac quæstione non solum de Cælo per se accepto, sed etiam de toto mundo, prout complectitur hæc inferiora, quamuis potissima tractatio sit de Cælo; de Elementis enim satis agitur in secundo de Generatione.

ARTICVLVS I.

De situ partium mundi inferioris.

BReuiter hìc considerabimus, quem situm, & dispositionem, & figuram obtineant partes mundi, Cælo subiectæ, ac primum quidem terra, quæ est omnium elementorum grauissima, dubium non est, quod debeat occupare locum circa centrum Vniuersi, quia inter elementa maximè descendit, & occupat locũ maximè inferiorem, quem potest; locus autem maximè inferior est centrum Vniuersi, vt patet.

Supra terram, spectata elementorum natura deberet circũuolui aqua, quæ est minus grauis respectu terræ, & magis, respectu aëris, et ignis, atque ita factum videtur in creatione mundi; sed quia huius-

huiusmodi aquarum inundatio supra terram, redderet illam inhabitabilem hominibus, & plurimis animantibus; ideò tertio die creationis mundi, Deus ingentes concauitates, & sinus aperuit in terra, vt in illis aquæ congregarentur, & appareret terræ facies, quam neque perfectè rotundam reliquit, sed eodem die, vt vult S. Ioannes Damascenus in valles, montesq. conformauit, tum ob varietatem arborum, & herbarum, quæ diuersæ sunt in montibus, campis, & vallibus, & varijs anni temporibus, nunc hæc loca, nunc illa sunt magis accommodata ad pabulum animantium, tum etiã ne ventus peruerteret totam terram si plana omninò esset.

Non tamen hinc sequitur terram non esse physicè rotundam, tota enim inæqualitas montium ac vallium in tam immensa vastitate, non lædit physicam rotunditatem ipsius: sicuti enim in quolibet globo fabrefacto semper datur aliquis tumor, & aliqua depressio, licet non ita alteret globum, vt reddat illum physicè non rotundum, sic etiam euenit in globo terrestri. Quod autem terra simul cum aqua rotundum faciant globum.

Probatur primò, ex eclypsi lunari, nã semper vmbra terræ, apparens in Luna imperfectè eclypsata, terminatur linea circulari, ergo vt patet ex principijs Perspectiuę, terra, quę vmbram proijcit in Lunam, est rotunda,

Secundò, probatur quod superficies aquę sit rotunda, quia ex altiori loco, videtur nauis remota, quæ non videtur à loco humiliori; hoc probatur prouenire ex aquæ rotunditate: si enim ex basi turris non videtur nauis, ideo solùm est, quia non potest ab illa basi duci ad nauim linea recta, iuxta quam procedit nostra visio, ob circuli rotunditatem, contra verò ex altitudine turris bene potest duci recta linea ad nauim, & per cõsequens potest videri, cũ visio fiat per lineam rectam, ergo aqua est figuræ rotundæ, quod totum patet ex hac figura. Imo Nautæ periti, teste Klepero in epitome ad sphęram, habent iam proportionem, vt cum vident à longinquo altitudinem montis, vel turris, sibi notam sciant, quot milliaribus distent ab ea terra, vt si, verbi gratia, turris sit alta passus octoginta quatuor, distent viginti qua-



tuor milliaribus, si mons sit altus passus nongentos triginta duos, distent octoginta milliaribus, & sic de cæteris.

Hoc posito probatur, quod terra non sit notabiliter altior aqua maris. Probatur autem hoc certo experimento Aquarum periti observant, quod, vt flumen sit commodè nauigabile, non potest in distantia ducentorum passuum, assurgere plusquam vno passu, si autem plus assurgat præ nimia violentia nauigari non potest, hoc posito scimus, quod ingentia flumina lentissimè incedant, & sunt optimè nauigabilia, vt Nilus per totam Ægyptum in Africa, Euphrates, & Ganges per Asiam, Danubius per Germaniam, Hungariam, et partes superiores Thraciæ; flumen Amazonum in India occidentali, ergo superficies terræ in his regionibus, quæ parum assurgunt à fluminum superficie, non possunt esse multò altiores maris superficie, vnde concluditur ex terræ mariſq. superficie integrum fieri globum physicè rotundum.

Tertiò probatur ex ortu stellarum, semper enim prius oriuntur terris magis orientalibus eadem proportione seruata, itaut qui orientalior est ducentis triginta duobus circiter milliaribus, vno quadrante prius, eandem stellam videat orientem; sic etiam se habet ex Austro in Septentrionem, nam qui magis est septentrionalis iisdem milliaribus, videt sibi altiorem polum totidem gradibus, quot vni quadrans temporis correspondet, sed hoc ita esse non posset, nisi terra esset globus rotundus, vt patet, si



enim duceretur in terra aliqua portio recta, qualis esset recta AB certè eodem momento, tam qui esset in puncto A, quam qui in puncto B videret stellam, vel solem orientem; quandoquidem per lineam

lineam rectam posset extendi radius visualis, ergo in tantùm, qui sunt in puncto A, & qui sunt in puncto B non vident simul, stellam orientem, quia quando oritur respectu puncti B, qui sunt in puncto A impediuntur, ne tunc videant illam stellam, et solum videbunt, quando stella erit in puncto C, nempe post aliquem temporis decursum, quo stella vltrò progressa est.

Probata iam figura globi terrestris videndum est, an idem centrum huius magnitudinis, sit etiam centrum grauitatis: centrum grauitatis est illud punctum, ad quod per rectam lineam corpora grauia descendunt, si libera relinquantur in medio leuiore, quàm ipsa sint. Asserimus autem centrum grauitatis esse idem cum centro magnitudinis globi terræ simul, & aquę Probatur hoc experimento, si lapis, vel plumbum cum filo demittatur in aqua, certè filum facit angulos æquales cum aquę superficie, sed recta, quę facit angulos æquales cum circulo necessariò tendit in centrum ipsius, vt patet ex tertio Eucl. et vltima sphæricorum lib. 1. Theodosij, ergo si verum est hoc experimentum, necessariò corpus graue tendit in centrum magnitudinis illius superficiei, si enim plúbum demissum à puncto A in aquæ superficie, nõ tenderet in punctum B, centrum magnitudinis terrę, certè tenderet in aliud punctum, v.g. in punctum C, et ita non faceret angulos æquales cum aquæ superficie; tota autem terræ crassities à centro ad superficiem, hoc est terræ semidiameter, communiter nũc ponitur continere millaria 3440. vt refert Kleperus, vel paulo minus, vt Clauius.



Sed cõtra obijc. primò aqua est leuior terra, ergo plus põderat terra ex vna parte, quàm aqua ex alia, vt patet ex globo compositò partim ex aqua, partim ex terra, qui certè plus ponderat ex vna parte in qua est plus terræ, quam ex altera, ergo non potest esse idem centrum magnitudinis, et grauitatis.

Respondeo, quod licet grauior, sit Terra, quam aqua, tamẽ Deus ex parte terræ multas posuit concauitates plenas aëris, posuit etiã ad fundum maris corpora magis ponderosa, adeoq. ita librauit totum globum, ac si artifex ex varijs materijs inæqualibus in ponderę, conflaret globum, qui tamen haberet idem centrum grauitatis, et magnitudinis.

Obijcies secundò sequeretur, quod terra esset in perpetuo motu, quia dum homo, vel currus, vel nauis mouetur in vna parte, additur illi nouum pondus, quod prius erat in alia, ergo deberet moueri tota terra, vt æqualiter libretur.

Respondeo negando antecedens; licèt enim mathematicè loquendo plus ponderis sit in vna parte, quàm in alia, tamen non potest causare illud pondus, ita exiguum respectu globi, motum sensibilem in eo, si enim in lance ponatur pondus vnius libræ, & similiter æquale pondus in altera lance, si deinde vni ex illis addatur crus formicæ, mathematicè loquendo debet plus ponderare, non tamen physicè mouetur lanx, quia est ita paruum pondus, vt vix habeat comparationem cũ libra; multò magis hoc euenit in terra, in qua nulla potest fieri mutatio ita magna in rebus grauibus, quæ non se habeat minus respectu illius, quam crus formicæ respectu libræ.

Obijcies tertiò, aqua debet esse decuplo maior, terra, ergo non potest contineri in terræ concauitatibus, nisi miraculosè ex Diuino imperio alicubi assurgat. Antecedens probant aliqui ex Aristotele talem proportionem admittente

Respondeo negando antecedens; Aristoteles enim solùm dicit, quod si terra conuertatur in aquam, vel aqua in aërem, fieret moles decuplò maior, nunquam autem dicit magnitudines elementorum se inuicem superare per decuplum excessum, imo, vt probat benè P. Clauius in sphæra: magnitudo terræ simul, & aquæ ad magnitudinem aëris, est ferè vt viginti tria, ad vnum; ignis verò ad aërem se habet, vt octingenta quindecim millia quadraginta vnũ, ad vnum.

Post globum terræ, et aquæ, sequitur aër, qui etiam circularem figuram obtinet, semper enim æqualiter supra aquam ascendit per lineam facientem æquales angulos cum aquæ superficie, vt patet in bullis, quæ ex ima aqua sursum feruntur, plenis aëris: diuiditur totus aër in tres regiones, supremam, mediam, et infimam, suprema purior est, infima impurior, et ob solis reflexiones calidior, media est omnium frigidissima, quia remotior est à sole, & igne, quam suprema, et non habet reflexionem radiorum sicuti infima, ibi fiũt meteora, vt pluuiæ, niues, grandines &c.

Altitudinem aëris ponunt communiter esse quinquaginta duo circiter milliaria. vt ex regulis refractionis probant Alazen. lib. 1. Perspectiuæ, Vitellio lib. 10. qu. 60. et Nonius lib. de Crepusculis.

Verùm

Verùm hæ regulæ solùm probant de aëre impuro mixto vaporibus, ex exhalationibus terræ, refractio enim solùm fit vbi aër, seu medium est crassius. Cæterùm eius crassities contradistincta ab igne colligi non potest, imo probabile est, quod alicubi vapores, & exhalationes magis ascendant, nempe in regionibus magis Soli subiectis; contra verò in regionibus frigidioribus minus ascendãt ex carentia caloris attrahentis; atq. hinc fortasse Thyco, & Klepperus paruam aëris altitudinem constituerunt, nempe duorum milliariorum, quia obseruationes ab illis factæ, sunt in regionibus septentrionalibus: Cęterùm patet aërem altiùs protendi cum mons Aethna in Sicilia, vt obseruatum fuit à P. Grembergero excellẽtissimo huius sæculi Mathematico ad tria ferè milliaria in altum erigatur, & tamen in eius summitate aërem esse constat experientia.

Altissimus elementorum est ignis figuræ etiam rotundæ, cum sit cælo conterminus; quod autem detur ignis supra omnia elementa reliqua, probatur experientia, quia videmus ignem sursum ferri per lineam rectam, ergo mouetur ad acquirendum suum bonum naturale, natura enim non dedit otiosè, sed ad finem intentum, vt ignis sursum ferretur, quidquid dixerit contra Cardanus.

ARTICVLVS II.

An, & quomodo Cælum sit compositum.

PRima sententia tribuitur Platoni, & Platonicis, nempe cælum esse compositum ex floribus elementorum, vt colligitur ex S. Augustin. 8 de Ciuitate Dei, c. 11. & Macrobio lib. 1. de somnio Scipionis, sed vt benè notat Simplicius hic textu 10. solùm dicebãt hi Philosophi, Cælum habere calorem, & lucem, aliasque optimas proprietates, quæ competunt nobilioribus elementis. Idem fuit Chaldęorum sensus, dicentium constare ex igne, & aqua, hoc est habere proprietates nobiliores ignis, & aquæ.

Secunda sententia fuit Cęlum esse vnum ex elementis; Ægiptij ignem esse dixerunt, vt refert Albertus Magn. hic tract. 1. c. 4. idem dixit Anaxagoras apud Plutarchum; docuit enim stellas esse lapides ignitos, & solem massam ferri candentis. Diogenes dixit stellas extinctas decidere ad modum lapidum. Thales vocat astra terram ignitã, Eraclitus asseruit esse vasa igne plena, & quando nobis oste-

dunt

dunt partem conuexam obscura sunt, & eclypsantur. Empedocles fecit Cælum ex aëre vi ignis concreto, sicuti congelatur aqua vi frigoris, & solem voluit esse massam ignis.

Tertia sententia docet Cælum esse corpus simplex, non constans materia, neque forma, & ideo appellant quintam essentiam, ita Auersa hic textu 1. & 8 metaph. c. 4. Durand. in 2. distin. 12. q. 1. nu. 14. Achillinus lib. 2. de orbe. c. 1. et alij, quos citant Conimbr. hic c. 2. q. 4. art. 1.

Quarta sententia dicit Cælum esse compositum ex materia, & forma, in qua est duplex modus dicendi, nam alij volunt materiam cæli esse diuersæ rationis à nostra. Ita S. Thom. 1. p. quæst. 60. art. 2. ibiq Caiet. et communiter Thomistæ. Alij dicunt materiam cæli esse eiusdem rationis cum nostra, Ita S. Bonau. in 2. dist. 12. Scotus ibid. dist. 14. quæst. 1. P. Molina in opere 6. dierum disp. 15. ibique etiam P. Hurtad. Delrius c. 1. Genes. et alij communiter.

Dico primò, Cælum neque est vnum ex elementis, neq. mixtum ex illis. Probatur prima pars conclusionis ratione Arist. quia singulis elementis per se conuenit motus rectus, vt patet, partim enim ascendunt, partim descendunt, cælo autem conuenit motus circularis. ergo non est, vnū ex elementis. Probatur 2. quia cælum debet influere in elementa, et corpora subiecta, ergo debet esse aliquid perfectius elementis. Secunda pars conclusionis probatur ab eodem Arist. hic textu 5. nam motus simplex non debetur corpori mixto ex pluribus principijs diuersorum, sed motus circularis qui conuenit cælo est simplex, ergo non debetur compositio ex elementis, et per consequens cælum non constat elementis, Maior patet, nam vbi sunt multa principia, quorum vnum inclinat ad vnū motum; aliud ad alium, vel datur principium absolutè prædominans cæteris, et tunc illud principium determinabit corpus ad suum motum, vt euenit in auro, in quo prædominatur terra, et grauitas, vel si æquè omnia dominantur debet dari motus aliquis mixtus, vel potius si motus sunt contrarij nullus debet dari motus, quia quantùm, verbi gratia, terra nititur ad producendum motū deorsum, tantùm ignis niteretur ad motum sursum, et ita non moueretur, neque sursum, neque deorsum. Quod autem motus circularis sit simplex patet, quia linea circularis est simplex, et non mixta; motus autem debet esse mixtus, vel simplex ratione spatij, quod acquirit; cum ergo cælum naturaliter moueatur motu circulari, et consequenter motu simplici, non potest ille motus prouenire diuersis à principijs, sed ab vno.

Sed

sed contra obijcies primò, in cælo partes viciniores polis tardius mouentur, partes remotiores velocius: Circulus enim æquinoctialis maximè distans à Polis, debet citissimè moueri, quia cum sit maximus, in vna circulatione conficit plus spatij, quàm circuli minores, ergo motus cæli est mixtus.

Respondeo distinguo consequens est mixtus in ratione essentiali motus, nego, in ratione accidentali, concedo, ratio essentialis motus est linea vel sursum, vel deorsum, vel circularis, quę per motum acquiritur, quod autem magis, vel minus velociter super aliquam ex his lineis mobile moueatur, non est differentia essentialis, sed accidentalis respectu motus, et potest conuenire vni parti cæli talis velocitas, et alij parti alia &c. quando talis motus ita attemperatè velox conuenit toti.

Obijcies secundò, aëri conuenit motus duplex, nempe descensus ab igne, et ascensus ab aqua, et tamen est corpus simplex, ergo ratio Arist. non est vniuersalis.

Respondeo negando antecedens, si consideretur motus, prout prouenit à natura aëris; talis enim motus specificatur à termino, ad quem tendit natura illius corporis, et ita aër, vel ascendat, vel descendat, semper tendit in eundem terminum ad quem, nempe infra ignem, et supra aquam.

Obijcies tertiò, leue ex Arist. 1. cęli, textu 17. est id, quod est supra omnia corpora, sed tale est cęlum, ergo cælum est leue, et per consequens conuenit illi motus sursum.

Respondeo distinguo maiorem, leue est id, quod est supra omnia, quæ sursum feruntur, itaut etiam ipsum sursum feratur concedo, itaut sursum non feratur nego: leuitas enim est passio, quæ facit motū sursum ex sua natura, vt sit supra omnia, quæ sursū ascendūt, cęlum autem non habet hanc passionem, vt sursum feratur.

Obijcies quartò, eundem Aristotelem 3. de cælo c. 1. vbi nominat corpora simplicia, et ea, quæ ex ijs constāt, veluti totum cęlū, ipsiusq. partes, et animalia, et plantæ.

Respondeo dupliciter posse intelligi Aristotelem primò, quod nomine cæli intelligat totam hanc rerum machinam, quam aliquando appellari cælum ipsemet fatetur hic, lib. primo, et hæc videtur explicatio maximè apposita textu allato, nominat enim ibi textu allato, totum cælum, ad distinctionem cæli propriè dicti, quod antea vocauerat primum. Secundo potest intelligi, quod cælum constat ex corporibus simplicibus, nempe ex varijs

sphę-

sphæris, quæ totum cœlum componunt, & singulæ sphæræ sunt corpora simplicia, non autem sunt elementa sublunaria.

Dico secundo. Cœlum non est corpus simplex, sed compositum ex materia, & forma. Vt probetur conclusio statuendum est, quid veniat nomine corporis, quod per se ponitur in prædicamento, & sanè, quod non veniat principium diuisibilitatis. Probatur quia multa spiritualia sunt diuisibilia, vt est duratio Angeli, Vbi animæ rationalis, Gratia, & alij habitus intellectuales, species, & similia entia spiritualia, quæ sunt diuisibilia. Neque potest consistere in exigentia extensionis localis, nam Angelus, & anima rationalis habent suas vbicationes localiter extensas. Communiter ergo constituunt rationem corporis in hoc, quod exigat quantitatem, nulla enim res spiritualis exigit impenetrabilitatem, cum alia re spirituali, ergo per hoc satis distinguitur corpus à re spirituali, adeoque est bonum constitutiuum corporis.

Probatur iam primò conclusio, quia in tantum debetur corpori quantitas, in quantum constat materia, & forma, ergo si esset substantia, simplex non exigeret quantitatem, & per consequens non esset corpus, quod constituitur per exigentiam quantitatis. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia nulla substantia exigit frustra aliquod accidens, sed solùm exigit in bonum sui, sed substantia, quæ non constat materia, & forma non potest respicere quantitatem, vt bonum sui, ergo non potest illam exigere. Maior videtur satis nota, nam appetitus sequitur bonũ. Minor probatur, quia quantitas in tantum est bonum substantiæ, in quantum illam obuallat, & reddit impenetrabilem cum alia substantia, sed talis obuallatio non est vtilis substantiæ simplici, ergo non est illi bona quantitas. Maior probatur, quia alia bonitas non potest assignari in quantitate, nam substantia ex se habet partes in ordine ad se, vt diximus, extenditur in ordine ad locum per vbicationem, ergo ideo est bona quantitas, quia reddit substantiam impenetratam, alijs substantijs materialibus. Minor probatur, quia tota bonitas impenetrabilitatis cõsistit in hoc, quod non possit applicari aliud agens intimè substantiæ, quia sic illã facillimè destrueret, si enim, verbi gratia, ignis penetraretur cũ ligno acerrimè illud destrueret, per maximam applicationem virtutis, vt ergo natura consuleret incolumitati rerum corruptibilium, dedit illis quantitatem quasi murum, qui ipsas ambiret, redderetque hostibus inaccessibiles, quia ergo substantia simplex, esset

esset incorruptibilis, nullam hinc acciperet vtilitatem, & consequenter quantitas esset illi accidens superfluum.

Secundò probatur, quia nullum habemus indicium multiplicandę huius quintæ essentiæ, cum omnia bene saluentur, etiam si ponatur Cęlũ constare ex materia, & forma, & ex alio capite habemus indicia compositionis in cœlo, nam cœlum agit in inferiora, producendo qualitates debitas mixtis, ergo habemus indicium, quod natura cœli sit etiam composita.

Dico tertio, Cęlum est compositum ex materia sublunari, & forma cœli per vnionem indissolubilem, ab his agentibus creatis. Probatur primò conclusio, quia nullam habemus necessitatem multiplicandi species materiæ, ergo non debemus multiplicare. Antecedens patebit ex solutione argumentorum. Confirmatur, quia in Cœlo sunt eadem accidentia, quæ in sublunaribus, nempè quãtitas, raritas, densitas, lumen, & similia, ergo est materia eiusdem speciei.

Probatur secundò, quia non potest dari materia, quæ sit diuersa speciei à nostra, ergo materia cœli est eiusdem speciei. Antecedens probatur, quia materia debet esse ens essentialiter perfectibile per modum subiecti in ratione substantiæ, ergo debet respicere quidquid est perfectiuum sui, sed omnes formæ substantiales, sunt perfectiuum, ergo debet omnes respicere. Consequentia probatur, nam quod est perfectibile per modum subiecti, habet posse facere vnum cum actu substantiali, si cum eo vniatur, ergo omnis materia, quia est essentialiter perfectibilis per modum subiecti, habet posse facere vnum cum qualibet forma substantiali, adeoque non potest dari materia, quæ aliquas formas respiciat, aliquas non, cum omnes sint bonum ipsius, & eam possint actuare in aliqua specie substantiæ. Confirmatur, quia omnis potentia passiua, habet respicere actiuam, ergo si datur potentia saltem Diuina, quæ possit vnire quamlibet formam cum materia cęlesti, certè debet facere vnum cum qualibet forma, si cum ea vniatur ergo habet respicere omnes, & non solùm aliquas.

Tertiò probatur, quia in tantum ponitur materia diuersæ speciei in Cœlo, in quantum debet saluari, quod sit incorruptibile, sed hoc vel æquè saluatur in qualibet materia, vel in nulla saluatur, ergo hoc fundamentum non valet. Minor probatur, quia materia Lunæ v.g. vel est capax alterius formæ, vel non, si dicas primum ergo Cęlum est corruptibile, quia potest eius materia recipere aliam for-

mam, & quidquid dicent aduersarij ad hoc, ego dicam de materia sublunari, si non est capax, ergo non est materia; conceptus enim materiæ in hoc distinguitur à forma, quod forma sit per modum actuantis, & determinantis, materia verò sit indifferens, & quantùm est de se possit transire in aliud compositum, ergo si ponis materiam vnius formæ solùm capacem, certè non est materia, sed forma. Præterea recurrit argumentum suprafactum de corpore simplici, nam si materia hæc cœli non est capax, nisi huius formæ, Cœlum est naturaliter prorsus incorruptibile, ergo non debetur illi quantitas, cum ipsi vtilis omnino non sit.

Obijcies primo si Cœlum non esset corpus simplex esset corruptibile, consequens est falsum, & contra Aristotelem, ergo & antecedens. Sequela probatur, quia illud est corruptibile, quod potest amittere formam, quam habet, aduentu alterius, sed si cœlum constaret materia, & forma posset amittere formam, quam habet, & aliam recipere, ergo esset corruptibile.

Respondeo primo, à multis PP. & Philosoph. admitti Cœlum esse corruptibile, quos longa serie affert P. Scheiner ad finem Rosæ Vrsinæ: id etiam peritissimi Astronomi asserunt. Verum ne discedamus ab auctoritate Aristotelis.

Respondeo secundò, distinguendo antecedens, esset corruptibile remotè, concedo, proximè nego, sufficit autem Cœlo incorruptibilitas proxima, quæ sine addito potest dici incorruptibilitas, hæc autem prouenit ex vnione inter materiam, & formam Cœli indissolubili ab his agentibus naturalibus, ex eo, quod talis vnio requirat accidentia, quæ non habent contrarium, & ita destrui non possunt. Incorruptibilitas remota esset negatio materiæ, quæ cum possit recipere aliam formam, est radix corruptibilitatis.

Dices primo, frustra posuisset natura materiam in Cœlo, nempe potentia ad alias formas, cum talis potentia non possit naturaliter reduci ad actum.

Respondeo negando antecedens; necessitas fuit, quia Cœlum debet esse corpus, & consequenter exigens quantitatem, adeoque necesse fuit ponere ibi veram materiam, quæ est radix quantitatis. Vt autem potentia non sit frustra, sufficit, vt sit reducta ad vnũ actum, per quem sufficienter expleatur eius appetitus; cæterum necesse non est, vt possit proximè recipere reliquas formas, sed sufficit, vt possit remotè, hoc est quantùm est de se, quare defectus ne possit recipere aliam formam, prouenit ab impotentia horum agentium naturalium.

Dices

Dices secundo. Si applicaretur ignis vehementissimus Cœlo, produceret in eo calorem, & siccitatem, ergo etiam formam ignis.

Respondeo negando consequentiam, non enim satis est producere dispositiones ad formam oppositam, nisi illæ sint habiles corrumpere formam antecedentem. Calor autem, & siccitas non sunt apta corrumpere formam Cœli, quia forma Cœli nullam requirit humiditatem, nec vllum frigus, neque dicas ergo calor, & siccitas non sunt bona instrumenta naturæ ad producendam formã ignis.

Respondetur enim esse optima instrumenta, siue media ad formam ignis, quia natura non intendit formam ignis, vbi ponit vnionem indissolubilem inter materiam, & formam, vt est in Cœlo. Quare potius debuit impedire, vt ea media, quæ sunt efficacia ad producendum ignem in sublunaribus non essent efficacia ad producendum in Cœlo.

Obijcies secundo. Materia essentialiter constituitur per ordinẽ ad formas, quæ habent talem ordinem informandi, quem habent sublunares, ergo non respicit formas cæleſtes, quæ informant materiam nodo indissolubili.

Respondeo nego antecedens, sicuti enim respicit formas specie diuersas, ita respicit vniones specie diuersas, ergo licet vnio cœlestis, & sublunaris differant specie, quia tamen sunt bonum materiæ non possunt ab ea essentialiter non respici.

Obijcies tertio. Philosophi ex transmutatione substantiali collegerunt dari materiam, sed in Cœlo nulla datur transmutatio substantialis, ergo nec materia.

Respondeo licet ex transmutatione substantiali probetur materia, non tamen, vbi non est mutatio substantialis, probatur ibi non dari materiam, nam probata semel materia per transmutationem, probatur etiam, quod omnia corpora quanta, debent habere materiam, licet non patiantur mutationem substantialem, quarè probata iam materia per transmutationem, probatur ab alia passione, nempè à quantitate, dari etiam materiã, vbi nulla est transmutatio.

Obijcies quartò, Aristotelem, qui pluribus in locis negat materiam in Cœlo.

Respondeo ad hæc, & similia loca, ab Aristotele solum negari Cœlo materiam proximè transmutabilem: nomine enim materiæ intelligit aliquando id quod potest proximè transmutari in aliud, sic dicit ibidem, lignum non esse materiam ferræ, & tamen si lo-

quamur de materia prima remota, certum est lignum habere materiam remotam ad serram, solum ergo docet, quod in rebus æternis, inter quas ipse ponit Cœlum, non datur materia proximè transmutabilis, sed solum mobilis motu locali, non autem negat simpliciter dari materiam. Cæterum quod posuerit materiam in Cœlo patet ex lib. 8 Metaph. textu 3. vbi ait, quod cunctæ substantiæ sensibiles habent materiam, sed Cœlum est substantia sensibilis, ergo habet materiam. Præterea sæpè diuidit substantiam sensibilem in materiam, formam, & compositum ex his, nec vmquam meminit corporis simplicis, nisi nomine simplicis intelligat non compositum ex elementis, ergo in sententia Aristot. Cœlum cõstat ex materia, & forma.

ARTICVLVS III.

An Cœlum sit corruptibile.

DIximus cœlum remotè esse corruptibile, nunc quærimus vtrũ etiam sit proximè. Affirmant antiquiores Philosophi, & PP. cum Platone, negant Peripatetici cum Arist. S. Dyonis. c. 4. de Diuinis Nominibus, August. & alijs.

Dicendum est Cœlum simpliciter esse incorruptibile. Probatur primo ratione Aristotelis, quia id est naturaliter incorruptibile, quod nullum habet contrarium, sed Cœlum nullum habet contrarium, ergo est incorruptibile. Maior videtur certa, minor probatur, quia illud cui conuenit naturaliter motus circularis, non habet contrarium, sed Cœlo conuenit motus circularis, ergo non habet contrarium. Probatur, quia motus circularis non habet contrarium, ergo si à passionibus colligimus contrarietates, id cui conuenit motus circularis, non habet contrarium. Antecedens probatur, nam motui circulari nõ opponitur motus rectus, motus enim rectus opponitur motui recto, vt motui sursum, opponitur motus deorsum, neque opponitur motus circularis, nam quod fiat in hãc, vel illam partem est per accidens motui circulari, & Cœlum, vt dicemus non magis inclinat ad motum circularem ex oriente in occidentem, quam ex occidente in orientem, ergo motui circulari nullus datur contrarius motus.

Secundo probatur, quia nulla potest assignari causa corruptionis

nis in Cœlo, ergo est naturaliter incorruptibile. Antecedens probatur, quia sublunaria non possunt agere in Cœlum, tum quia ipsa conseruantur à cœlo, & per consequens non habent contrarietatẽ cum illo, tum quia qualitates cęli non habent contrarias, à quibus corrumpantur ab his agentibus.

Tertio probatur, quia corpus illud cui semper sunt æquè applicata alia corpora, & tamen nullam mutationem passum est multorum annorum spatio, videtur esse natualiter incorruptibile, sed cęlo applicatus est ignis eodem modo ab initio mundi vsque huc, & nulla apparuit in eo mutatio, ergo non est corruptibile, minor probatur experientia, vt infra patebit. Maior patet, quia hæc agentia, si vim haberent Cœli corrũpendi, tãto tempore aliquid saltẽ corrupissent. Præterea si Cælũ esset corruptibile naturaliter, deberet dari agens naturale propagans speciem cœli, quod tamen non datur, sequela patet, quia omnia corruptibilia debent naturaliter reparari, ne amittatur ipsorum species.

Obijcies primo, Auctoritatem multorum PP. qui dicunt Cęlum esse corruptibile.

Respondeo potest primo cum S. Thoma prima parte q. 66. art. 2. SS. Patres in hac sententia, quippe Philosophica, secutos fuisse Platonem, nec enim pertinebat ad ipsos discutere sententias Philosophorum, sed solum decernere, quæ ad fidem, & mores spectant.

Respondeo secũdo. SS. Patres loquutos fuisse de corruptibilitate remota, non de proxima, dicebant enim cœlos esse materiales, natura sua corruptibiles, & in tempore creatos.

Obijcies secundo. Cœli de facto corrumpentur, ergo sunt simpliciter corruptibiles. Antecedens probatur auctoritate Diuina, nam Psalm. 102. dicitur Opera manuum tuarum sunt Cęli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes, sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabũtur. Luc. 21. Cęlũ, & terra transibunt. epist. 2. Diui Petri cap. 3. Cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, & idem probatur alijs valdè claris scripturæ testimonijs.

Respondeo, quod vtrum de facto Cœli sint mutandi, secundum substantiam, totum pẽdet à libera Dei voluntate, certum est enim id non futurum naturaliter, sed vi supernatutali, aliqui ergo ex Patribus, & scholasticis censent futuram mutationem in Cœlo, solum quoad accidentia, ita vt habituri sint. multò perfectiora accidentia, vt videtur innuere Isaias cap. 3. dicens, erit lux Lunæ sicut lux Solis,

Solis, & lux Solis erit septempliciter, ita cẽsent hic Conimbric. vbi citant Auctores huius sententiæ. Alij verò existimant cœlos esse corrumpendos simul cum elementis, etiam secundum substantiam propter allata testimonia, ita Molina disp. 3. de opere 6. dierum, & Delrius 1. Geneseos, censetque esse communem Ecclesiæ sensum. Multò magis inclino in secundam sententiam, quia in re, quæ pẽdet liberè à Deo, videndum est, quid Deus reuelauerit in scripturis, videntur autem locutiones satis claræ, vt fine violentia detorqueri non possint, vtraque tamen sententia teneri potest propter Doctorum auctoritatem.

Obijcies tertio, visi sunt in Cœlo cometæ, & nouæ stellæ, vt euenit 1572. quo apparuit stella maior quallibet, alia in signo Cassiopeæ, quæ tamen post menses aliquot decreuit, & apparuit tamquã stella tertiæ magnitudinis, & post duos ferè annos, simul de repẽte euanuit, & hoc sæculo, anno 18. tres visi sunt cometæ, in quibus maximus apparuit per aliquot dies ad modum macheræ, qui ab Astronomis peritissimis esse in cœlo est obseruatus. Alijs etiam temporibus visæ sunt stellæ, & mutationes in cœlo, ergo est proximè corruptibile.

Respondẽt aliqui primò Cometas, qui esse in cœlo deprehendũtur, vere non esse de nouo, sed solum de nouo apparere. Ratio cur appareant est, quia vapores, & exhalationes in aëre refrangũt species aliquarum partium cœli luminosarum, ob quam refractionem nobis apparent lucidiores, quæ alioqui non apparerent, refractio autẽ habet hoc, vt reddat obiecta maiora, & magis conspicua per multiplicationem specierum.

Sed contra est primo, quia refractio faceret etiam, vt aliæ stellæ, multò maiores aliquando apparerent, quod est contra experientiam; nam stellæ quamuis vicinæ cometis, visæ sunt in eadem magnitudine semper. Secundo, quia tales nouæ stellæ, & Cometæ non viderentur, ex remotissimis regionibus, nam si altitudo summa exhalationum nõ peruenit, nisi ad quinquaginta duo milliaria, vt diximus, non posset esse intermedia illa exhalatio, à qua fit refractio inter cometam, & quodlibet terræ punctum, quia facit diuersam parallaxim. Sit enim exhalatio in puncto A, & videatur noua stella à puncto C in terra, & etiam à puncto D, certè linea specierum, quæ transiret per exhalationem esset linea BC. at verò species, quæ directè emittuntur à stella B. ad punctum D. in terra non transeunt per exhalationes, adeoque non videretur stella

stella à puncto D. ad hoc enim vt punctum D patiatur refractionem, deberet stella esse in E. tunc enim trãsirent species per exhalationẽ, sed visa est stella à remotissimis regionibus eodem temporis momẽto sub eadẽ parte cæli, ergo tunc non potuit esse in pũcto B & E Tertiò, contra est, quia cometæ mouentur circulariter motu cæli, & præterea aliqui motu proprio, vt dicemus, exhalatio autem solùm mouetur sursum, & non circulariter, quare hæc responsio non subsistit.



Respondent secundò aliqui recentiores, hæc phænomena causata fuisse excõcursu stellularũ, seu partium Cæli lucidiorum, quæ sunt in se, ita paruæ, vt discerni nõ possint, at si cõgregentur in vnũ apparent, sicuti cumulus arenæ apparet, etiam in magna distantia, in qua singula grana non apparerent. Hæc responsio, neq. soluit difficultatem, quia si minima stella, quæ per se videri potest, se haberet sicuti punctum respectu firmamenti, vt patet, quot sanè stellulæ per se inuisibiles requirentur, vt simul concurrentes cõficiant magnum cometam, qui visus est anno 1618. occupans 20. gradus, hoc est 18. partem totius firmamenti, quid ad conflandum cometam ad modum trabis, vel ensis, qui per gradus ferè 40. extendebatur, hoc est per octauam cæli partem; & anno 1240. vt refert Daniel Santbechius cometa apparuit, qui proijciebat comam ab Oriente, vsque ad medium cælum, & 6. ferè mensibus perdurauit, certè multi milliones stellularum debuissent concurrere, et tamen sphæræ cæleſtes non sunt ad summum plures, quam tredecim, & si ponas epicyclos, & eccentricos non essent plures, quàm quadraginta, ergò solùm quadraginta stellulæ potuissent concurrere ad summum.

Quod si ad tuendum positum dicas dari multos milliones sphærarum in Cælo; contra est secundò, quia stella in signo Cassiopeæ semper fuit ibi immobilis sine motu proprio, ergo non potuit constare stellulis concurrentibus, patet, nam sphęræ illæ semper mouebantur proprio motu, si enim non mouerentur proprio motu non possent simul concurrere earum stellulæ, si ergo mouebantur certè debebat dissolui ea congregatio stellularũ. Quod si dicas sequi immediatè alias stellulas post illas motas, cõtra

est

est euidenter, quia iam illæ aliæ stellulæ essent visibiles, ergo intrarent in massam stellæ apparentis, adeoque ijs motis, debebat dissolui stella, vel saltem mutare figuram.

Tertiò, argumentor ex apparitione cometarum, qui non in firmamento, hoc est vltimo cælo, sed solùm supra Lunam visi sunt, illis enim hæc multitudo sphærarum necesse fuit, vt esset in cælis Planetarum, & quia habuerunt propriũ motum hi cometæ, & aliqui velocissimum, itaut teste Regiomõtano vno die quadrãginta gradus proprio motu confecerint necesse est ponere innumeros orbes in sphæris Planetarum existentibus inter Solem, & Lunam, hoc autem fieri non potest per determinatam crassitiem cuiuscumque orbis Planetarum, vt infra patebit, præsertim in cometis percurrẽtibus proprio motu medium cælum, vt refert Seneca de Cometis tẽpore Neronis, inter quos vnus apparuit maior Sole maximè lucidus per sex menses, & medium cælum progressus est, quod argumentum melius patebit cum de Eccentricis, & Epicyclis agemus.

Tertiò, respondent alij Cælum pati aliquam mutationem accidentalem in lumine; sic etiam potest pati mutationem in densitate, & raritate, quare vi Solis, & stellarum influxu taliter attemperato potest produci maior densitas in aliqua cæli parte, quæ à sole illuminata reflectit ad nos lucem, & ita saluari possunt noua phænomena.

Sed contra est primò, quia vel Cælum inclinat ad hanc densitatem, vel non? Si inclinat, ergo violenter illa priuatur, & consequenter deberet à se ipso semper illam producere, si non inclinat, ergo violenter illam pateretur, et consequenter malè fuisset data tanta vis agentibus naturalibus, vt violenter agerent in cælum, præterea sol sicuti illuminat totum cælum, sic deberet totum opacum reddere, vel saltem magna ex parte, & tamen raræ sunt apparitiones istę in Cælo.

Secundò contra est, quia idem cometa pro diuersitate situs Solis deberet apparere diuersę magnitudinis, & figurę, nunc plenior, nũc cornicularis, sicuti apparet Luna, quæ illuminatur diuersimodè à Sole, & multò magis hoc eueniret in maximis cometis, quod tamen non est deprehensum.

Tertiò, quia hęc opacitas non fit tota simul, sed paulatim; sicuti paulatim disponuntur influxus ad illam necessarij. Paulatim etiam deberet destrui, & ita prius deberet apparere cometa obscurior, deinde clarior, & maior, & in fine deberet iterum paulatim remitti,

ti, quod tamen non est obseruatum, multi enim cometæ simul toti apparuere, et simul euanuere.

Quartò, neque ita saluatur motus cometæ, quomodo enim illa opacitas mouetur motu proprio, si ponas Cælum solidum? solùm ergo deberet moueri motu vniuersali ab Oriente in Occidentem, & tamē multi cometæ habuere proprios motus diuersissimos. Neque dicas cometam non moueri, sed semper successiuè produci nouam densitatem corruptā priori, vndè nobis apparet ac si moueatur, sicuti apparet flamma, quæ successiuè filum comburat. Nam contra est, quia manētibus ijsdem causis eodem pacto applicatis, non debet corrumpi ita celeriter opacitas prior, sed sicuti Sol, & Planetæ, quæ sunt causa opacitatis non mutant locum ita celeriter, sic etiam mouetur cometa, ergo non possunt causare eam mutationem, quæ de facto apparet: præterea hoc non valet in stella nouæ Cassiopeæ, quæ per duos annos mansit in eodem loco, quo tempore Sol, et planetæ mutauere situm.



Respondet quartò, Blancanus in sua sphæra posse dari magnū epicyclum in firmamento, in quo realiter semper sit cometa, sed tunc apparet nobis, cum est in parte inferiori epicycli. Sit enim terra A, vndè videtur cometa, circulus B H, sit concauum firmamenti, itaut tota crassities firmamenti, sit à circulo H. ad circulum I. in hac crassitie sit circulus G E B, qui appellatur epicyclus firmamenti, et mouetur suo proprio motu circa suum centrum K, cometa autem sit affixus huic circulo, hinc fiet, vt quando cometa peruenit ad punctū E, euadat nobis visibilis, quia est propinquior, et ita dum mouetur ex E, versus B, & C, semper nobis appa-

rebit: deinde, quia à puncto C, ascendit sursum sit à nobis remotior, vt videri amplius non possit, adeoq. in punctis D G F. nobis nō erit visibilis, atq. hoc pacto bene omnia saluantur.

Hęc inuētio epicycli in firmamēto displicet primò, quia nullo pacto saluat stellas nouas immobiles, vt fuit illa Cassiopęę, cū enim nullū haberet motum non poterat appropinquare nobis, et deinde recedere. Secundò quia multi cometæ, vt plurimum non fuerunt in firmamento, sed in cælo supra Lunā, et infra Solē, vt probatur ex parallaxi, et ipse etiam Blancanus admittit, ergo tales cometæ non potuerunt nobis apparere per epicyclum in firmamento. Tertiò, quia vt ipse refert ex Aristotele, et alijs, cometæ aliquādo discurrunt per gradus centum octoginta; aliquando per gradus nonaginta aliquando per quadraginta quatuor, sed hic motus ita apparens implicat fieri per epicyclum, ergo non potest ita saluari. Minor probatur ex figura antecedenti, nam si motus cometæ fuit apparens per semicirculū, nempe per gradus centū octoginta, fuit supra lineam circularē circuli F C D, sed implicat, quod si cometa est in tali circulo existente in firmamento, potuerit apparere supra semicirculum, nempe supra L B M. tota enim magnitudo epicycli implicat, quod æquetur magnitudini semicirculi in firmamento, ergo implicat, quod cometa deferatur in epicyclo, qui sit in crassitie firmamenti.

Deniq. sequeretur, eumdem cometam post aliquot annos rursus appariturum, quod repugnat experientiæ, sequela probatur, quia ponamus cometam apparuisse per tres menses, vt euenit, in cometa anni decimi octaui huius seculi, certè hoc tepore nō potuit percurrere minorem partē sui epicycli, quam vigesimam, aut trigesimam, quia quanto maiorem ponis epicyclum, tantò viciniores sunt inferiores partes illius respectu terræ. Ponamus etiam in gratiam aduersariorū percurrisse centesimam partem sui epicycli tribus mensibus, certè trecentis mēsibus, hoc est, annis viginti quinq. percurreret totum epicyclum, ergo post annum vigesimū quintū deberet apparere idem cometa, quod argumentum est efficax etiā si ponantur plures orbes excentrici, & epicycli, semper enim dum est nobis apparens, debet percurrere aliquam notabilem partem illorum circulorum.

Claramontius in suo Antithyconi conatur ostendere falsum fuisse Thyconem cū alijs Astronomis licèt magni nominis in collocandis cometis supra Lunam, & ex observationibus eiusdem Thyconis

conis studet euincere per varios calculos, quod intēdit; deinde positiuas affert rationes ad probandum cometas esse infra Lunam. Si hoc ita esset solueretur quoad hoc omnis quæstio; sed res est prorsus mathematica examinare, tàm Thyconis, quàm Claramontij argumenta, & præter nostrum institutum certè de stella in Cassiopea non dubitatur fuisse in firmamento, quare etiam dato, quod reliqui cometæ non fuerint in Cælo, quod falsum existimo, semper restat quæstio de stella Cassiopeæ, & alijs, de quibus non dubitatur à pluribus. Vide apud P. Ricciolum lib. 8. sect. 2. c 17. & 18. qui satis erudite hanc rem tractat,

Ad argumentum ergo. Respondeo cum communiori omnium sensu, cum P. Clauio, Rauio, Conimb. Arriag. & alijs, hæc Phænomena cœlestia immediatè fieri à Deo, vt à Principe naturæ. Probatur hoc, quia vbi nulla dari potest causa naturalis, debet productio tribui soli Deo, sed vt vidimus nulla causa naturalis potest assignari cometis, ergo eorum productio tribuenda est soli Deo. Secundò probatur ex congruentia morali, & politica, est enim congruum, vt Princeps quandoq. aliquid agat supra ordinem communem, dispensando legibus propter aliquod commune bonum, sic etiā Princeps naturæ debet cōgruè aliquando aliquid agere supra ordinem naturæ, ad bonum mortalium, hinc est, quod producit cometas, vt deterreat, & commoneat mortales, vt sibi prospiciant, & intelligant esse gubernatorem mundi Omnipotentem, & sapientissimum, qui omnia præuidet, & disponit, ita planè fecit ante destructionem Hierusalem, teste enim Iosepho multa prodit signa ad Hebræorum conuersionem, et nuper in regno Chilensi referunt apparuisse in cœlo exercitus, et horribilia phœnomena, quibus exterriti Barbari pacem inierunt cum Europæis. Hoc ipsum confirmatur, quia huius modi signa, semper aliquid portendunt, quod naturaliter portendi non potest, nihil enim naturale habet vim ad futura prænoscenda, vel significanda, præsertim, quæ pendent ab hominum libertate, quod autem his signis aliquid portendatur, & experientia tot seculorum comprobatum est, & est communis existimatio.

Ad Aristotelis auctoritatem dicentis in Meteoris cometas esse in aëre.

Respondeo mirum non esse, si hoc dixerit Aristoteles, cum eo tempore non fuerint adeo exactæ obseruationes circa cælorum motus, sicuti factæ fuere post ipsum præterea cum ignorauerit om-

nipotentiam Dei liberam, nõ poterat recurrere ad Deum, & ita asserebat fieri cometas in aëre ex terræ exhalationibus.

ARTICVLVS IV.

De Cæli Systemate.

TRiplex potest assignari Cæli systema, seu constitutio omninò diuersa. Prima vt assignata fuit à Veteribus illis, quos citat Aristoteles, hic lib. 2, textu 43. & Cicer. lib. 2. de natura Deorũ, quam sententiã sequuti sũt aliqui Patres, & Auctores, quos citat P. Scheiner ad finem Rosę Vrsinæ, videlicet vnum esse Cælum, & hoc esse fluidum, cui sententię videtur fauere Scriptura sacra dicens initio Gen. quod Deus fecit firmamentum, diuidens aquas ab aquis, hoc est fecit quemdam corticem solidum, ac si esset malleo ductus, quo diuisit aquas sublunares ab aquis cælestibus.

Secundum Systema fuit etiam antiquorum, de quibus meminit Cicero in Tusculanis, quod deinde secuti sunt Copernicus, Klepperus, Galilæus, & alij Astronomi. Ponit hoc systema solem immobilem tamquam centrum Vniuersi, terram autem cum elementis, Planetas, & stellas circumuolui circa Solem, vt infra explicabimus.

Tertium systema est Aristotelis magis receptum apud Recentiores, ponens terram pro centro, & cælos solidos circumuolui circa terram.

Dico primò, si ponatur cælum fluidum possunt sufficienter saluari omnes motus stellarum. Probatur, quia possunt saluari, tam considerando rationes physicas, quàm astronomicas, ergo simpliciter possunt saluari. Antecedens probatur quoad primam partem, nam si ponatur Cęlum fluidum ex materia aquarum, cum forma naturaliter incorruptibili modo supra explicato, nihil esset absurdi, quod per illud moueantur stellæ, sicuti pisces in mari, vel motu proprio, vel ab Intelligentia.

Dices repugnare continuam rarefactionem, & cõdensationem, quæ deberet fieri propter motũ stellarũ vastissimæ magnitudinis, à fronte enim corpus illud fluidum deberet condensari, & a tergo rarefieri, ne detur vacuum. Sed contra est, quia nullum est absurdum, quod daretur talis condensatio, & rarefactio in corpore fluido

do cæleſti, quod poſſet poni rarius ipſo aëre, adeoq. facillimè condenſabile, & rarefactibile.

Quod neq, repugnet rationibus aſtronomicis. Probatur quia poſſent fieri illi motus ab vnico quidem principio, quod tamen mathematicè loquendo æquiualeat pluribus. Ad quod explicandum dico nullam rem naturaliter poſſe moueri, niſi vnico motu phyſicè loquendo.

Patet hoc, quia motus eſt vbi fluens, per quod mobile ſucceſsiuè connotat ſemper diuerſam diſtantiam à punctis fixis imaginarijs, ſed nulla res poteſt naturaliter habere duo vbi eodem tempore, ergo neque poteſt naturaliter moueri duplici motu. Dixi phyſicè loquendo, quia mathematicè talis motus poteſt dici duplex, poteſt enim mathematicè menſurari duplici motu, & ita dicunt, quod Luna, verbi gratia, motu primi mobilis conficit vnam circulationem viginti quatuor horis, & motu proprio conficit ſuam circulationem triginta ferè diebus; realiter tamen, & phyſicè loquendo Luna non conficit integram circulationem viginti quatuor horis, ſed mouetur per lineam ſpiralem, quæ numquam complet circulũ quare ſemper Luna poſt viginti quatuor horas non redit in idem punctum à quo diſceſſerat, ſed in aliud aliquando diſtans. Ponamus enim Lunam incipientem ſuam circulationem à puncto A, quæ tranſeat per punctum C, poſt viginti quatuor horas non reuertitur ad punctum A, ſic enim faceret circulum, ſed reperitur in puncto D, à quo diſcedens reuertitur non ad punctum C, ſed ad punctum B, adeoque mouetur linea ſpirali, & minori, quàm ſit circulus, & ideo poſt triginta ferè dies dicitur feciſſe motu proprio vnicam circulationem.



Quo

Quo autem facilius percipiatur, quomodo physicè sit aliquando vnus motus, & explicetur per duos motus à Mathematicis, ponamus exemplum in motu recto, qui clarius describi potest. Supponatur linea A C palmaris collocata perpendiculariter supra lineã A B bipalmarem, moueri sic perpendiculariter erecta à puncto A, ad B, per vnam horam motu semper æquali. Similiter in eadẽ hora formica motu proprio moueatur supra rectã A C, à puncto A ad punctum C, motu etiam æquali, qui erit duplo tardior, vt patet quàm motus rectę A C (pono enim rectam A C, esse dimidium rectæ A B.) hoc supposito formica realiter per hos duos motus mouebitur per lineam A D. eiusque vbicatio fluens erit recta à puncto A ad punctum D, quod demonstratur, nam post primum quadrantem illius horę, quando formica erit in prima quarta parte rectæ A C. ipsa recta A C erit in prima quarta parte rectę A B, adeoque tunc formica erit in puncto E, similiter post mediam horam in puncto F. post tertium quadrantem erit in puncto G, & post vltimum quadrantem erit in puncto D. & quod dico de his quatuor punctis, dico de quibusliber alijs acceptibilibus post quamlibet partem determinatam temporis, quare realis motus formicæ erit recta A D, qui proueniet à duplici virtute motiua, nempe, & à propria formicę, & à virtute mouente rectam A C, quamuis autem sit vnus realiter motus, benè tamen mensuratur à Mathematicis per comparationem ad duos motus; sic etiam euenit in motu planetarum in Cælo, qui vnus est physicè, & multiplex mathematicè modo explicato.



Hinc patet moueri posse stellas errantes, sicuti pisces in aqua ab Intelligentia, quamuis ipsarum motus commensuretur à Mathematicis per duplicem motũ, sicuti si formica ab aliqua manu moueretur à puncto A, ad punctum D, per rectam lineam in vna hora,

ra; talis motus posset mensurari mathematicè, ac si procederet à duplici virtute motiua, sicuti iam explicauimus. Vndè immeritò Clauius, et alij Astronomi irridēt Cæli fluiditatem tamquam impossibilem, vt saluentur omnes motus Planetarum, nullus enim est motus physicus, qui fit à multis simul virtutibus diuersimodè applicatis; qui fieri non possit ab vnica virtute directa, ab intellectu ad talem motum.

Sed quamuis hæc sententia sit probabilis, non tamen discedendum est ab Aristotele ponente Cælos esse solidos, et circumuolui circa centrum terræ. De secunda enim sententia dicam articulo sequenti. Ratio est, quia in sententia Aristotelica bene saluantur motus stellarum, & magis regulatè; præterea est conformior auctoritati sacræ Scripturæ, & Patrum. Quoad primam partem infra probabitur, quoad secundam probatur nam primò Genesis ita habetur, quod Deus fecit firmamentum, et appellauit Cælum; uomine enim firmamenti est in Hebræo *rachiab*, quæ vox deriuatur à verbo significante malleo ducere, et extendere, quare videtur Deus ex aquarum materia cōsolidasse Firmamentum, nempe Cælum, quod diuideret aquas inferiores, nempe elemētares, ab aquis, quæ sunt supra Cęlum, nempe in Cælo crystallino, vt dicemus artic. vltimò, ipsum autem Cælum vtrasque aquas diuidens, debuit esse solidum, et firmum, et quasi malleo extensum: in hoc autem firmamento expressè ponit Moyses à Deo fuisse collocatum Solem, Lunam, et Stellas, quare hęc non sunt in fluido, sed intra soliditatē firmamenti: legatur P. Salianus de hac re initio suorum annalium.

Porrò hæc aqua supra firmamentum, vel est ipsum Empyreum, vel probabilius est Cælum aliquod crystallinū, quod vt dicit Coruelius in Genesi posuit ibi Deus ad oblectamentum beatorum, quasi lucidissimam crystallum, aut adamantem, quod Cælum crystallinum, & empyreum nobis innotescunt auctoritate Bedæ, et aliorum, quos referunt Conimbric. hic de quo infra. Consonat cum primo capite Gen. 37. lib. Iob. vbi sic habetur. Tu forsan cū eo Cælos fabricatus es, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt. Et licèt ibi loquatur Eliu amicus, Iob, tamen facit auctoritatem, cum S. Paulus 3. ad Corinth. citet tamquam Diuinum oraculum id, quod dixerat Eliphaz alius Iob amicus c. 50. compræhendam sapientes in astutia eorū. Tertiò Isaias c. 51. Cæli sicut fumus liquescent, ergo de facto solidi sunt, et non fluidi, nec responsiones ad hæc quas affert Riccioli lib. 9. sect. 1. c. 7. videntur euincere Cæli

fluidi.

fi:ſiditatem,tam apertè ſignificatam à Sacris litteris, quæ cum optimè poſsint intelligi iuxta ſenſum rigoroſum,non debent detorqueri. Quod autē poſsint accipi in rigore patet,quia neq. phyſicè neq. mathematicè conuincimur de oppoſito, vt fatetur ipſe Riciolus loc. cit. concluſione 23.

Dices cum Hurtado hic,licèt Cælum ſit ſolidum, poſſent tamen moueri planetæ per canales vacuos, ſed contra eſt,quia natura fugit à vacuo,præterea, neque Sol poſſet illuminare mundum, imo nec poſſet à nobis videri, quia in vacuo non datur actio, vt patet, Sol autem ſolùm in puncto, ſeu in circulo pertingeret canalem, vt patet ſi pila moueatur in bombarda ſemper per ſolum circulum eam tangit Præterea quando aliquis canalis planetarum infra Solem occurreret ante Solem, fieret eclypſis, quod nunquam eſt obſeruatum.

Vt videamus quomodo omnia benè ſaluētur in ſyſtemate Ariſtotelis, illud prius explicandum eſt. Ariſtoteles ergo cum Ægyptijs, Chaldæis, Arabibus primis Aſtronomiæ Magiſtris poſuit octo Cælos ſolidos. Primùm,et maximè infimum Cælum Lunæ, ſecundum, Mercurij, tertium, Veneris, quartum Solis, quintum Martis ſextum Iouis, ſeptimum Saturni, atque hi ſunt Cæli ſyderum errantium, quæ græcè planetę dicuntur. Octauum Cæli eſt ſtellatū, in quo ſunt reliquæ ſtellæ fixæ, quę proprium motum non habent, ſed mouentur motu viginti quatuor horarum. Ratio tot Cælos multiplicandi fuit diuerſitas motus in quibuſdam ſtellis, cùm enim animaduerterent quemlibet horum planetarum diuerſum habere motum à reliquis ſtellis, eo quod nunc vni vicinior appareat, nunc alteri, et ex alio capite exiſtimauerint Cælos eſſe ſolidos, cùm ſint diras ſit paſsio rei corruptibilis, debuerunt neceſſario octo Cælos conſtituere, vt diuerſi motus fieri poſſent in ſepteno Planetæ, et in ſtellis fixis; craſsities autem horū Cælorum iuxta computū Recentiorum ex doctrina Ptolemæi lib. 5 Almageſti ſerè, ſic ſe habent. Craſsities Lunæ continet milliaria centū nouē millia quinquaginta ſeptem. Craſsities Mercurij habet trecenta ſeptuaginta millia quadringenta octoginta milliaria. Craſsities Veneris continet milliariorum tres milliones, quadringenta tredecim millia ſeptingenta quinquaginta ſex. Solis craſsities milliariorum trecentorum triginta nouem millium, centum, et trium. Martis craſsities habet milliariorum viginti ſeptem milliones, trecēta triginta nouē millia. trecenta ſeptuaginta quinq. Iouis craſsities habet

millia.

milliariorum milliones nouemdecim, septingẽta septuaginta quinque millia, 498. Demum Saturni crassities continet milliariorum 29474574. semidiameter verò à centro terræ, ad concauum Lunæ 120621.

Sed contra hoc systema obijcies primò cũ Clauio, & alijs Astronomis, adhùc ponendos esse tres alios Cælos; obseruati enim fuerũt in Cælo alij tres motus vniuersales. Primus ab Hypparco, Ptolemæo, Alfragano, et prius à Timochare, obseruarunt enim stellas omnes fixas motu tardissimo moueri ab Occidente in Orientem, itaut integra reuolutio huius motus debeat absolui iuxta Ptolemæum annis 36000., inxta cõputum Alphonsi Regis annis 49000. quæ multitudo annorum dicitur annus Platonicus, quia omnia astra ad suas iterùm sedes regressura sunt, in quibus fuere creata.

Secundus motus est trepidationis à Septentrione in Austrum, et ab Austro in Septentrionẽ, vt obseruatũ est ab Albategnio, Tebitio, Purbachio, Alphonso Rege, et alijs. Hic motus facit, vt pũctum Arietis, et Libræ circumuoluantur per circulum octodecim graduum, vt volunt aliqui, adeoque tota sphæra cælestis quodammodo trepidat, et nunc accedit ad hanc, et nunc ad aliam partem.

Tertius motus fuit obseruatus à Copernico, et alijs, nempe aliqua trepidatio ab ortu in occasum, et è contrario; sed hi motus effici non possunt, nisi ponantur alij tres cæli; et vnumquodque habeat motum suum proprium, ergo ponendi sunt plures, quam octo.

Huic obiectioni respõsum est supra, vbi diximus vnicum esse posse motum vnius rei, quare necesse non est, vt ponantur Cæli supra octo. Sufficit enim dicere, quod stellæ omnes moueantur motu mixto aliqua trepidatione, et præterea, quod non compleant vnicam circulationem viginti quatuor horis præcisè, adeoq; videtur motus aliquantulum retardatus, à qua tarditate prouenit annus Platonicus.

Obijcies secundò, si Cæli non essent fluidi saluari non posset, quomodo Sol, et reliqui Planetæ nunc sint viciniores nobis, nunc remotiores, vt patet ex ipsorum magnitudine, apparent enim aliquando maiores, aliquando minores, quod fieri non posset, nisi quia magis accedunt ad nos, et recedunt à nobis. Præterea Sol cõsumit plures dies ad percurrendã vnam medietatem Cæli, quàm alteram, nã ab Æquinoctio Veris ad Æquinoctium Autumni, hoc est ab initio Arietis, vsque ad principium Libræ, quo tempore per-

currit sex signa Borealia. Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum, Leonem, Virginem, insumit octo dies cum dimidio; plusquàm in percurrendis aliis sex signis Australibus, quæ sunt Libra Scorpius Sagittarius, Capricorn. Aquarius Pisces, & tamé tã sex signa borealia quàm sex australia occupant integrum semicirculum, ergo nõ cesse est, vt Sol ascendat, et descendat, quod fieri non posset, nisi per Cælum fluidum.



Respondeo hæc omnia bene saluari etiam positis Cælis solidis modus autem saluandi est ponere orbes eccentricos in singulis Cælis Planetarum, exemplũ ponemus in Sole, Sit centrum terræ A, crassities cæli solaris sit spatiũ inclusũ circulis descriptis à cẽtro A. Hæc autẽ crassities dicitur sphæra concentrica cũ terra, quia habet idem centrum A, vt patet. Porrò intra hanc crassitiem ducantur alij duo circuli, non è centro terræ, sed ab alio puncto, verbi gratia à pũcto D, qui duo circuli contineant tantam crassitiem, quanta est corpus solare; hi sanè circuli dicuntur eccentrici respectu terræ, hoc est habentes centrum diuersum, arq. ex his circulis minor pertingit punctum B, maior punctum E, his positis dico quod si Sol intelligatur tanquam nodus fixus in crassitie huius eccentrici, qui appellatur deferens, et hic deferens intelligatur moueri motu proprio circa centrum suum D per vnum annum, saluamus optimè omnia; recta enim F G, quæ transit per centrum D, diuidit bifariam motum proprium Solis, vt patet. at recta H I, transiens per centrum terræ, secat deferentem Solis in duas partes inæquales, itaut maior portio sit supra, quàm infra, hinc fit, quod dũ Sol peragit portionem maiorem huius deferẽtis, appareat sub sex signis

signis Borealibus longiori tempore, quam dum percurrit portionem minorem apparens sub signis Australibus; præterea quando Sol est in puncto B est remotior à terra, quam quando est in alio loco, ergo saluatur optimè vtrumque experimentum etiam positis Cælis solidis.

Saluatur præterea, quomodo eclypses tàm solares, quàm lunares fiant aliquando maiores, aliquando minores, stantibus Luna, & Sole in eadem oppositione. Ratio autem est, quia aliquando Luna fuit interposita inter terram, & Solem in loco nobis viciniori, aliquando in loco à nobis remotiore, adeoque vmbra aliquando est maior, aliquando minor. Quoties enim idem corpus opacum opponitur eidem luminoso, si vicinius illi opponatur proijcit vmbram minorem, quam si remotius opponatur; at verò si idem corpus opacum occupet locum magis remotum à Luminoso, proijcitur vmbra maior, hinc euenit, quod aliquando in eodem situ respectu nostri, & in eadem oppositione nunc eclypsis sit maior, nunc minor, quia licet Luna, vel Sol appareant nobis in eodem situ, possunt tamen esse magis, vel minus distantes, quæ distantia ab oculo non discerni tur.

Obijcies tertio, reliqui planetæ præter solem existunt in eodem puncto sui eccentrici v. g. in apogæo, vel perigæo (dicitur apogæum punctum remotissimum in eccentrico, quale esset punctum B in superiori figura, quod etiam appellatur caput draconis, seu punctum augis: at punctum illi oppositum, maximè vicinum terræ dicitur perigæum, oppositum augis, & cauda draconis) & in tali situ visi sunt aliquando maiores, aliquando minores, ergo non habent eamdem distantiam à terra, hoc autem non saluatur per eccentricum, nam apogæum eccentrici semper æqualiter distat à terra, ergo planetæ sub eo puncto existentes, semper deberent videri in eadem magnitudine, quod tamen semper ita non est. Secundo obseruarunt Astronomi Lunam existentem sub eodem puncto sui eccentrici, aliquando passam fuisse eclypsim maiori tempore, aliquando minori, quod prouenit à maiori, vel minori distantia. Tertio, multi planetæ aliquando sunt retrogradi, aliquando stationarij, & aliquando directi, seu progredientes, hoc est aliquando videntur aliquo tempore retrocedere, aliquando videntur stare immobiles, & aliquando debito cursu progredi, hæc autem saluari non possunt in cœlo solido per motum regulatum, & æqualem, sicuti posuit Aristoteles, ergo systema nostrum non bene saluat omnes cœli apparentias.

Respondetur, quod ad saluanda hæc, cum regularitate motuum cœlestium, admittendi sunt in cælis planetarum, excepto sole, orbes Epicycli, nempè orbes positi in crassitie eccentricorum, quod vt melius percipiatur, ponamus crassitiem inclusam circulis A B esse



eccentricum Planetæ. In hoc eccentrico intelligatur sphæra repræsentata per circulum D G E F, in qua sphæra, quæ dicitur epicyclus, intelligatur moueri circa suum centrum C. circumuoluens planetam; hoc posito sequitur, quod quando planeta est in puncto D, quod est inferius in epicyclo est nobis vicinior, quàm quando est in puncto E, maximè superius in epicyclo, & tamen, siue sit in puncto E, siue D respectu terræ apparet in eodem situ, nempe in apogæo ergo optimè saluatur, quomodo Planeta visus in eodem puncto, aliquando visus fuerit maior, aliquando minor, quia videlicet, apparens in eodem situ, respectu nostri, vna vice, erat in loco inferiori epicycli, vna vice in loco superiori. Secundo saluatur, quomodo Luna apparens nobis in eodem situ sui eccentrici, aliquando passa sit eclypsim maiorem, aliquando minorem, quia scilicet apparens in eodem situ, potuit vna vice esse inferior, altera superior in suo epicyclo. Denique saluatur, quomodo aliquando planetæ videantur stare, aliquãdo retrogredi, &c. intelligatur enim orbis eccentricus moueri à dextera ad sinistram, & similiter moueri orbis epicyclus, nempe ab ipso G. per E. versus F, sequitur, quod quando planeta mouetur à puncto E, vsque ad punctum F, semper progrediatur, quia punctum E. semper appropinquat ad partes F, quare tunc planeta progreditur iuxta motum eccentrici, at verò quando planeta à puncto F. mouetur versus B, & G. per motum epicycli,

epicycli, certè talis motus est contrarius motui eccentrici, quia defert planetam in partem oppositam puncto F, & quia hæc contrarietas magis est versus partes D propter curuitatem epicycli, sequitur, quod quando est tanta contrarietas in motu epicycli, quantus est motus eccentrici, planeta appareat in eodem loco, & dicitur stationarius; quando autem contrarietas motus epicycli est maior, quàm motus eccentrici, planeta retrocedit, & dicitur retrogradus, ergo per epicyclum positum in eccentrico, saluantur apparentiæ suprapositæ.

Obijcies quarto, dantur maculæ in orbe solari, quæ semper mutant situm, vt diutius obseruauit P. Scheiner in sua Rosa. Præterea dantur aliquæ paruæ stellæ, quæ Iouem comitantur, & mutãt situm, quæ appellatæ sunt Mediceæ, ergo datur cælum fluidum.

Respondeo negando consequentiam, hæc enim omnia saluari possunt, per epicyclos positos, tàm in ipso sole, quàm in eius cælo, qui orbes deferant diuersimodè partes aliquas densiores, & magis opacas, quæ in comparatione reliquarum partium minus luceant, adeoque appareant tamquam maculæ, sicut enim singuli cœli constant eccentricis, & epicyclis, sic ipse Sol constare potest varijs orbibus; has maculas deferentibus, & idem dico de comitibus Iouis.

Obijcies quinto, Venus, Mercurius, & Mars aliquando visi sunt supra Solem, aliquando infra, ergo non habent cælos particulares.

Respondeo, quod si vera est hæc obseruatio, quæ ab aliquibus solùm Recentioribus adstruitur cum Thycone, & non cõmuniter ab omnibus, dico, quod pro Sole, Venere, Mercurio, & Marte datur vnũ Cœlum crassissimũ, in quo sint plures epicycli circa Solẽ, per quos moueantur tres prædicti planetæ, quam sententiam laudatã video nuperrimè à Ricciolo lib. 7. sec. 6. in schol. num. 5. & sanè arbitror, veras esse obseruationes, quantũ videre potui, adhibito etiã diligenti examine, obseruationum. Cæterum non est Philosophi examinare, vtrum factæ obseruationes de his Planetis, veræ sint, an falsæ, sed Astronomi; solùm dico conditionatè, si hoc experimentum verum est, vnicum esse Cœlum, pro his quatuor planetis, vt procul dubio verum existimo.

Ex dictis infero, quod in sententia ponente Cælos fluidos, non ita bene, sicuti in nostra assignatur motuum regularitas, nam si Intelligentia moueret per se immediatè planetam in fluido, oporteret sistere à motu, quando est stationarius, & nunc mouere illum tardius,

tardius, nunc celerius, nunc etiam motu retrogrado, adeoque nõ daretur certa motus mensura, quæ datur ponendo plures orbes eccentricos, & epicyclos, qui sunt causæ attemperãtes taliter motus planetarum.

Infero secundo, Cœlum empyreum probari non posse ex motu, sed præcisè probari ex auctoritate, vt diximus, potest etiam probari ratione naturali probabili, ex eo, quod videmus in regionibus habentibus eandem poli altitudinem, maximam diuersitatem in motibus, & cæteris effectibus; hæc autem diuersitas non potest refundi in Cœlos mobiles, quia eodẽ pacto voluuntur supra huiusmodi regiones, ergo refundi debet in diuersas partes alicuius Cœli immobilis, quæ partes diuersos influxus producãt in diuersis regionibus: difficulter autem refundi possunt in terram, & aërem, quandoquidem aër permutatur facillimè, & in terra non apparet diuersitas ista notabilis.

ARTICVLVS V.

Proponitur, & refellitur sententia Copernici.

COpernicus cum alijs, vt diximus longè diuerso modo constituit Vniuersum. Ponit enim pro centro totius mundi Solẽ immobilem, licet aliqui eius sectatores ponant Solem circumuolui, circa suum centrum ad saluandos motus solarium macularum, numquam tamen ponunt mutare centrum. Immediatè post Solem ponit hæc sententia orbem Mercurij, qui integrè circumuoluatur octoginta dierum spatio: post Mercurium collocat sphæram Veneris, quæ nouem mensibus suam perficiat circumuolutionem. Tertio loco ponit orbem, quem appellat magnum, in quo ponit terram tamquam in centro illius, simul cum aqua, circa terram ponit aërem, post aërem ignem, post ignem globum Lunæ. Ponit præterea Lunam circumuolui circa terram, itaut singulis ferè mẽsibus conficiat vnicam circumuolutionem; hæc autem omnia per modum vnius globi, collocat in crassitie orbis magni, tamquam nodum in tabula, qui orbis annuo cursu voluitur circa Solem. Quarto loco ponit Martem, qui duorũ annorum spatio suum circulum conficit, Quinto loco ponit sphæram Iouis, qui duodecim annis integrum percurrit orbem. Sexto loco ponit Cœlum Saturni

suam

ſuam circulationem perficiens annis triginta. Denique ponit Cœlum ſtellatum immobile, complectens omnes orbes prædictos, atq; has ſphæras ponit concentricas, hoc eſt habentes idem centrum cum Sole: totum hoc apparet in ſubiecta figura, in qua Sol eſt in medio. Sequitur Mercurius in circulo A, deinde Venus in circu-



lo B, deinde orbis magnus; quarto loco Mars in circulo C, quintus eſt Iuppiter in circulo D, ſextus denique Saturnus in circulo E, ſtellatum Cœlum intelligitur immobile.

Præterea ponit in terra triplicem motum, primum velociſſimũ circa ipſius terræ centrum, quem conficit, viginti quatuor horarũ ſpatio, ſupra eoſdem polos, hinc prouenit viciſſitudo dierum, ac noctium, cum enim medietas terræ eſt infra, & oppoſita Soli, tunc illa illuminatur, & diem habet, cum deinde aſcendit, noctem patitur, & quia hæc circumuolutio eſt ſucceſſiua, cum primũ aliqua pars terræ incipit videre Solem, fit illi tempus matutinum, cum eadem pars vltra procedens, fit maximè oppoſita Soli, eſt tempus meridianum, & ita de alijs temporibus dicendum eſt. Neque mirum eſt, quod videatur Sol moueri circa nos, dum ipſa terra mouetur ſtãte Sole, nam motus apparet nobis propter diuerſitatem, qua videmus obiectum, & quia per motum terræ Sol diuerſo modo ſemper apparet, hinc eſt quod imaginamur Solem moueri, ſicut accidit nauigantibus, quibus videntur montes, ac terra moueri

ueri propter motum nauigij, vnde bene cecinit Poëta:

Procedimus portu, terræque, vrbesque recedunt.

Porro ista circumuolutio ita fit, vt sèper circulus æquinoctialis, qui bifariam secat terrã, & maximè distat à Polis mundi, sit æquè distans respectu æquinoctialis cælestis, & consequenter axis terræ semper sit parallelus axi totius Mundi.

Secundus motus terræ, est motus annuus, quo mouetur circa Solem sub linea cœlesti, quæ est Eclyptica in medio Zodiaci, in quo sunt duodecim signa cælestia, ex quo fit, vt singulis mensibus videatur nobis Sol signum vnum percurrere, non quidem, quod Sol moueatur, sed quia ipsa terra vnum signum suo motu percurrit, vt patet, nam existente terra sub Scorpione v.g. Sol apparet sub Tauro, existente eadem sub signo Libræ, Sol apparet sub Ariete, quia videlicet ipsa terra mota est per vnum signum percurrés signum Libræ, vsque ad Scorpionem. Ex hoc etiam motu oritur varietas dierum, & noctium, quia dum terra est in vno situ magis illuminatur, secundùm vnam partẽ nostro polo viciniorem: quando verò est in parte oppositа, magis illuminatur in altera parte, alteri polo viciniore, & quia hæc variatio fit successiuo dierum ortu, semper fit dierum, & noctium mutatio. Præter hos duos motus in terra, ponunt aliqui ex Copernicanis, alios motus librationis, seu trepidationis, vt saluent phænomena superius posita de motibus vniuersalibus.

Porro hoc systema, videtur bene saluare omnes apparentias, nam in primis saluat, cur planetæ aliquando maiores appareãt aliquando minores, cum enim terra est in parte oppositа Hemisphe rio, vbi est aliquis planeta, tunc magis distat. & apparet minor, cũ verò est in eodẽ Hemispherio planeta est vicinior, & apparet maior: saluat etiam cur aliquando planetæ sint retrogradi, aliquando stationarij, aliquando directi, quia nimirum motu diurno potest euenire, vt aliquando superior planeta superetur à celeritate motus terræ, & ita apparet retrogradus, aliquando in alio situ terræ non superabitur, neque superabit celeritatem terræ, & tunc apparet stationarius, aliquãdo tandẽ in alio situ, terra mouetur ad uersò motu à planeta, & tũc planeta procedit, & est directus. Quod si petas cur Luna aliquãdo minor, aliquando maior appareat, possent respondere, ponendo eccentricum, & epicyclum in orbe lunari circa terram, sicuti nos posuimus; similiter possunt dicere de terra, quod habeat orbem eccentricum centro Solis, adeoque nõ semper

semper distet eadem distantia à centro Solis, atque hinc fatuare, quod plus temporis Sol appareat sub signis Borealibus, quam sub Australibus, & quod nunc maior, nunc minor videatur.

Impugnant aliqui hoc systema Copernici primò, quia sequeretur, quod etiam stellæ fixæ deberēt nobis apparere nunc vicinio-res, nunc remotiores, quod est contra experientiam, cum semper appareant in eadem magnitudine. Sequela probatur, quia stella aliqua fixa, v.g. cor Scorpionis, quando terra est sub illo signo, est ipsi vicinior, quàm quando est sub alio signo, ab eo distante.

Respondent tamen ad hanc difficultatem Copernicani, concedendo, quod physicè loquendo eadem stella, est aliquando nobis vicinior, aliquando remotior, sed negando, quod talis vicinitas, & longinquitas faciant notabilem diuersitatem in magnitudine stellæ. Ratio est, quia licèt diameter magni orbis, in quo est terra, constet multis centenis millibus milliariorum, tamen respectu distantiæ immensæ Cæli stellati ab orbe magno, tota illa diameter se habet, quasi vnus palmus, sic v.g. si distamus à turri vno milliari, & appropinquamus illi per decem passus, non tamen animaduertimus diuersitatem notabilem, in turris magnitudine, quia talis propinquitas respectu spatij remanentis vsque ad turrim, non est notabilis. Ponere autem tantam Cæli vastitatem, videtur maximè congruum Diuinæ omnipotentiæ, quæ ex magnitudine operū suorum, maximè redditur admirabilis iuxtà illud. Cæli enarrant gloriam tuam, & opera manuum tuarum annunciat firmamentum.

Impugnant secundò, quia si terra moueretur, esset motus ille velocissimus, vt patet, quia tota viginti quatuor horis perficeret suam circulationem, & illæ regiones, quæ æque distant à polis, hoc est sunt sub æquinoctiali, conficerent, plusquam nongenta milliaria singulis horis, ergo ædificia corruerent, & perpetuus exaudiretur syluarum sonitus, propter ventum, qui enim velocissimè currit, vix potest respirare propter celeritatem, qua findit aërem, & sagitta propter celeritatem motus stridet, & plumbum liquefit iuxta illud Poëtæ

——*liquefacto tempora plumbo Diffidit.*

loquendo de pila plumbea per fundam immissa. Præterea sequeretur, quod pila explosa à bombarda versus Orientem deberet decidere in Occidentem, quia motus prouenies à bombarda est multò tardior, quàm sit motus terræ. Præterea si quis pilam, vel

rem quidem in altum proijceret perpendiculariter, nõ deberet cadere in eundem locum, à quo fuit immissa, quia dum res illa in altum ascendit, & reuerteretur terra, moueretur, & multa alia similia absurda congerunt, quæ videntur esse manifesta.

Verùm possunt ad hæc, & his similia respõdere aduersarij, quod hæc absurda sequerentur, si sola terra moueretur circum circa, & non etiam aër, & elementa, at si ponantur omnia eodem motu moueri, nullum sequitur absurdum; nam in cubiculis nauigiorum, quamuis celerrimè progredientium, quia tam homines, quàm omnia ibi inclusa mouentur, nihil tamen horum euenit, & si ibi pila ludatur, certè pila recidit perpendiculariter, & eodem pacto, ac si cubiculum esset in quiete; quamuis ergo talis pila si nauigium progreditur in orientem, semper fit orientalior, tamen respectu ludentium, & partium cubiculi potest fieri occidentalior, quando proijcitur versus occidentem. Similiter si in aliquo vase aëre pleno includantur auiculæ, tamen in aëre incluso volarent, perinde ac si aër quiesceret, idem facerent pisces inclusi intra vas aqua plenum, si vas moueretur.

His ergo, & similibus impugnationibus omissis, tanquam inefficacibus, dico tamen hoc systema de facto non dari; quidquid sit de possibili, licèt enim sequerentur fortasse eædem apparentiæ posito de facto hoc systemate, quæ sequerentur iuxta systema nostrum, tamen an Deus summus artifex, hoc, an illud systema secuturit, scire non possumus, nisi ipsemet Deus nobis id manifestauerit; hinc probatur efficacissimè nostra conclusio auctoritate Diuinarum rebus enim, quæ de facto sunt, an sint hoc, vel illo modo, licèt vere que sit possibilis, standum est illius testimonio, qui res ipsas fecit, & non nostris speculationibus.

Habemus ergo primo Gen. quod Deus fecit Solem, Lunam, & stellas, & posuit ea in firmamento, nomine autem firmamenti intelligit Cœlum solidum, ergo in eadem Cœlorum serie, vbi sunt reliquæ stellæ, est etiam Sol, & Luna, ergo hæc non sunt in diuersis locis, sicuti ponit hoc systema collocando Solem in centro, Lunam in orbe magno, & reliquas stellas fixas supra immensum spatium in firmamento.

Secundò in Ecclesiastico hæc habentur. Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascès girat per meridiè, & flectitur ad Aquilonè; quibus verbis apertissimè nobis describitur Solis motus. Præterea ibidem dum agitur de Rege Ezechia dicit

est Scriptura. In diebus ipsius retro redijt Sol & in lib. Iosue habetur. Dixit Iosue, Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon, stetitque Sol in medio Coli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, & Psalm. 103. fundasti terram supra stabilitatem suam non inclinabitur in sæculum sæculi; alia scripturæ testimonia videri possunt apud P. Incofer in libello de hac re. Adeò autem visa sunt clara hæc scripturæ testimonia, vt etiam aliqui hæretici, vt Mulerus, & Origanus ausi non sint ponere motum annuum in terra, sed solum diurnum circa se, vt saltem saluarent immobilitatem terræ secundum se totam: hinc sane merito nostra Cardinalium Congregatio, ex auctoritate Pontificis damnauit opinionem Copernicanam de Sole immobili, & terra mobili, tamquam falsam, & Diuinæ auctoritati repugnantem, in decreto edito anno 1616.

Dices cum Klepero posse nos commodè interpretari loca scripturæ, nempe quod loquatur quoad sensum, & captum hominis, & quia homines existimant sensu ducti, quod Sol moueatur, & terra quiescat, se conformauit cum sensu hominum, sicut etiam dixit Solem, & Lunam esse magna luminaria, & tamen Luna est minima omnium stellarum apparentium.

Sed contra est primo, quia debemus interpretari scripturam, quantum possumus, & vt verba sonant, iuxta Augustini axioma ab omnibus receptum, vbi ergo non apparet euidens repugnantia, tenemur accipere in sensu rigoroso, sed nulla est repugnantia in nostro systemate, vt probauimus, & ipsi aduersarij fatentur, in quo terra quiescit, & Sol mouetur. ergo tenentur ita accipere sacram Scripturam, quare aduersarij debent apertè demonstrare repugnantiam in nostro systemate, vt ita interpretarentur scripturas, sed ipsi conantur ad summum probare, quod bene explicent omnes apparentias, & aliquas facilius, quam nos, quod totum etiam si daremus ipsis, tamen non possumus adhuc discedere ab vnanimi consensu Patrum, & Ecclesiæ in scripturis interpretandis, sicuti iuramus in professione fidei. Præterea neque erat res difficilis, et supra captum vulgi imperiti, quod Sol quiesceret, & terra moueretur, cum quotidiana experientia constet nauigantibus apparere littora se mouentia, propter motum nauigij, cur ergo debebat nos fallere Diuina Scriptura affirmando, id quod non erat? Tertiò contra est, quia Moyses describens historicè creationem mundi, palmare mendacium dixisset, si collocaret Solem, Lunam, & stellas

in firmamento, in quo nihil valet captus vulgi, sed hæretici, qui semper impudenter Diuinam pernegarunt veritatem, meritò in ipso Sole cœcutiunt.

Ad instantiam de Luna, quod dicta sit luminare magnum, dico in primis, quod si diceremus hoc, ibi dictum esse de magnitudine, quo ad apparentiam, non faceremus cōtra dictum Augustini, quia haberemus euidentem rationem interpretandi Scripturam, cum euidenter habeamus Lunam esse minorem stellis, quare non gratis, & ob nostram temeritatem daremus talem interpretationem, sicuti faciunt aduersarij. Secundò magis ad rem.

Respondeo Lunam etiam esse magnum luminare, quia est magis illuminans, quam aliæ stellæ, & sicuti parua lucerna, quoad molem, diceretur maximum luminare, in comparatione vastissimi adamantis, vel alterius corporis, non adeo relucentis, ita potuit cum omni rigore Luna appellari magnum luminare, propter magnam virtutem illuminandi, quam habet.

Dices iterum cum eodem Klepero, datur necessitas interpretandi scripturam, in sensu suprapositò, quia Cælum stellatum non potest moueri, nam cum sit finitum post ipsum nihil esset, sed quid quid mouetur, debet esse in loco reali, ergo Cælum stellatum moueri non potest; Sed contra est, quia nihil magis friuolum hac necessitate; primò quia etiam si daremus illi, nihil moueri, nisi in loco reali extrinseco, negamus tamen Cælum esse vltimum, sed dicimus post ipsum dari Cælum empyreum immobile, ergo ex hoc capite nulla apparet necessitas. Secundo falsissimum est illud principium, quod quidquid mouetur, debet ambiri loco reali, vt enim supra probauimus, etiam in vacuo daretur motus connaturaliter, hoc autem multò magis valet in motu circulari, in quo totum nō mutat situm, sed solùm singulæ partes, cui nihil officit, nihil dari post ipsum globum.

Secundò probatur nostra conclusio ratione physica, nam si ponatur hoc systema Copernici, multiplicantur immensè entia sine necessitate, quod non est philosophicum, neque locum hic habet ratio Giliberti, qui posuit Cœlum esse infinitum, vt magis ostendatur Dei omnipotentia, nam satis, superque illa ostenditur, si operata est, iuxta finem naturæ, non autem si fecit superflua in natura, nisi quando miraculosè operata est, & sanè miror hæreticos, ita euasisse scrupulosos in Diuina omnipotentia cōmendanda, qui tamen negant plurima, & perfectissima ipsius miracula, vt est Sanctissimum

ctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & similia. Quod autē multiplicent entia sine necessitate naturæ, patet ex dictis, ponūt enim Cœlum stellatum distare ab orbe magno immensa planè distantia, à qua nos abhorremus.

Tertio probatur, quia motus terræ viginti quatuor horarum nō deberet esse violentus, sed naturalis, talis esse non potest, ergo nō datur. Maior patet, quia debet esse ad bonum Vniuersi, ad quod terra, & elementa inclinant. Minor etiam probatur, nam vel hic motus venit ab anima intrinsecā terræ, vel ab ipsa natura terræ, & aëris, neutrum dici potest, ergo non est naturalis: hæc minor probatur, quia non venit ab anima, sicuti somniauit Kleperus ponens terram animatam, non enim habet animam vegetatiuam, qua crescat, neque sensitiuam, qua sentiat, neque rationalem, qua discurrat, cum certè nullam faciat harum operationum, vt patet, neque potest prouenire à forma, seu materia terræ, aquæ, & aëris, quia natura semper est determinata ad eundem effectum, v.g. lapis grauis, vt quatuor in eodem pleno, semper mouetur eodem motu, sed res quæ moueretur motu viginti quatuor horarum, non haberet semper eundem motum, nam lapis, vel homo, vel nauis, quæ nunc sunt sub æquatore, si deinde accedant ad Septemtrionem, vel Austrum, mouentur motu multò minus veloci, ergo non habent ex sua natura moueri tanta velocitate, antecedens patet, nam posito lapide in parte terræ, æquè distante à Polis, quia est sub circulo maximo, qui potest duci à polis, mouetur motu celerrimo; at idem lapis si positus sit vicinior vni polo, est sub circulo minori, adeoq; non mouetur ita veloci ter.

Dices natura terræ, simul cum aqua per modum vnius, habet inclinationem ad motum sphæricum, etiam per modum vnius, at cętera corpora, quæ non sunt cum terra connexa, vt sunt animalia, aër, & similia mouentur per motum tractionis, mouentur enim à viciniori parte terræ ad motum suum, sicuti Magnes trahit ferrum naturali sua virtute. Sed contra est primo, quia Magnes non trahit ferrum in quacumque distantia positum, sed solum in aliqua determinata propter limitationē virtutis, ergo partes aëris remotiores à terra nō deberēt trahi, sicuti vicinæ, virtus enim naturalis, magis agit in vicinum, quàm in remotum. Secundò quia in tantum terra deberet aërem trahere, in quantū deberet euitare discontinuationē, sed etiam si non traheret non daretur discontinuitas, quia semper terra ambiretur aëre circumfuso, ergo nulla est ratio, cur

trahat

trahat aërem. Tertio contra est, quia nos etiam experiremur hanc tractionem à terra, & aues non possent moueri cum ea facilitate in partem oppositam tractioni, quod est contra experientiam.

ARTICVLVS VI.

De circulis cælestibus, & Intelligentijs mouentibus.

Astronomi solent in Cœlo designare aliquot circulos, quibus explicant motus ipsius Cœli, & Planetarum: præcipuus ex his circulis est Æquinoctialis, qui etiam æquator dicitur, quia existente Sole in hoc circulo, nox, & dies sunt æquales, in qualibet Mundi plaga, quod euenit bis in anno, nempe Mense Martio, quando fit æquinoctium Vernum, & Septembri quando fit æquinoctium Autumnale; describitur autem iste circulus à polis Mundi, & est circulus maximus, hoc est diuidens sphæram cælestem bifariam, polí autem sunt duo puncta immobilia in Cœlo (non loquor de motibus trepidationis) supra quæ intelligimus moueri Cælum stellatum, alter ex polis est nobis visibilis, & dicitur Arcticus, quia est prope vltimã stellam Vrsæ minoris, quæ Vrsa Græcis Arctos, dicitur; alter est Antarcticus nobis inuisibilis, sed apparens iis regionibus, quæ sunt infra nos. Hic circulus est regula, & mensura motus primi mobilis, & diei naturalis, viginti quatuor horarum, semper enim singulis horis eleuatur supra orizontẽ vigesima quarta sui parte, hoc est gradibus quindecim. Præterea diuidit Cælum in duas partes, & alteram denominat borealem, nempe, quæ spectat ad nostrum polum, & omnes stellæ quæ sunt in hac medietate dicuntur boreales: altera pars est Australis spectans ad polum Antarcticum, vnde stellæ existentes in hac medietate dicuntur Australes.

Secundus circulus etiam maximus est Zodiacus, licet enim Zodiacus proprie sit fascia lata gradibus duodecim, tamen in eius medio datur circulus, qui dicitur Eclyptica, qui ducitur à suis polis, distantibus à Polis Mundi gradus viginti tres cum dimidio, & diuidit æquinoctialem in duas partes: puncta autem in quibus diuidit, dicuntur puncta æquinoctiorum. Diuiditur Zodiacus in duodecim partes æquales, quæ dicuntur signa, seu domus Planetarum, habentque singula triginta gradus; Porro quilibet planeta habet

habet duo signa propria, quæ dicuntur domus ipsius, exceptis Sole, & Luna, quæ solum vnam habent, non quidem quod Planetæ non percurrant per omnia signa Zodiaci, sed quia in aliquibus signis maiorem communicant virtutem sublunaribus, eo quod illa signa magis congruant naturæ planetæ. Hinc domus Solis est Leo, quia est signum calidissimum, & in eo Sol maximè suas vires exercet. Domus Lunæ est Cancer, quia est signum humiditatem influens, sicuti Luna. Reliqui Planetæ duas habent domos, principalem, & minus principalem, Mercurius habet Virginem, & Gemi-nos, Venus Libtã, & Taurũ, Mars habet Scorpionẽ, & Arietẽ, Iuppiter Sagittariũ, & Pisces, Saturnus denique Capricornum, & Aquarium. At verò signa per diametrum opposita domui cuiuscumque Planetæ appellantur ipsius detrimenta, quia in illis minus exercent virtutem suam. Habet præterea quilibet planeta signum, in quo dicitur exaltari, & ita Aries est Solis exaltatio, signum autem illi oppositum, est casus, sic exaltatio Lunæ est Taurus, casus Scorpius; exaltatio Mercurij est Virgo, casus Pisces, exaltatio Veneris est Pisces, casus Virgo, exaltatio Martis est Capricornus, casus Cãcer, exaltatio Iouis est Cancer, casus Capricornus, exaltatio denique Saturni est Libra, casus Aries.

Hæc signa describuntur in Zodiaco incipiendo ab altero puncto æquinoctiorũ facto initio à signo Arietis, & progrediendo per partem Zodiaci Borealem.

Zodiacus est regula eclypsium, nam quoties Luna ponitur sub Sole in Eclyptica fit eclypsis Solaris, quoties verò eadem opponitur Soli in eadem Eclyptica fit eclypsis Lunæ, atque hinc est, quod licet Luna singulis mensibus opponatur Soli, quando videlicet est quintadecima, & singulis etiã mensibus ponatur supra terram, & infra Solem, quando videlicet est Luna noua, non tamen singulis mensibus fiant eclypses, neque Solares, neque Lunares, quia nempe tunc, nec opponitur Luna Soli, neque cum eo coniungitur sub eclyptica, et ita nõ habet omnimodam oppositionem respectu terræ, quia se habet aliquo modo ad latus, adeoque nec impedit lumẽ Solis respectu terræ, nec impeditur lumen Solis à terra, respectu ipsius, quia non se habent ex diametro.

Secundò Zodiacus est mensura diuersitatis temporum, et inæqualitatis dierum, ac noctium, cum enim Sol intelligatur vnico anno percurrere totum Zodiacum, et Zodiacus habeat obliquitatem, sequitur, quod Sol nunc magis attollatur, nunc minus, et in-

sphæra

sphæra obliqua, hoc est in regionibus, quæ nõ subiacent æquinoctiali, sequitur quod Sol nunc longiori tempore sit supra horizontẽ, nunc verò breuiori; quantò enim Sol magis accedit ad Polũ elevatũ, vt respectu nostri est Polus arcticus, tanto maiorẽ portionem circuli conficit supra horizõtem ex.g. sit polus Arcticus G, Antarcticus A, Equinoctialis sit B C, Zodiacus sit circulus E F, horizon sit



H I, hoc posito, sequitur quod quando Sol est in puncto F Zodiaci, quod punctum est maximè vicinum Polo arctico, sequitur quod Sol percurrat eo die per circulum minorem, nempe per F L P, ità vt quando Sol peragit portionem circuli L P M sit supra horizontem, quando peragit alteram portionem M F L sit infra horizontem, quia ergo hæ duæ portiones sunt inæquales, sequitur diuersitas diei, ac noctis, quod etenim æstate, Contra verò hyeme, quando Sol est in puncto E in Zodiaco, peragit eo die circulũ minorem E D, itaut quando peragit portionem maiorem O D T, sit infra horizontem, quando peragit portionem T E O sit supra horizontem, adeoque longiores sunt noctes, quam dies. At verò quando Sol est sub circulo æquinoctiali æqualis est dies, ac nox, quia videlicet horizon cum sit circulus maximus, bifariam secat æquinoctialem, qui est circulus maximus, semper enim duo circuli maximi in sphæra quomodocumque positi se bifariam secant, atq; hinc est, quod quando Sol à puncto æquinoctij Verni incedit per signa Borealia, nempe vsque ad punctum F, percurrendo videlicet

tria

tria signa Arietē, Taurū, Geminos semper dies crescunt, quando est in puncto F, nempe in solstitio æstiuo fit maximus dies, deinde, quia Sol percurrit signa sequentia vsq. ad libram, nempe Cancrū, Leonē, Virginē. minuūtur dies, quādo est in Libra fit iterū æquinoctium autumnale: deinde dùm percurrit alia tria signa vsq. ad Capricornū, in quo fit alterum solstitium, adhuc magis minuuntur dies, itaut minimus sit quando Sol est in puncto E. denique dū Sol percurrit vltima tria signa vsq. ad Arietē magis crescunt dies, atq. hæc est ratio inęqualitatis dierum, quæ sanè non euenit in sphæra recta, quia in ea regione horizon secat æquinoctialem, ad angulos rectos.

Hinc etiam oritur diuersitas temporum, quādo enim Sol existit in signo viciniori polo eleuato, facit reflexionem minus obliquam, quia magis accedit ad perpendicularem, contra verò quando sit distantior ab eodem Polo facit reflexionem magis obliquam, & quia reflexio, quo minus est obliqua, eo est potentior, vt patet, potentior est reflexio æstate, quam hyeme: huc accedit, quod æstate maiori tempore agit Sol in terram, quam hyeme, cùm dies breuiores sunt.

Dantur prętereà in sphæra alij duo circuli maximi, appellati Coluri, alter est Colurus æquinoctiorum, transiens per puncta æquinoctialia, & Polos Mundi; alter est Colurus Solstitiorum trāsiens per puncta solstitiaria, nempe per initia Cancri, & Capricorni, & per polos Mundi, adeoque hi duo circuli secant se se ad singulos rectos.

Præter hos circulos maximos dantur quatuor minores, paralleli æquinoctiali, alter ducitur per initium Cancri, et dicitur Tropicus Cancri, alter per initium Capricorni, & dicitur Tropicus Capricorni, totum autem spatiū inter vtrumque Tropicum est Zona torrida, quia intra tale spatium clauditur cursus Solis, adeoque regiones illi subiectæ, habent bis in anno Solem supra verticem. Alij duo circuli adhuc minores, & æquinoctiali paralleli sunt circulus Arcticus, & Antarcticus. Arcticus transit per polum Zodiaci vicinum Polo Arctico. Antarcticus transit per oppositum Polum Zodiaci. Porrò spatium inter circulum Arcticum, & Tropicum Cancri, & spatium inter circulum Antarcticum, et Tropicum Capricorni, sunt Zonæ temperatæ, quid quid autē iacet sub circulis Arctico, & Antarctico est Zona frigida. Atq. hi omnes dicti circuli dicuntur vniuersales, et inuariabiles,

quia respectu cuiuscumque regionis sunt ijdem.

Dantur præterea duo circuli maximi variabiles, nempe Meridianus, et Horizon, qui varij sunt pro diuersitate locorum. Circulus Meridianus transit per polos Mundi, et per punctum existens supra verticem regionis ad perpendiculum, quod appellatur Zenith ab Arabibus, et quia Zenith est punctum semper diuersum in qualibet regione diuersa, etiam circulus meridianus erit diuersus, nisi transeat per idem Zenith, quando autem transit per idem Zenith, regiones illæ licèt diuersæ eundem habent meridianum.

Hic circulus diuidit bifariam tempus diurnum, et tempus nocturnum, quando enim Sol peruenit ad hunc circulum, conficit medietatem sui cursus supra terram, eodem pacto conficit medietatem noctis, quando peruenit ad partem oppositam meridiani, quæ est infra regionem.

Indicat idem circulus summam altitudinem Solis et stellarum, quæ eo die, vel nocte haberi possit; tertiò dat initium diei naturalis, quæ apud Astronomos, & plurimas nationes, præsertim septentrionales incipit à meridie. Quartò mensurat longitudines, et latitudines regionum. Longitudo est distantia inter meridianum Insularum Fortunatarum, et Meridianum regionis, verbi gratia, Meridianus Romæ distat ferè à meridiano Insularum fortunatarum gradibus triginta sex, adeoque longitudo Romana erit ferè graduum triginta sex. Porrò regio, quæ habet maiorem longitudinem, quàm alia est respectu illius orientalior. Latitudo regionis est distantia inter Zenith, et lineam æquinoctialem, quare regiones, quæ sunt sub æquinoctiali, nullam habent latitudinem, vt est Insula S. Laurentij, Molucæ, Taprobana, et aliæ. Regiones verò, quæ distant ab Æquinoctiali, si sunt versus Austrum habent latitudinem Australem, si versus Boream, Borealem; Mensura ergo latitudinis est arcus meridiani, interceptus inter Æquinoctialem, et punctum Zenith supra verticem regionis, semper autem latitudo regionis est æqualis altitudini Poli, vt demonstratur in sphæra.

Alter deniq. circulus diuersus in diuersis regionibus est Horizon, cuius Poli sunt Zenith, & punctũ ex diametro illi oppositũ, nẽpe, quod Arabicè dicitur Nadir. Horizon ostendit nobis Ortum, et Occasum Solis, et stellarum, præterea dat initium ad horas numerandas aliquibus Nationibus, nam Babylonici numerant horas diei naturalis à puncto quo oritur Sol. Contra verò Athenienses olim, & nunc Itali incipiũt numerare diem à puncto Occasus, itaut nomi-

Digitized by Google

nomine vnius horæ intelligant spatium quindecim graduum incipiendo à puncto occasus, quod spatium Sol peragat cursu primi Mobilis; Ostendit etiam Horizon diuersitatem ortiuam, et occiduam Solis, et Planetarum, semper enim Sol, et Planetæ variant punctum in quo oriuntur, et in quo occidunt, et solùm bis in anno Sol oritur præcisè à puncto Orientis, sed per æstatem oritur in puncto magis vicino ad Boream, per hyemem magis vicino ad Austrum, quæ omnia apparent in sphæra Materiali.

Restat quærere, quomodo Cœli moueantur. Ad quod dico primò Cœlos moueri motu naturali, quia inclinant per potentiam passiuam ad talem motum, est communis sententia Aristotelis hic. lib. 2. cap. 2. S. Thomę tertio contra gentes c. 33. Bonau. Aegidij, et aliorum, quos referunt, & sequuntur Conimbr. licèt oppositum teneant Auicenna, Scotus Durandus, & alij pauci, dicentes Cœlos nec esse naturaleu motum, nec violentum. Probatur, quia motus Cœli est bonus respectu Vniuersi propter productiones rerum inferiorum, vicissitudines temporum, et successiuam temperationem frigoris, et caloris, ergo Cœlum inclinat ad ipsum, aliter enim non instituisset prudenter natura Cœlum, quod non inclinaret ad bonũ vniuersale, quare licèt Cœlum non inclinet ad motum propter suũ bonum immediatè, neque vt acquirat locum sibi magis proportionatum, tamen est bonum Cœlo ipsa gubernatio recta Vniuersi, vt enim loco citato dicit S. Thomas. Creaturæ, quò perfectiores sunt, debent natura sua magis imitari Diuinas perfectiones, cum ergo esse causam vniuersalem sit perfectio Diuina, Cœlum etiam debet habere hanc perfectionem natura sua, ergo debet inclinare ad motum qui est medium necessarium, vt Cœlum sit causa vniuersalis.

Dico secundò Cœlos actiuè moueri ab Intelligentijs, est sententia communis, non solùm Aristotelis, sed etiam Scholasticorũ. S. Thom. quæst. 6. de potentia artic. 3. dicit esse fidei sententiam, et opusc. 10. artic. 10. cœlestia, inquit, corpora à Spirituali creatura moueri, à nemine Sanctorum, aut Philosophorum negatum legisse me memini, et S. Bonauent. in 2. dist. 19. artic. 3. q. 2. dicit, hanc sententiam esse tum rationi, tum fidei consentaneam, et paucos quosdam in contrarium citant.

Probatur autem præter auctoritatem optima ratione, quia motus circularis est indifferens natura sua, vt fiat hoc, vel illo modo, in hanc potius, quam illam partem, ergo non esset maior ratio, cur

potius natura dediſſet potentiam actiuam ad hunc motum circularem, quàm ad alium, vbi enim effectus eſt æquè bonus, hic, vel alius. Natura nō magis determinatur ad hunc, quàm ad alium, ſed determinatio debet prouenire à potentia cognoſcitiua, et libera, vel ſaltem appetitiua, ita quia motus progreſſiuus eſt æquè bonus, ſiuè ſit ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram debet dari potentia cognoſcitiua, et appetitiua in animali ad hoc, vt determinet ſuam potentiam indifferentem ad hunc potius motum, quàm ad alium, ergo multò magis in Cælo debuit dari intelligentia, quæ determinaret tale m motum circularem, quod autem motus circularis Cæli fuiſſet æquè bonus, ſiue procederet ab Oriente in Occidentem, ſiue ab Oc cidente, in Orientem patet, quia fuiſſet prorſus eadem temporu m, et productionum diuerſitas.

Dices in cęteris operibus naturalibus non vtitur natura Angelis, ergo neq. ad mouendos Cælos.

Reſpondeo negando conſequentiā. Ratio eſt, quia cætera opera naturalia ex ſe habent determinationem, vt patet; at verò Cælum non habet determinationem ad hunc potius, quàm ad alium motum, ergo congruū fuit, vt tribuerētur varijs Cælis, variç Intelligētias, vt ipſorum gubernatrices, et ſicuti ſingulis hominibus, Prouincijs, et Regnis Deus ſua ſpeciali prouidentia cuſtodes Angelos deſtinauit, ſic etiam ſingulis ſphæris dedit Intelligentias Motrices. Ariſtoteles cenſuit primum mobile moueri immediatè à Deo, Cælos ab Intelligentijs, quas formas appellauit, hoc eſt formas aſſiſtētes, non informantes, ſed probabilius eſt etiam primum mobile moueri ab Intelligētia, quia Deus, vt Auctor naturę debet quantū poteſt agere per creaturas, et ſolùm ſupplet defectū cauſarū creatarum, quando ij ſe per accidens deſunt; at verò per ſe nunquàm facit, vt deſit aliqua cauſa naturalis requiſita ad effectum naturalem, qualis eſt motus Cęli.

Dices cur nō dicimus, quod Deus ſemel dederit impulſum ſingulis Cælis, qui iam eo impulſu determinati natura ſua voluantur eodem motu.

Reſpondeo hoc dici non poſſe, quia ille impulſus datus Cælis à Deo, vel nunc durat, vel non, ſi non durat, ergo nunc Cæli remanēt indeterminati, ſicuti prius, ſi durant, ergo indigent cauſa conſeruante illum impulſum, ſemper enim impulſus, vt dicemus tandem aliquando deperditur. Præterea quotieſcumq. aliquid mouetur acquirit aliquam virtutem, per quam celerius moueatur, hinc eſt, quod motus eſt in fine velocior, vt ſuo loco dicemus, quia ſemper acqui-

acquirit nouam virtutem ad motum celeriorem, quare etiam in Cælo semper deberet augeri motus in infinitũ, et ita Cæli nõ moueretur æquali semper motu, quod est falsum, ergo debuit apponi Intelligentia, quæ regularet motum, vt semper esset æqualis velocitatis. Atque hæc sufficiant de Cælo; reliqua magis spectant ad Astronomos; apud quos videri possunt.

ARTICVLVS VII.

De prima Cælorum productione.

CElebberrima quæstio est, quando, et quomodo Cæli in prima Mundi fabrica à Deo facti fuerint. Posito enim quod in prima Mundi creatione tota materia totius mundi, prout omnia corpora complectitur, à Deo creata fuerit. Prima difficultas est an, Deus in ipso principio produxerit formas substantiales Cælorum omnium, qui de facto sunt, an solam formam substantialem Cæli empyrei. Certum enim est tunc creasse Cælum, et terram. Praterea an tunc nomine Cæli veniant reliqua elementa, vsque ad superficiem terræ, nempe ignis, aër, et aqua, an hęc elementa veniant nomine terræ, et solùm empyreum tunc veniat nomine Cęli. Secunda difficultas est quidnã Deus creauit secũda die, cũ fecit firmamentum in medio aquarum, diuidens aquas, ab aquis, nempe aquas super ipsum firmamentum, ab aquis sub ipso. Tertia difficultas quidnam fecerit quarta die cum fecit Solẽ, Lunam, et Stellas, & posuit ea in Firmamento.

Ad primam difficultatem dicendum videtur in prima creatione non fuisse productas formas substantiales Cælorum, in quibus sũt stellæ, siue fixæ, siue errantes, sed solùm Cælum empyreum. Hæc sententia est contra P. Suarez lib. 1 de opere sex dierum c. 3 n. 5. & sequentibus, vbi aliquos pro se citat. defenditur tamen à P. Molina de opere sex dierum disput. 3. vbi plurimos citat, & à P. Ricciol. tom. 2. sui Almag. lib. 9. sect. 1. qui multò plures. & PP. & Scholasticos citat pro hac sententia. Probatur satis clarè ex ipsa scriptura, quæ productionem Cæli stellati. & Planetarum ponit esse factam secũda die sic enim habet c. 1. Genes. Dixit quoque Deus fiat firmamẽtum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitq. aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ

quæ erant super firmamentum, & factum est ita, vocauitq; Deus firmamentum, Cælum

Respõdet Suarius, & sectatores oppositæ sententiæ nomine firmamenti hic intelligi aërem, qui diuisit aquas pluuiales, ab aquis inferioribus, quod autem aërem appellauerit Cælum probatur ab ipsa Scriptura, quæ dicit, volucres Cæli, nempe aëris. Sed hæc responsio repugnat tùm Scripturæ, tùm rationi, ergo aër non potuit appellari firmamentum. Nam præterquamquod in rigore vocis Hebraicę significat extensionem, quasi malleo ductam, vt patet ex alijs Scripturæ locis, vbi hoc verbum adhibetur; etiam in septuaginta est vox στερεωμα, quod rem solidam significat, et quis vmquam dixerit aërem στερεωμα quin à peritis linguæ itrideretur? sicuti quis vnquam ipsum aërem inter nubes, & terram appellaret firmamentum: nam vel est firmamẽtum sua natura, vel ex Diuino decreto extrinseco, non secundum quia Deus non constituit hanc rerum vniuersitatem per operationes miraculosas, sed facit omnia natura sua, præstantia id, quod de facto præstant; non primum, nam nubes, et aquæ pluuiales in aëre non sustinentur ab ipso aëre, sed sua natura sunt leuiores ob vim calefactiuam Solis, à qua superius attrahuntur, vel impelluntur à ventis; nullo autem pacto diuiduntur ab ipso aëre ab aquis inferioribus, facere enim aliquod firmum, vt diuisiuum vnius ab alio, non significat, quod illæ res diuidantur per virtutem Solis ab inuicem, sed quod ipsum diuidens sit causa diuisionis, quod nullo pacto verificatur de aëre: at firmamentum suamet firmitate debebat esse aliquid diuidens, non autem debebat esse diuidens per accidens, quia nempe fiebat vi Solis aliquid leuius ipso aëre; adeoque sua natura ascendens super aërem. Secundò impugnatur, quia iam per aduersarios aër erat expansus super aquas, quippe eas circumcingens, ergo in rigore non facta est expansio noua in ipso aëre, sed sòlum facta est noua leuitas accidẽtalis in aliquibus aquæ partibus, per quam leuitatem ascenderunt aquæ supra aërem; at Scriptura dicit factum à Deo firmamentum, et vt volunt ipsi Aduersarij expansionem, quod certè non verificatur, cum de noue nulla expãsio in aëre facta sit. Tertiò istæ aquæ positæ super aërem, vel habuerunt leuitatem de nouo, et hanc ab ipso Deo, quia non dùm erat factus Sol, ergo per miraculum; aqua enim exigit grauitatem, & tunc nulla dabatur causa naturalis alterans istas aquas; vel illę aquæ cum sua grauitate ibi manebant, et fuisset hoc etiam miraculum,

lum, quia illis naturaliter debebatur descensus infra aërem.

Hęc eadem sententia fortius impugnatur quartò, ex contextu Scripturę; nam loquens de quarta die dicit. Dixit autem Deus fiãt luminaria in firmamento Cęli, & diuidant diem, ac noctem &c, & subdit Scriptura, et fecit Deus duo luminaria, nempe Solem, Lunã & Stellas, et posuit eas Deus in firmamento Cæli, vt lucerent super terram. Si ergo Deus voluit, vt fierent in firmamento Cęli luminaria, et postea subdit, ea posita fuisse in firmamento Cæli, quomodo potest cuiq. venire in mentem, firmamentum Cæli, esse aërem, cum certum sit nullam stellam fuisse in aëre.

Resp. Suar. de opere 6. dier. lib. 2. c. 9. n. 11. cũ aliis nomine firmamẽti Cæli, hic venire Cęlos stellarũ, et Planetarũ. quod ex Hebræo cõfirmatur, quia idem valet in firmamento Cęli, ac in expansione Cęlorum. Sed hęc explicatio vim infert Historię Mosaicæ verbis. Cum enim Moyses paulò superius dixisset à Deo factũ esse firmamentum, et esse appellatum ab ipso Deo Cęlum, et postea subdat stellas fuisse factas, et positas in firmamento Cęli, quis non putaret esse factas in eo corpore, quod fuerat appellatum firmamenũ ab eodem historico paulò superius? cũ ergo ibi nomine firmamenti veniat aër, quomodo nũc intelligitur Cælum? nec phrasis hebraica quidquam iuuat, sed potius cõtradicit, nam idem valet in firmamento Cæli, ac in firmamento cęlesti, vt patet, peritis in linguis historiarũ libus. Certè nec in prophano historico toleraremus tãtam diceodi perturbationem, & æquiuocationem, quæ planè induceret legẽtes in errorem, si eamdem vocem poneret pro vna re, & statim eamdẽ acciperet in diuersissima significatione sinè vlla necessitate. Equidẽ quæcumque captu difficillima assererem potius, quam propriam, & consequentem antecedentibus narrationem sacri historici ad meam sententiam per vim traherem.

Impugnatur 5. nã cũ Deus imposuerit nomẽ propriũ aëri per aduersarios nempe appellando ipsum firmamentũ Cælum, vocauitq. Deus firmamentum Cælum, certè alio nomine deberet simpliciter vocari aër quam Cælum, nempe nomine, quod ipsi Deus indidit, sicuti aquarum congregatio proprio nomine appellatur maria, quia sic Deus illam appellauit, & tamen aër simpliciter non habet hoc nomen Cælum, solùm, enim reperitur, volucres, & volatilia Cæli, nempe cum additur aliud vocabulum ratione cuius restringitur significatio Cæli ad ipsum aërem, vnusquisque enim scit optimè volucres esse in aëre, & non in Cælo. De Cætero, si quis simplici-

pliciter dicat Cælum non intelligimus ipsum aërem, sed vel Cælū empyreum, vel stellatum, vel Planetarum; similiter cum dicitur cataractæ Cæli apertæ sunt, iam restringitur sensus ad aërem; sic etiam dicimus, aues Cælo aperto frui, & Poeta dixit *Propetibus pennis ausus se credere Cælo*, et in similibus loquutionibus; at nūquem vtimur voce Cæli sine addito prolata, pro ipso aere, quasi esset proprium ipsius nomen. Confirmatur quia si aer fuit firmamentum, posset simpliciter appellari firmamentum; nullibi autem reperimus, nec à Scriptura, nec à Patribus, nec à Scriptoribus vsitatum hoc nomen simpliciter pro aere, nec dicuntur volucres firmamenti &c. ergo signum est, quod nomine firmamenti, cui impositum est nomen Cæli, non venire aërem, sed Cælum simpliciter dictum.

Impugnatur sextò nam scriptura passim memorat aquas super Cælos præsertim psal. 103. & 148. vbi Augustinus, et Interpretes communiter intelligunt de aquis supra Cælum siderum existentibus; tot autem, et tàm graues sunt Patres, qui has aquas putent esse super Cælos sidereos, vt Martinengus in gloss. Magn. pag. 566. dicat sententiam intelligentem pro firmamento aërem, et aquas supra firmamentum, aquas pluuiales nullis inniti fundamentis, et pag. 585. censet eam erroneam, et paulò post, non satis putam, quibus notis, licèt non putem dignam talem sententiam, cum et laudetur à S. Augustino in Gen. lib. 2. c. 4. et suos habeat sectatores, etiam magni nominis, ac doctrinæ, tamen ex hoc probo communissimam esse SS. PP. opinionem, quod firmamentum diuidens aquas ab aquis sit cælum, vbi sunt stellę fixæ, nō autem aër, videatur Ricciolus loc. supra cit.

Ex his patet quid veniat nomine Cæli, & terræ in prima creatione; nomine enim Cæli venit Empyreum, nomine terræ ipsa terra; aqua intermedia inter Cælum, et terram potest æquè bene comprehendi sub nomine Cæli latissimè accepti, et etiam sub nomine terræ, cum ferè nulla sit maior ratio, cur sub hac, quàm sub illa voce comprehendatur. Imo S. Augustinus in Psal. 148. asserit ipsū aerē partim accipi sub nnmine terræ. nempe vbi sunt nubes, nitrua &c. partim sub nomine Cæli loquendo de aëre magis puro, quare non potest, quoad hoc esse controuersia nisi de voce.

Ad secundam difficultatem suprapositam respondeo ex dictis secūda die productum fuisse ex materia aquarū cōdensata, et solidata Cælum syderum, nempe Cælum stellatum, quod est primum mobile,

mobile, & Cœlos planetarum, corrupta in illa materia, forma aquę & producta forma nobiliore Cęli cum accidentibus illi debitis. In ipso ergo principio creauit Cœlum Empyreũ, terras, & aquas, quę occupabant totum ſpatium inter empyreum, & terram. Secundo verò die in hac aquarum mole produxit ex media ipſius parte Cęlos ſydereos, quos appellauit firmamẽtum, & ſic diuiſit aquas ab aquis Probatur ex ipſa narratione hiſtorica Moyſis, niſi per vim trahatur ad alios ſenſus, vt vidimus, ſolùm enim primò meminit Cœli, terræ, & aquarum, illis verbis, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Nec placet interpretatio horum verborum, quam afferunt, & ſequuntur Ricciol. 9. ſect. 1. num. 13. & Suarius citatus l. 1. ſect. 7. quod videlicet nomine Spiritus intelligatur ipſe aër; nam in primis, licèt nomine Spiritus, poſſit intelligi ipſe ventus, vt patet ex voce hebraica, non tamen ipſe aër; ventus enim eſt aliqua vis, quæcumque illa ſit, quæ mouet, & impellit aërem, ſic Iſai. 40. aruit flos, quia Spiritus Domini ſufflauit in eo (quamuis ibi de virtute Spiritus ſancti loquatur) et cap. 59. quaſi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit, & Pſal. 147. flabit Spiritus eius, & fluent aquæ; in quibus & alijs ſimilibus loquutionibus, sẽper nomine Spiritus venit non elementũ aëris ſimpliciter, ſed quædam vis, & impetus, quam appellamus ventum immiſſum à Deo, qui profert vẽtos de theſauris ſuis; Communior autem, & congruentior expoſitio eſt, quam Hieronymus. Auguſtinus, Ambroſius; Tertull. Origen. & alij approbant, ſub illis vocibus innui Spiritum ſanctum, & virtutem diuinam, quamuis enim Hebræis non eſſet ſatis nota diſtinctio perſonarum, ne in errorem plurium Deorum inciderent, tamen ſæpius illis hoc nomen Spiritus Dei dictum eſt, ſed non ſub diſtinctione perſonali. Cõfirmatur ex ipſo verbo hębraico, nã verbũ ferebatur propriè eſt incubabat, ſicuti gallina incubat ouis, vt pullos cõficiat, q uo verbo declaratur Spiritũ Dei, quaſi aquas prępararet, et illis incubare, vt ex ipſis reliquã mundi fabricã perficeret, et talis eſt Eccleſiæ ſenſus, dum in benedictione fontium profert eas voces. Tũ ſuper aquas foturus eas, ferebaris; et rurſus, cuius Spiritus ſuper aquas inter ipſa mundi primordia ferebatur, vt iam tum virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet. Deinde videretur hiſtorica narratio valde æquiuoca, et pènè ex induſtria concinnata ad decipiendos legentes, ſi relinquendo voces proprias aëris, quaſdam loquutiones improprias, et in communi

modo loquendi non vsitatas adhiberet, appellando aërem spiritum Domini, vel Dei.

Secundò displicet hæc interpretatio adhuc magis in P. Ricciol. quia nobiscum sentiens, quod fecerit Cœlos sydereos, ex ipsa media aquarum materia, asserit fuisse aërem ab initio Mundi creatum super aquas; quo pacto enim sine maximo miraculo hunc aërem super aquas productum Deus transtulit infra firmamentum &c. oportuit enim, vt vel per penetrationem cum aquis, quæ erant supra firmamentum, & cum ipso firmamento illum fecerit descendere, vel per aliquem magnum canalem transire per illas aquas superiores, & ipsum Cœlum, vtrumque autem est valde miraculosum, & contra bonam Architecti dispositionem, qui præuidere debet opus faciendum, & non aliquid collocare in vno loco, vnde per miraculum debeat postea ex eo abducere in alium locum, quod inconueniens euitat P. Suarius magis consequenter ponens firmamentum esse ipsum aërem.

Historicam ergo narrationem, vt verba sonant, secuti, dicimus factum esse firmamentum ex aquarũ materia diuidens ipsas aquas, in quo quarta die sydera erant producenda, vt dicemus, & ita remanent aquæ supra Cœlum stellarum, & infra Empyreum, & hæ sunt aquæ, quæ sunt super Cœlos, à scriptura sæpius nominatæ, ex aquis autem remanentibus infra Cœlum Lunæ, factus est aër, & ex aëre ignis, & reliquum aquarum, congregatum est in locum vnum, & factum est mare, & apparuit terra, sic enim paulatim tota mundi fabrica per partes disposita, & perfecta est.

Dices ad quem vsum posuit Deus illas aquas super Cœlos sydereos? Multas rationes assignant Patres, & Interpretes, quas affert P. Ricciol. locis citatis, sed quamuis nulla nobis ratio suppeteret, sufficit, quod Deus dixerit posuisse ibi has aquas, inueniga re enim finem Dei in re, de qua nullam habeamus experientiam, nisi quia ipse dixit, non est nostri conatus, & quis consiliarius eius fuit? quidnam nos scimus, quid facturus sit Deus de illis aquis pro oblectatione Beatorum, si nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se?

Ad tertiam difficultatem de effectione Solis, Lunæ, & stellarum die quarta creationis Mundi, respondet P. Suarius lib. 2. de opere sex dierum c. 9. Solem, Lunam, & stellas fuisse creata prima die cum

cum dictum est. In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, & solum quarta die fuisse illis datas intelligentias, quæ mouerent Cœlos motibus proprijs; Verùm hæc responsio displicet, quia vim infert historiæ sacræ, hæc sunt ipsius verba. Dixit verò Deus, fiant Luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, et annos, vt luceant in firmamento Cœli, et illuminent terram, et factum est ita, Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, et luminare minus, vt præesset nocti, et stellas, et posuit Deus eas in firmamento Cœli, vt lucerent super terram &c. In qua narratione, tam in illis verbis, fiant luminaria magna, expresè ponitur ipsa effectio stellarum, & non tantùm motus, quis enim dicat, cum solùm ponit motum in aliquo, quod fecit illud, in quo aduertendũ est, quod non dixit Deus, fiat, vt luminaria, diuidant diem, et noctem, neque dixit, fecit Deus vt luminaria, et stellæ lucerent super terram, quæ locutiones optimè significarent solum motum; sed dixit Deus, fiant luminaria, et fecit luminaria, et stellas, vbi verbũ *fecit* significat veram effectionem, et non fecit lucere, vel quid simile, in quibus loquutionibus nõ vtũtur Hebræi eo verbo fecit, sed potius faciunt transitiuum ipsum verbum lucere, vt patet peritis linguæ hæbraicæ, quare esset maxima violentia illata verbis scripturæ, si vbi dicitur, quod Deus fecit duo luminaria, et stellas, et dedit causam cur fecerit, nempe, vt lucerent, et diuiderent tempora, solùm diceretur, quod Deus ea non fecit, sed solum dedit illis motum, vt lucerent &c.

Multò minus placent, qui dicunt nihil factum esse hac quarta die, sed per recapitulationem dicta esse, quæ prius facta fuerant, sic enim esset otiosa hæc dies, nec quicquam fecisset Deus, contra sensum historiæ, quæ narrat aliquid factum esse quarta die, et Deum non quieuisse, nisi die septima ab vniuerso opere, quod patrarat, iam enim prius quieuisset quarta die, si nihil fecisset.

Neque placent, qui dicunt Deum dedisse lumen, vel totum, vel secundum aliquem excessum Soli, Lunæ, & stellis prius factis, tum quia non debuisset dicere, fecit luminaria, sed fecit, vt lucerent, iam enim ea erant facta: tum principalius, quia vel talis lux erat debita illis corporibus, vel non? Si primũ non debebat Deus violenter illam negare corporibus illis, iam productis, substantialiter; nullam enim fecit violentiam, nec miraculum Deus in hac

Digitized by Google

rerum productione, vt communiter omnes sentiunt; si non erat debita, Deus faceret perpetuum miraculum, vt ea corpora producant lucem, ad quam non habeant inclinationem actiuam naturalem, adeoque lux Solis esset quid miraculosum, non habens causam naturalem, nempè Solē; sed solus Deus illam produceret, quod fuisset imprudentissimè factum, debebat enim Deus producere Solem talis naturæ, cui deberetur talis lux naturaliter, vt fungeretur munere suo iuxta suam naturam.

Dicendum ergo videtur cum P. Molina loco citato, & alijs, quarta die ex ipsa Cœlorum materia, quæ prius fuerat aqua, & intra ipsos Cœlos, productas fuisse nouas formas substantiales Solis, Lunæ, & stellarum, & tunc assignatas fuisse intelligentias singulis Cœlis ad proprios motus peragendos, quamuis enim motus primi mobilis, hoc est viginti quatuor horarum factus fuerit ab initio, cum dicat scriptura factum est vespere, & mane dies vnus; non tamen erant varij motus Cœlorum, sicuti sunt, quòd autem aliquis motus corporis terram ambientis, siue proximè, siue remotè factus fuerit ante hanc quartam diem, videtur omnino necessarium, nam Deus produxit lucem, quæ cum sit accidens fuit in aliquo subiecto, debuit ergo hoc subiectum circulariter moueri, vt hæc lux conficeret diem, ac noctem per præsentiam, & absentiam supra idem terræ hemisphærium, facto autem Sole, ac stellis, fecit, vt eadem lux, quæ prius à solo Deo efficienter pendebat, penderet efficienter ab ipsis luminaribus, & sic neque ipsam lucem destruxit.

Dices cum Suario Cœli erant incorruptibiles, ergo non poterat Deus in ipsorum materia creare nouas formas, sed ad hoc respondetur est, cum probauimus Cœlos esse ex materia eiusdem speciei cum sublunari, & quamuis forma Cœli habeat vnionem indissolubilem ab agentibus naturalibus, non erat tamen indissolubilis respectu Creatoris naturæ, qui paulatim res perficiebat, fuit ergo connaturale, vt Deus destrueret illam formam Cœli in ea materia, in qua posuit formam Solis, Lunæ, ac stellarum, vt poneret formam perfectiorem, sicuti se solo destruxit formam aquæ, & posuit formam Cœli, & postea ex ipsa aqua fecit pisces &c. Non est contra rationem naturæ in sua prima constitutione, vt ipse Deus immediatè producat aliquas formas substantiales, quas postea se solo non posset producere, vt auctor naturæ, vnde sequitur, vt potuerit, imo debuerit producere aliquas formas substantiales,

tiales, quæ à nullo agente, nisi à se possent produci, & consequenter quod corruperit aliquas formas à nullo alio agente corruptibiles. Quod autem forma Solis, ac reliquorum syderum sint diuersæ speciei à forma Cœli, videtur satis patere ex diuersitate accidentium, quæ illis debentur, & vt diuersos influxus influant in inferiora.

LAVS DEO.



IN-

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX QVAESTIONVM ARTICVLORVM.

In Primum librum Aristotelis de Physico auditu.

QVÆSTIO I.

De principijs rerum naturalium in communi. pag. 2.

Artic. 1. *De primo cognito.* pag. 4.
Artic. 2. *Explicatur definitio Principij in communi.* 9
Artic. 3. *Assignantur prima principia rerum naturalium.* 12
Artic. 4. *Explicatur definitio Principiorum rerum naturalium.* 24
Artic. 5. *Quomodo participent Principia rationem communem principiandi.* 35

QVÆSTIO II.

De Materia. pag. 40.

Artic. 1. *Traditur, & explicatur definitio materiæ.* 41
Artic 2. *An materia sit substantia completa.* 43
Artic. 3. *An materia habeat propriam existentiam.* 47
Artic. 4. *An potentia ad formas substantiales, sit de essentia materiæ.* 58
Artic. 5. *Quomodo materia respiciat formas substantiales.* 67

An

Artic.6. *An potentia ad formas accidentales sit illi de essentia.* 82
Artic.7. *Quomodo materia respiciat formas supernaturaliter producibiles?* 90

QVAESTIO III.

De forma substantiali, & priuatione: pag.95.

Artic.1. *Quid sint, & an dentur formæ substantiales.* 95
Artic.2. *An formæ educantur à materia, an vero creentur.* 107
Artic.3. *Expediuntur aliquæ de Priuatione.* 110

In librum secundum Physicorum Aristotelis.

QVAESTIO IV.

De natura. 115.

Artic.1. *Explicatur naturæ definitio.* 115
Artic.2. *Quomodo natura sit principium motus, an reperiatur in omni corpore, & an dari possit corpus essentialiter immobile.* 123
Artic.3. *Quomodo materia, & forma sint natura.* 146
Artic.4. *An possit demonstrari Natura.* 143
Artic.5. *Quid sit ars, & artificiale.* 147

QVAESTIO V.

De Causis in communi. 151.

Artic.1. *Assignantur variæ definitiones causæ.* 151
Artic.2. *Quid sit esse prius natura iuxta varias sententias.* 157
Artic.3. *Explicatur, in quo consistat priorizas naturæ.* 166
Artic.4. *In quo differat causa, à conditione.* 181
Artic.5. *An causa dicat relationem transcendentalem ad effectū.* 190

Digitized by Google

Artic 6. *An eadem causa possit causare contraria.* 195
Artic. 7. *Causarum diuisio.* 197

QVÆSTIO VI.

De causa efficienti. pag. 200.

Artic. 1. *Quid sit causa efficiens.*
Artic. 2. *An actio sit distincta à termino.* 200
Artic. 3. *De termino actionis, vbi an ipsa actio sit termini existentia.* 209
Artic. 4. *De Idea.* 220
227

QVÆSTIO VII.

De causa materiali. pag. 233

Artic. 1. *Quæ sit causa materialis, eiusque effectus, vbi an totum distinguatur à partibus.* 223
Artic. 2. *Quid sit vnio, & an realiter distinguatur à partibus.* 241
Artic. 3. *An vnio sit simplex, & distincta à causalitate, & à duratione.* 249
Artic. 4. *Quid sit subiectum, quid terminus.* 259
Artic. 5. *Quæ sit causalitas materiæ respectu formæ, & vnionis.* 266

QVÆSTIO VIII.

De causa formali, & finali. pag. 276.

Artic. 1. *Quid sit causa formalis, & eius effectus; vbi an materia possit existere spoliata omni forma.* 276
Artic. 2. *Melius examinantur causa, cur debeat materia existere, si spolietur omni forma substantiali.* 281
Artic. 3. *Quid, & quotuplex sit causa finalis.* 295
Artic. 4. *Quæ sit ratio causæ finalis, in actu primo.* 298

Digitized by Google

Artic.6. *An potentia ad formas accidentales sit illi de essentia.* 82
Artic.7. *Quomodo materia respiciat formas supernaturaliter producibiles?* 90

QVAESTIO III.

De forma substantiali, & priuatione: pag.95.

Artic.1. *Quid sint, & an dentur formæ substantiales.* 95
Artic.2. *An formæ educantur à materia, an vero creentur.* 107
Artic.3. *Expediuntur aliqua de Priuatione.* 110

In librum secundum Physicorum Aristotelis.

QVAESTIO IV.

De natura. 115.

Artic.1. *Explicatur naturæ definitio.* 115
Artic.2. *Quomodo natura sit principium motus, an reperiatur in omni corpore, & an dari possit corpus essentialiter immobile.* 123
Artic.3. *Quomodo materia, & forma sint natura.* 146
Artic.4. *An possit demonstrari Natura.* 142
Artic.5. *Quid sit ars, & artificiale.* 147

QVAESTIO V.

De Causis in communi. 151.

Artic.1. *Assignantur variæ definitiones causæ.* 151
Artic.2. *Quid sit esse prius natura iuxta varias sententias.* 157
Artic.3. *Explicatur, in quo consistat prioritas naturæ.* 166
Artic.4. *In quo differat causa, à conditione.* 181
Artic.5. *An causa dicat relationem transcendentalem ad effectū.* 190

An

Digitized by Google

Artic 6. *An eadem causa possit causare contraria.* 195
Artic. 7. *Causarum diuisio.* 197

QVÆSTIO VI.

De causa efficienti. pag. 200.

Artic. 1. *Quid sit causa efficiens.*
Artic. 2. *An actio sit distincta à termino.* 209
Artic. 3. *De termino actionis, vbi an ipsa actio sit termini existentia.* 209
Artic. 4. *De Idea.* 220
227

QVÆSTIO VII.

De causa materiali. pag. 233

Artic. 1. *Quæ sit causa materialis, eiusque effectus, vbi an totum distinguatur à partibus.* 223
Artic. 2. *Quid sit vnio, & an realiter distinguatur à partibus.* 241
Artic. 3. *An vnio sit simplex, & distincta à causalitate, & à duratione.* 249
Artic. 4. *Quid sit subiectum, quid terminus.* 259
Artic. 5. *Quæ sit causalitas materiæ respectu formæ, & vnionis.* 266

QVÆSTIO VIII.

De causa formali, & finali. pag. 276.

Artic. 1. *Quid sit causa formalis, & eius effectus; vbi an materia possit existere spoliata omni forma.* 276
Artic. 2. *Melius examinantur causa, cur debeat materia existere, si spolietur omni forma substantiali.* 281
Artic. 3. *Quid, & quotuplex sit causa finalis.* 295
Artic. 4. *Quæ sit ratio causæ finalis, in actu primo.* 298

Digitized by Google

Artic. 5. *Quinam sit effectus, & causalitas finis, & quo amore amentur fines.* 307
Artic. 5. *Quanam agant propter finem, & de Fortuna, & casu.* 317

QVÆSTIO IX.

De mutua causalitate. pag. 321.

Artic. 1. *An detur mutua causalitas.* 321
Artic. 2. *Soluuntur argumenta pro mutua causalitate.* 326
Artic. 3. *Quid sit dicendum de causa meritoria.* 336
Artic. 4. *Respondetur argumento, ex meritis Christi Domini, & precibus futuris fidelium.* 343

In Tertium, & Quintum Librum Physicorum Aristotelis.

QVÆSTIO X.

De essentia motus. pag. 352.

Artic. 1. *Explicatur definitio motus,* 352
Artic. 2. *An, & quomodo distinguantur inter se Actio, Motus, & Passio.* 360
Artic. 3. *Per quid motus specificentur, & numero distinguantur.* 363

QVÆSTIO IX.

De Infinito.

Artic. 1. *Præponuntur aliqua de Infinito.* 366
Artic. 2. *Expenduntur argumenta pro Infinito categorematico.* 374
Artic. 3. *Respondetur directè ab Aduersarijs difficultati iam factæ contra Infinitum, sed eorum responsiones impugnantur.* 390

Statui-

Digitized by Google

Artic. 4. *Statuitur sententia negans infinitum, & reliqua de ipso expediuntur.* 400

In Quartum librum Physicorum Aristotelis.

QVÆSTIO XII.

De Loco. pag. 421.

Artic. 1. *Quid sit locus.*
Artic. 2. *An detur Vbicatio distincta à corpore locãte, & locato.* 421
Artic. 3. *Quid sit spatium imaginarium, & an Deus in eo existat.* 424
Artic. 4. *Quænam res habeant proprias vbicationes.* 432
Artic. 5. *An vbicationes, & corpora possint replicari, et quomodo.* 442 447

QVÆSTIO XIII.

De Vacuo', pag. 465.

Artic. 1. *Quid sit Vacuum.*
Artic. 2. *A quo moueantur corpora ad vacuum euitandum, & de motu in vacuo.* 465 470

QVÆSTIO XIV.

De Tempore. pag. 480.

Artic. 1. *Quid sit duratio, et an distinguatur à re durante.* 480
Artic. 2. *Quarum rerum dentur negationes, quomodo durent, et an sint actu infinitæ.* 489
Artic. 3. *Qualis nam modus sit duratio.* 505
Artic. 4. *Quid sit tempus, et an creatura posiit esse ab æterno.* 517

Digitized by Google

INDEX QVAEST. ET ARTICVLORVM.

In sextum Librum Physicorum Aristotelis.

QVÆSTIO XV.

De essentia Quantitatis, & Continui. pag. 521.

Artic. 1. *Explicatur definitio quantitatis, et quid ipsa sit.* 521
Artic. 2. *An Continuū consistet partibus solùm potentia distinctis.* 529
Artic. 3. *An Continuum tam permanens, quàm successiuum consistet puris indiuisibilibus.* 537
Art. 4. *An Continuum consistet indiuisibilibus, diuisibiliter locatis.* 548
Artic. 5. *Proponitur, et defenditur sententia ponens partes actu distinctas in Continuo.* 563
Artic. 6. *De Continuo successiuo.* 576
Artic. 7. *An dentur indiuisibilia in quantitate permanenti.* 583

In quatuor libros de Cœlo,

QVÆSTIO XVI. ET VLTIMA.

De Cœlo. pag. 596.

Artic. 1. *De situ partium mundi inferioris.* 596
Artic. 2. *An, et quomodo Cœlum sit compositum.* 601
Artic. 3. *An Cœlum sit corruptibile.* 608
Artic. 4. *De Cœli systemate.* 616
Artic. 5. *Proponitur, et refellitur sententia Copernici.* 626
Artic. 6. *De circulis cœlestibus, et Intelligentijs mouentibus.* 634
Artic. 7. *De prima Cœlorum productione.* 641

Digitized by Google

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc volumine continentur.

Prior numerus, Quæstionem; secundus Articulum; tertius paginam significat.

A

Accidens.

Accidens metaphysicum quid sit. 2.3.56.
Accidens cur non faciat vnum per se. 2.3.56.
Accidentia nõ exigunt essentialiter aliquam substantiam; sed solùm naturaliter. 1.3.17.
Accidentia non destruunt subiectum cui vninntur, & à quo pendent aliquo modo. 1.3.18.
Accidens esse in subiecto adhæsiuè, & inhæsiuè, quid sit 6.3.226.
Non est de essentia accidentis esse in subiecto inhæsiuè, sed sufficit, quod sit adhæsiuè 6.3.226. eius essentia in quo consistat. ibid.
Accidentia sunt principia compositi accidentalis; respectu compositi substantialis sunt complementa, & proprietates illius. 1.4.31.
Aliquot indicia ad dignoscendum, quæ nam sint accidentia absoluta. 12.2.431.
Duplex indicium ad dignoscendum, accidens v. g. calorem, non esse primam radicem. 2.3.57.

Actio.

Actio an detur. 6.2.210. cur ponatur. 6.2.210. est modus, vel saltem inuoluit modum distinctum à termino, per quem dependet ab agente determinato. 6.2.209.
An ex concursu libero Dei cum causis secundis benè inferatur, quod detur actio. 6.2.213. & seqq.
Actio an sit idem, ac existentia rei creatæ, & an terminus actionis sit essentia illius. 6.3.221. & seqq.
Actio quæ etiam dicitur dependentia effectus à causa, cur non possit

Digitized by Google

possit consistere in dispositionibus requisitis ad positionem effectus. 6.2.210. vel in decreto Dei, volentis vt hic effectus dependeat ab hac causa. ibid. pag. 211. vel in proportione causæ cum effectu. ibid pag. 212. vel in decreto Dei, adæquatè illi intrinseco. 6.2. 218. & seqq.

Actio per quam ponitur existentia formæ est productio. 2. 3. 50.
non datur duplex actio, altera agens, quæ sit in Agente, altera acta, quæ sit in passo. 6.1.206. quid denominet passú. 10.2.363.
cur non denominet agens, Subiectum, seu Passum in quo est. 6.1.207. cur ponatur in effectu. ibid. pag. 208. cur denominet Efficiens, intrinsecè agens, licet sit illi extrinseca ibid. 207.

Actio quomodo fiat ab Agente. 6.1. 207. 208. non est prior natura effectu, sed solùm prioritate originis. 5.3.177.

Actio, vt actio non est formaliter in passo. 10.2.361.

Actio cur non possit fieri à solo Deo. 6.2.216.

Actio materialis an habeat prædicata sufficientia ad vnionem requisita. 7.3.158. in quo conueniat cum vnione. 7.2.240.

Actio eductiua, & creatiua quid sint. 1.3.16. & 12.

Actio eductiua Agentis naturalis, nullo modo pendet à forma, sed solùm à materia. 6.3.225.

Actio an requiratur in casibus tam naturalibus, quàm supernaturalibus. 6.2.212.

Actio non distinguitur realiter, à passione. 10.2.360. quomodo distinguatur formaliter. ibid. pag. 361.

Actio qua Deus conseruaret materiam sine vlla forma substantiali, an esset naturalis, & debita ipsi. 8.1.280.

Prædicamenta actionis, & Passionis per quid constituantur diuersa. 10.2.362.

Actio quam relationem, seu ordinem dicat ad causam, quem ad conditionem. 5.4.183.

vide *influxus*, & *determinatio*.

Actus.

Actus entitatiuus, & actus formalis physicus quid sint. 2.3.57.

Actus desiderij practicus, & speculatiuus, quid. 8.5.314.

Actualitas.

Actualitas duplex, altera perfecta, altera imperfecta, & quid sint. 11.4.414.

Adhærescentia.

Adhærescentia naturalis corporum quid sit. 13.2.472.

Adhærere, & inhærere quid. 6.3.226.

Æquina-

Digitized by Google

Æquiualentia.

Quomodo aliqua res finitæ perfectionis, possit æquialere indiuisibiliter infinitis. 2.5.80. quid requiratur ad hoc, vt æquialeat pluribus, vel paucioribus. ibid.

Agens.

Quid requiratur ad hoc, vt aliquid sit agens. 10.2 362. quomodo dignoscatur, an aliquid sit actiuum, vel non actiuum in aliqua productione 5.4.187.

Agens v.g. Ignis, an producat ignem in ligno, illud totaliter corrumpendo. 1.3.21.

Quo pacto agere sit perfectio causæ. 6.1.208.

Agens an intrinsecè debeat mutari ad hoc, vt agat. 6.1.207. cur in creatis non debet habere intrinsecam formam, à qua denominetur agens, sicut in Diuinis. ibidem.

Nulla datur virtus naturalis, quæ ad hoc, vt agat, & exerceatur supponat miraculum. 4.1.119.120.

Amor.

Amor. quo amãtur finis & media, in instanti, in quo habetur effectus volitus propter finem, an sit amor desiderij, an complacentiæ. 8.5.314. reijciuntur variæ sententiæ circa hoc. ibi. an possit in eodem instanti esse amor desiderij, & complacentiæ circa idem obiectum. ibid. pag. 316.

Anima.

Anima vt rationalis, non est immediatè potentia ridendi, sed radicalis. 2.4.64.

Annihilare.

Annihilare quid significet. 14.2 493.

Appetitus.

Appetitus quid, & quotuplex sit. 2.5.67.

Quid sit appetere aliquid materialiter, quid formaliter. 8.6.317.

Ars.

Ars quid sit. 4.5.147. non benè dicuntur præcepta artis, instrumenta eiusdem. ibid. an detur habitus intellectualis, qui sit ars. 4.5.148. In quo conueniat cum natura, in quo differat. ibi. non concurrit ad effectus suos immediatè. ibid. quomodo concurrat. ibid. an possit facere omnes effectus naturæ. ibid. pag. 149. an possit facere aliquid, quod natura non potest. 4.5.149.

Ars instrumentaria quidnam habeat pro obiecto attributionis. 4.5.150.

Axio-

Digitized by Google

INDEX

Axiomata.

Quomodo sint intelligenda hæc axiomata, 2.6.90.
Prius in intentione est substantia, quàm accidens. 2.6.90.
Contrariorum si vnum est necesse est, alterum esse posse. 2.3.55.
Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. 7.3.259.
Ex nihilo, nihil fit. 3.2.108.
Nil volitum, quin præcognitum. 8.4.298.
Quomodo debeat intelligi Aristoteles dicens: ex duobus entibus in actu non posse fieri vnum per se. 2.3.56.

B

Bonitas.

Bonitas quid, & quotuplex sit. 8.3.295.
Bonitas ficta an, & quomodo possit esse virtus motiua voluntatis. 8.4.303. an in eo casu possit dici, quod sit bonitas realis malè applicata. 8.4.305.306.

Beatificari.

An possit dari Angelus, vel alia creatura rationalis, cui repugnet posse beatificari supernaturaliter à Deo. 4.2.132.

C

Casus, vide *Causa per accidens*.

Causa.

Causarũ diuisio multiplex, & quid vnaquęq; sit. 5.7.198.199.200.
Causarum diuisio Aristotelica in efficientem, finalem, formalem, & materialem, an sit bona. 5.7.197.
Afferuntur, & examinantur variæ definitiones causæ in communi. 5.2.152.
Causa, an, & quomodo differat à principio. 5.2.151.
Causæ secundæ habent veram virtutem causandi, & immediatè influunt in effectus. 6.1.204.
Causa in actu primo, & in actu secundo quid. 5.2.162.
Dare esse quando applicatur causæ; similiter concurrere, influere &c. non potest bene explicari, nisi inuoluat independentiam in conceptu causæ. 9.1.323.

Digitized by Google

Causa in actu primo, habet essentialem connexionem cum effectu, vt possibili. 5.5.190. hæc connexio potest bene dici relatio tra-scendentalis. ibid.

Quid sit conceptus causæ simul, & conditionis, tanquam ratio vtrique communis. 5.1.154.

Assignatur discrimen inter causam, & conditionem. 5.4.181.&182. Examinantur, & reijciuntur varij modi explicandi discrimen inter causam, & conditionem. 5.4.182.

Regula ad dignoscendum, quid se habeat in aliqua productione, vt causa influens, quid verò vt conditio. 5.4.187.

Aliquæ aliæ regulæ ad dignoscendū, an aliquid sit cōditio. 5.4.189.

Causæ influentis conceptus, et essentia explicatur. 5.4.184.

An eadem causa possit producere contrarios effectus. 5.6.195.

Quomodo causa libera, moralis, et materialis possint producere contrarios effectus simultate potentiæ. 5.6.195.

Quomodo causa mediata, et radicalis, possit per diuersa principia immediata aliquo modo causare contraria. 5.6.196.

Quid sit contineri rem in causa. 3.2.108.

Cur causa debeat continere in sua virtute effectum. 5.4.188.

Quid sit, causam continere hanc determinatam indiuiduationem, et quid hanc indiuiduationem continere determinatè. 5.5.194.

Causa per accidens. an detur, et quid sit. 8.6.318.

Nulla datur causa per accidens respectu Dei 8.8.319.

In quo sensu Deus possit dici causa per accidens. ibid.

Causa per accidens ratione effectus datur. Si sit operans per intellectionem, cum electione mediorum propter finem, dicitur Fortuna. 8.6.318. In quo differat hæc acceptio Fortunæ, ab acceptione Fortunæ antiquorum, ibid. pag. 318.

Causa per accidens quando dicatur casus. ibid. pag. 319.

Causa efficiens.

Impugnantur variæ definitiones causæ efficientis. 6.1.201.& seqq.

Traditur, & explicatur definitio causæ efficientis ex Arist. 6.1.200. & seqq. Conuenit secundariò causæ instrumentali. ibid. pag. 201.

Quomodo debeat sumi particula *vnde*, in definitione causæ efficientis. 6.1.200.

Assignantur varia discrimina inter causam efficientem, & materialem. 7.5.266.267.

Conceptus, qui solùm explicet influere esse in aliud, præscindendo, an mutetur per eum influxum intrinsecè causa, an non, non

explicat essentiam omnis causæ efficientis 6.1.193.
Cur causa efficiens debeat esse nobilior effectu suo 3.2.109.
Causa efficiens proxima immediata necessaria non potest causare effectus contrarios, in eadem materia, eodem modo disposita, 5.6.195. & 197.
Causalitas causæ efficientis vide *actio, & influxus*.
Causa idealis, vide *Idea*.
Causa finalis, vide *finis*.

Causa formalis.

Causa formalis quid sit, eiusque effectus 8.1.276. explicatur eius definitio ibid. In quo differat à causa materiali. 8.1.276.
Causa formalis intrinseca non potest causare contrarios effectus. 5.6.195.
Causalitas formæ in ordine ad totum, est vnio. 8.1.277.
Cur Deus non possit supplere causalitatem formæ, neque effectum formalem, in ordine ad compositum. 8.1.280.
Causa formalis, vide *forma*.

Causa materialis.

Quinam sit modus causandi materialiter, seu per modum determinabilis. 7.3.253.255.
Cõceptus causæ materialis est diuersus à cõceptu materiæ primæ. 2.143.
Cur causa materialis, nõ debeat esse nobilior effectu suo. 3.2.109.
Assignantur varia discrimina inter causam materialem, & efficientem. 7.5.266.267.
Partes intrinsecæ nõ sunt causa rigorosa respectu totius. 7.1.240.
An, & quomodo possint dici causæ. ibid. pag. 240.
Causalitas immediata materiæ respectu totius, est vnio materiæ cum forma. 7.5.274.
Cur Deus non possit supplere causalitatem materiæ, in ordine ad compositum. 8.1.280.

Causa meritoria.

Causa meritoria quid sit. 9.1.336.
Principium efficiens meriti quid, & quotuplex. ibid.
Principium formale meriti quid sit. ibid.
Causa meritoria in quo differat à causa finali, in ordine ad causandum. 9.3.337. In quo sensu dicatur esse aliquando quid indeterminatum. 9.3.338.

Causalitas mutua.

Mutua causalitas quid sit. 9.1.321. In causis, quæ non agunt per actualem existentiam, sed solùm per existentiam cognitam datus

tur mutua causalitas, ibid. In causis verò, quæ ad causandum requirunt existentiam actualem implicat, tam in eodem, quam in diuerso genere causæ. 9. 1. 321. per totum Artic.
Soluuntur varij casus, in quibus videtur interuenire mutua causalitas. 9. 2. 327. & seqq.
Mutua Causalitas implicat in causis liberis. 9. 2. 335.
Mutua Causalitas inter præmium, causatum moraliter ab opere meritorio, & principium operis, vel dignificans, vel efficiens implicat. 9. 3. 336. & seqq.
Soluuntur varij casus, in quibus videtur intercedere mutua prioritas, inter præmium, & meritum. 9. 3. 339. & seqq.
An inter rem relationem v. g. de victoria, & ipsam victoriam detur mutua causalitas. 9. 3. 340.
Quomodo saluetur mutua causalitas inter preces Deum mouentes ad aliquam rem ponendam, quæ fuerit causa ipsarum precum. 9. 4. 347. Et inter preces quas V. G. mater fuderit pro salute filij, ad conspectum litterarum, renunciantium salutem eiusdem filij. ibid. pag. 348.
An Deus, quoties mouetur à precibus ad præstandum aliquid de præterito, vtatur aliqua dispensatione. 9. 4. 348.
An inter merita Christi Domini, & maternitatem Beatæ Virginis intercedat mutua Causalitas. 9. 4. 343. Examinantur variæ sententiæ circa hoc. ibid. & seqq. Difficultates quæ contra illas militant proponuntur. 9. 4. 344. & seqq.
An possit dici, quod actus, quo Christus Dominus meruerit Beatæ Virgini maternitatem, fuerit independens ab ipsa. 9. 4. 343.
An possit dici ad saluandam talem mutuam causalitatem, quòd Deus præuidendo merita Christi Domini, dependentia solùm ab aliqua causa, moueatur ab ijs, ad dandum illis hanc causam determinatè. 9. 4. 345. Difficultates cõtra hunc dicendi modum exponuntur. ibid. pag. 346. an possit dici Verbum Diuinum pro aliquo priori signo assumpsisse animam, quam corpus, atque pro eo signo elegisse sibi hanc matrem determinatè. 9. 4. 346. Difficultates contra hunc dicendi modum. ibid. pag. 347.

Cœlum:

Cœlum nõ est vnum ex elementis, neq; mixtum ex illis. 16. 2. 602. non est corpus simplex. pag. 604. sed compositum ex materia eiusdem speciei cum sublunari, & forma Cœli per vnionem indissolubilem, ab his agentibus creatis pag. 605. Est corruptibile

Digitized by Google

remotè. pag. 606. secùs verò proximè. 16. 3. 608. contra quam incorruptibilitatem naturalem, non faciunt Solis maculæ, nouæ stellæ, & cometæ in Cœlo visi. ibid. pag. 610. & seqq. Quænam sit causa horum phænomenorum in Cęlo. ibid. pag. 615.
Cæli systema quid, & quotuplex. 16. 4. 616. an Cœlum sit fluidum, vel solidum. ibid. & seqq. Posita fluiditate Cœli, quomodo saluentur motus omnes stellarum, &c. 16. 4. 616.
Cœlos esse fluidos incorruptibiles proximè, licet sit valdè probabile, non tamen est discedendum ab Aristotelis sententia, solidos ponente. 16. 4. 619.
Cęli systema iuxta Aristotelem explicatur. 16. 4. 620. quo pacto in hac sententia omnia benè saluentur. pag. 621. & seqq; quomodo (scilicet) planetæ nunc sint remotiores nobis, nunc viciniores. pag. 622. quomodo eclypses tam Solares, quàm Lunares modò maiores fiant, modò minores &c. 16. 5. 623.
Cœlorum crassities, quæ 16. 4. 620. non sunt multiplicandi Cœli, supra octo. ibid. 621.
Cęlorum systema Copernicanum exponitur. 16. 5. 626. & seqq. quomodo hoc systema benè saluet omnes apparentias. pag. 628. & seqq. Non datur de facto. pag. 630. quid dicendum de possibili. ibid. cur sit reijciendum. ibid. & seqq.
Cœlestium circulorum numerus (qui scilicet sunt in sphæra materiali) eorumque nomina, & officia expenduntur. 16. 6. 634. per totum articulum.
Cœli motus non est mixtus, sed circularis, & simplex. 16. 2. 603. an Cęlum sit leue. pag. 603.
Cœli mouentur motu naturali, ad quem motum inclinant. ibidem pag. 639. mouentur actiuè ab Intelligentijs. ibid. & seqq.
Quando, & quomodo Cęli in prima mundi fabrica à Deo facti fuerint. 16. 7. 641. per totum articulum.
Quid veniat nomine Cęli, & terræ, quando dicitur, In principio Deus creauit Cęlum, & terram. 16. 7. 644.

Cognitio.

Cognitio intuitiua discernit aliquo modo indiuiduationem. 1. 1. 6.
Cognitio, qua fit vniuersale formaliter, quomodo differat à cognitione confusa, de solo particulari. 1. 1. 6.
Cognitio distincta, & non impedita, æquè faciliter cognoscit omnes gradus. 1. 1. 7.
Cognitio originata à sensationibus faciliùs cognoscit gradum superio-

Digitized by Google

periorem singularizatum, quam inferiorem. 1.1.7.
Cognitio, et voluntas habent vim cognoscendi, et tendendi in obiectum, quod de facto non est. 8.4 301.302.
Cognitio confusa non est necesse, quòd contradistinguat obiectũ ab alio, si obiectum sit ratio vniuersalissima, sed sufficit quòd consideretur in ordine ad aliquod tertium. 2.5.40.
Quid sit, omnia per actum cognosci. 2.2.45.
Cur Deus habeat pro obiecto suam cognitionem, secùs vero nos. 6.4.230.
Cognoscere collectiuè, et distributiuè quid sit. 11.2.283. collectio se tenet ex modo tendendi, et cognoscendi. 11.3.402.

Continuum permanens.

Continuum permanens, an componatur ex indiuisibilibus, diuisibiliter locatis. 15.4. 548. et seqq. Hæc sententia optimè soluit omnes difficultates. pag.550. 552. 553. & seqq. cur sit reijcienda. pag.562.548. Admittit quandam virtualem diuisibilitatem in spatio, et quomodo pag.550. Quid sit in hac sententia, duo indiuisibilia penetrari adæquatè, quid inadæquatè. pag.551. non incidit in absurda, in quæ incidit sententia Zenonis. pag.553. Quam figuram habeant hæc puncta. pag.558. an in hac sententia quilibet motus, licet tardus, sit etiam alteri corpori velocissimus, pag.559. an hæc puncta hoc pacto constituta sint contra notionem naturalem, pag.561. Quo pacto vniantur hæc puncta. pag.562.
Continui permanentis compositio in Arist. sententia explicatur. 15.5.563. et seq. impugnatur sententia ponens in Continuo partes potentia solùm distinctas, antè diuisionem, et assignationem. 15.2.530. et seqq.
Continuum non potest componi ex punctis mathematicè indiuisibilibus. 15 3.537. et seqq. neq; potest componi ex partibus, et punctis. 15.7.584.
Continuum permanens est diuisibile in infinitum, et constat partibus actu distinctis imperfectè. 15.5.563. non sequitur ex hoc dari infinitum actu in numero. ibid. pag.568 et seqq. Quid sint partes actu distinctæ imperfectè, et indeterminatè. ibid. pag.563. 566. an, et quæ actualitas partiũ repugnet cũ indeterminatione, pag.566. An distinctio imperfecta repugnet cũ reali pag.567. Quomodo Deus videat omnes diuisiones possibiles in Continuo. pag.574. Quomodo in hac sententia diameter non sit commensurabilis costę. pag.575.

Par-

Partes in Continuo permanenti non sunt, neque possunt accipi determinatè, nisi in ordine ad aliquem modum. 15.5. 563. Hi modi non possunt esse vbicationes. pag. 564. Dupliciter possunt determinari, et quomodo. ibid. An Deus possit auferre omnes modos cõtinuatiuos ab entitate ligni v.g. palmaris. ibid. pag. 570 An, et quomodo entitas ligni, præcisa à modis sit diuisibilis. ibid. pag. 571. An in hac sententia possit vnapars conrinui accipi cõtradistincta ab omnibus. pag. 572. Quomodo explicentur hæ partes. pag. 573. In quo sensu sit vera propositio, Deus potest facere omnes diuisiones possibiles in continuo. pag. 573.

Si Cõtinuũ constaret solis punctis mathematicis, omnes linea, vel esset rectæ, vel curuæ. 15.3.546. nullus daretur angulus pag. 547.

In quantitate permanenti nullum datur indiuisibile realiter. 15.7. 584. neque terminatiuum, neque copulatiuum. pag. 585.

Postulata, seu principia mathematica, non debent argui falsitatis, propter difficultates, quę fiunt contra Continui compositionem. 15.3. 545.

Explicatur quomodo fiant contractus physici sphæræ, et cilindri cum plano. 15.7. 589. et seqq.

Continuum successiuum.

Continuum successiuum ad quatuor successionis genera reducitur, & quæ illa sint. 15.6. 576. An, et quomodo hæ species successionis sint essentialiter successiuæ. ibidem.

Continuum successiuum non potest constare solis indiuisibilibus. pag. 577. neque ex hoc sequitur tẽpus nihil esse. pag. 578. Quid intelligatur per voces *tunc, nunc, præsens, &c.* pag. 579.

In Continuo essentialiter successiuo dantur partes actu distinctæ, indeterminatè, impropriè diuisibiles in infinitũ. 15.6. 581. Quid sit hæc diuisibilitas impropria. ibid. Nullus datur modus earum successiuè vniens. pag. 582. Perexistentiam præcisè ipsarum, tollitur omnis formalis indifferentia, adeoque vniuntur se ipsis. 15.6. 580. Ad faciendum vnum, in ratione vnius successiui, non debent existere in eadem mensura. pag 581. Quid sit facere vnum in ratione successiui. pag. 580.

Corpus.

Ratio corporis in quo consistat 16.2.604.

Corpus immobile naturaliter datur de facto (hoc est Cœli empyreum) quocumque motu locali, nullam habens inclinationem ad illum. 4.2.125. Si Empyreum esset corpus simplex, benè posset

Digitized by Google

set dici esse immobile omni motu, etiam alterationis. pag. 125.
Est essentiale corpori, posse moueri motu alterationis 4.2.125.
Cur non sit possibile corpus essentialiter immobile. 4.2.127. et seqq.
Cur non repugnet vbicatio immobilis, et repugnet corpus essentialiter immobile. 4.2.133.
Dupliciter potest dari corpus intermedium inter duo corpora, et quomodo. 15.7.591.

Concursus.

Concursus Dei in materiam spoliatam omni forma esset naturalis in se, quoad substantiam, et quoad modum. 8.2.293.294.

Compositum.

Compositum dupliciter accipi potest. 7.1.240.
Compositum substantiale ex Arist. non debet dici natura, sed à natura, seu habens naturam. 4.3.141.

Conceptus formalis.

Conceptus formalis quid sit. 2.4.60. quæ requiruntur ad conceptū formalem alicuius rei, sunt de essentia ipsius. ibid.

Conditio.

Conditio quomodo sit determinatiua effectus. 5.4.189. In quo sēsu cōditio physica dicatur esse aliquandò, quid indeterminatū. 9.3.338. Nulla datur cōditio, quę determinet in distās. 12.2.477. Vide *Causa*.

Connexio.

An sit idem duo esse inter se connexa, et vnum ex illis esse causam alterius. 5.2.158.
An ex mera connexione inter duo, possit inferri prioritas naturæ. ibidem.
Omnipotentia Dei quomodo sit connexa essentialiter cum creaturis possibilibus. 2.462. Cur possit concipi, etiam præscindendo à creaturis. ibid.

Creatio.

Creatio non est actio naturalis Physica. 1.3.12.
Creare quid sit. ibid.
Creatio non pendet à termino creato. 9.2.335. dupliciter potest intelligi. 1.3.12. Negatur ab omnibus cōpetere agenti naturali. ibid. Refelluntur variæ rationes ad hoc probandū 1.3.13. et seqq. Proponitur ratio efficacior, cur agens naturale non possit creare. 1.3.16. et seqq.
Ad hoc vt aliquod totum dicatur creari, satis est si creetur pars. 3.2.109.

Creatura

Creatura omnium perfectissima, vel imperfectissima, et infima non est possibilis. 11.4.416.

D

Denominatio.

Non est idem formaliter, aliquid esse coniunctum cum altero, habente aliquam denominationem, & denominari tali denominatione. 12.4.443.
Non omnis denominatio intrinseca, habetur à forma intrinsecè inhærente. 7.3.251.
Indicium ad dignoscendum, quando nam aliquid importet intrinsecè aliquam denominationem. 1.5.35.

Deus.

In quo sensu Deus dicatur magis necessarius, quam possibilitas creaturarum. 5.5.193. Cur dicatur purus actus. 2.3.55. Dupliciter potest aliquid miraculosè operari. 9.4.348. Deo nihil opponitur, nisi ad summum relatiuè. 2.3.55.

Dependentia.

Quid sit ordo dependentiæ. 5.4.185. differt ab alijs ordinibus, seu relationibus, saltem genericè acceptis. ibid.
Dependentia effectus à causa quid sit, et in quo consistat 5. 1. 153.
Dependentia à posteriori an detur. 8.2.287. et 335. Impugnantur varij modi explicandi huiusmodi dependentiam. 287. et seqq.
An ex eo, quod aliquid non possit esse sine alio, inferri possit dependentia ipsius, ab isto. 5.5.191. Quomodo Deus connectatur cum possibilitate creaturæ. ibid.
Conceptus creaturæ, quam dependentiam inuoluat. 6.3.225.

Determinatio.

Determinatio, per quam ponitur effectus à parte rei, quæ dicitur etiam actio, seu influxus, quid sit. 5.4.182. Quem ordinem dicat ad causam, et quem ad conditionem. 5.4.183. Est duplex scilicet libera, & necessaria, & quid vtraq. sit. 5.3.166. & seq.
Determinatio, quæ in se est libera, et procedit à libero determinatiuo, potest esse determinatiuum alterius determinationis, quæ sit in se necessaria. 5.3.167.

Determinatiuum.

Afferuntur, & examinantur variæ explicationes de essentia determinati-

Digitized by Google

minatiui ad existentiam alterius 5.2.157.et seq. Quid, et quotuplex sit. 5.3.166.et seq. & 171.

Determinatiuum necessarium, et determinatio necessaria in quo conueniant. 5.3.170.

Distantia inter duo, per quid habeatur. 12.3.436.et Art.5.p.453.

Duratio.

Duratio creata quid sit. 14.1.480. Distinguitur modaliter à rè durante, et tempore extrinseco. ibid. per totum articulum. Est essentialiter successiua, et coordinata. 487. 505. An debeat proprioti ad ipsam intelligi existentia rei durantis. 14.1. 588. esse idem modus cum actione, per quam effectus pendet à suis causis. 14.3.510.

Duratio rei, non potest explicari per perseuerantiam eiusdem rei, et temporis extrinseci. 14.1.481. Neque per decretum Dei volentis rem existere in tali tempore ibi. Neq. quod sit existentia rei, et existentia temporis extrinseci solùm, ib. pag. 482. sed est modus superadditus rei, quæ durat. pag. 480. & seqq.

Destrui rem aliquam quid sit, et quomodo debeat intelligi vox *destrui*. 14.2.492.493. An aliquid possit tolli, quod non præfuerit. 14.2.491. Quid requiratur ad hoc, vt aliquid substantiale, cõtradistinctum à sua duratione, dicatur poni de nouo, ibid.

Duratio permanens.

Duratio creata permanens essentialiter durans tempore diuisibili, neque de potentia Dei absoluta potest dari 14.3. 505. et seq.

Cur Angelus possit habere vbi indiuisibile, per quod correspõdeat spatio diuisibili, non autem durationem indiuisibilem, per quã coëxistat pluribus partibus temporis 14.3.510.

E

Eductio.

In quo consistit essentia eductionis. 3.2.108. Discrimẽ inter eductionem, et creationem. ibid. et 109.

Effectus.

Quid requiratur ad hoc, vt aliquid sit effectus. 5.1.154. An per actionem, qua fit, essentialiter respiciat conditiones. 5.4.187.

Idem effectus potest esse per accidens respectu vnius, et per se respectu alterius 8.6.319. Cur debeat realiter distingui à Causa. 5.1.155.

Digitized by Google

Cur effectus dicatur contineri in virtute causæ, & quid sit ista continentia. ibid.
Indicium ad dignoscendum, quãdo nam duo effectus indiuisibiliter exigantur ab aliqua causa. 9.2.332.
Quomodo ex effectibus veniatur in cognitionem primæ causæ. 5. 1.156.
Essentialis exigentia, ne detur aliquis effectus, debet positiuo argumento probari. 4.2.127.
Effectus per accidens quidsit. 8. 6. 319.
Quando nam valeat consequentia, *implicat bis effectus, ergo implicat hæc causa.* 2.5.74.

Ens.

Ens, & non ens, an habeant aliquam similitudinem. 1.5.38. Quomodo sint contradictoria. 1.5.39. Potest abstrahi ratio communis ab ente reali, & chymærico. 1.5.39. An quodlibet ens exigat determinatè possibilitatem cuiuscunque alterius. 2.5.76. & 77. Quando nam sit absurda Entium multiplicatio. 5. 3.257.
Ens incompletum non est propter operari immediatè, secùs verò completum 2.3.58.

Essentia.

Essentia rei quid sit 2. 3. 47. An distinguatur ab existentia, 6. 3. 222.

Exigentia

Exigentia alicuius rei quid, & quotuplex 1.3.17.
Aliqua res potest aliam essentialiter exigere. 8.2.293.
Deus cur non possit producere ens, quod exigat aliquid sibi indebitum, vel non exigat aliquid sibi debitum 2.5.70.
Nulla res ex defectu rei, quam exigit naturaliter, perit, nisi ab illa pendeat à priori. 1.3.18.

Existentia.

Quid intelligatur nomine existentiæ. 6. 3.223.
Quinam sit conceptus existentiæ rei, contradistinctæ à duratione sua. 6. 3. 225.
Quid sit rem creatam existere formaliter. 6. 3.224.

Patum

F

Fatum.

An, & in quo sensu detur fatum 8. 6. 320.

Finis.

Finis seu causa finalis est vera causa. 8. 5. 312. In quo sensu dicatur realiter causare. pag. 313.

Finis dupliciter multiplex. 8. 3. 297.

Finis qui, & finis cui, simul integrant vnam causam finalem; alter verò ex ipsis seorsim acceptus est finis inadæquatus, ibid. pag. 297.

Finis qui, vt talis est, non est, medium respectu finis cui, sed habet bonitatem, vel honestam vel delectabilem. 8. 3. 296.

Quomodo ratio motiua finis, debeat præexistere ad effectum. 8. 4. 300.

Cognitio finis non est ratio formalis motiua causæ finalis, est verò conditio necessaria. 8. 4. 298. & seqq.

Id quod nō est, siue existit à parte rei, est ratio motiua finis. 8. 4. 300

An obiectum cognitionis, quod est ratio motiua finalis sit quid distinctum ab Omnipotentia Dei 8. 4. 301.

Causalitas finis in actu secūdo, non est actio, qua producitur amor ob finis bonitatem, vel distincta sit ab amore, vel indistincta. 8. 5. 311, Dicitur motio metaphorica ibid. In quo consistat, ibid 312. non est Causalitas metaphorica ibid.

Motio finis non potest præcedere omnem actum voluntatis. 8. 5. 314.

Quomodo finis influat. 8. 4. 307. An semper debeat esse realis, ib.

Quid sit influxum finis pendere à fine impropriè. 8. 5. 314.

An dari finis effectus finis. 8. 5 307. An actus interni sint effectus finis, magis propriè loquendo 8. 5. 308. Consequutio finis, eiusque possessio, non sunt effectus finis, in rigore. 309. Electio mediorum, non est effectus finis regulariter loquendo, nisi fiat cum reflexione, in ordine ad finem. ibid.

Volitio efficax finis, est etiam volitio mediorum, saltem indeterminatè 2. 6. 84. 85. 89.

An amor, quo amatur finis, & media in instanti, in quo habetur effectus volitus propter finem, sit amor desiderij, an complacentiæ.

tiæ. 8.5. 314. Reijciuntur varię ſententiæ circa hoc ib. etſeq. Explicatur quomodo in eodem inſtãti, in quo habetur effectus volitus propter finem, poſsit eſſe Amor deſiderij, et cõplacentiæ. pag. 316.
Finis, quatenus talis, non eſt bonum vtile. 8.3.295.
Bonitas ficta, & impoſſibilis, cognita, vt poſſibilis in ſe, eſt cauſa motiua voluntatis. 8.4.303. et ſeqq. Quando mouetur voluntas à bonitate ficta, non poteſt dici, quòd ſit bonitas realis malè applicata. 8.4.303, 305-306.
An applicatio bonitatis ad finem, cui ſit virtus motiua, an conditio. 8.4.306.
An ſanitas, V.G. abſolutè futura, poſsit eſſe cauſa finalis. 9.3.337.
Bruta, et inanimata ſecundùm ſe non agunt propter finem in rigore, quomodo operentur propter finem & 6.317.
Deus non operatur ad intra propter finem, ſecùs verò ad extra. 8.6. 317.
Angelis, et homines operantur propter finem. ibid.
Electio finis, et intentio mediorum licet diſtinguantur, tamẽ vnus actus inuoluit alium, et quomodo. 2.6.83.84.

Forma

Forma nõ bene definitur; cõſtitutiuũ eſsẽtiæ cuiuslibet rei. 3.1.95 Reijciuntur aliæ explicationes. ibid. et ſeqq. Affertur propria explicatio eſſentię formę p. 99.
Formæ ſubſtantiales dantur. 3.1.101. Probatur etiam rationibus naturalibus. 3.1.102. Dependent in produci à diſpoſitionibus; Diſpoſitiones verò nunquam dependent à forma. 9.2.334. Non præexiſtũt in materia, neq. ſecundùm ſe totas, neque ſecundùm partem 3.2.107.108. Quomodo debeat intelligi Ariſt; qui videtur ponere in ipſa materia, inchoationem formarum. 3.2. 103.
In quo conſiſtat eſſentia formæ, comparata etiam cum materia poſſibili. 3.1.100. In quo conueniat cum materia pag. 95.
Modus, per quem forma dependet à materia, eſt idem modus, per quẽ dependet ab Agẽte, & nõ eſt vnio. 7.5. 268. Prout hic modus reſpicit agens, dicitur actio, prout reſpicit materiam, dicitur paſsio, eductio, & ſuſtentatio. 7.5.271.
Cur exiſtentia formæ, non reddat materiam exiſtentem, licet ſit in materia. 2.3.58.
Forma materialis, et vnio producitur, et educitur eadem actione, 7.5.

Digitized by Google

7.5.272. Non creatur.3.2.108.fit ex nihilo sui,non ex nihilo subiecti.ibid.
Quinam sit effectus primarius formæ, et qui effectus secundarius; 8.1.277.Primarius est aliquid aliud præter formam,& vnionem; aptitudo scilicet subiecti ad talem denominationem ib.
Quomodo ab eadem forma, respectu diuersorum possint haberi denominationes diuersæ 7.5.275.
Quomodo formæ Elementorum sint inter se contrariæ.3.1.107.
Fortuna vide *causa per accidens.*

G

Generatio.

Quinam sit terminus adæquatus generationis Physicæ simpliciter, et per se,et qui terminus inadæquatus 6.3.221.

I

Idea.

Idea quid,et quotuplex 6.4.227. Quid veniat sub conceptu Ideæ mentalis ibid. An consistat formaliter in ipsa cognitione operantis,an verò in obiecto cognitionis,ibid.228. Ad quod genus causæ reducatur,231. An agēs naturale causet semper opus per ideam.232. Ex quibus partibus constet hoc concretum, *Idea* ibid.231.

Identitas.

Quid sit esse idem identitate continuationis,& per æquiualentiam, et quid sit esse idem, identitate metaphysica.3.1.104.
Impenetrabilitas vide *quantitas.*

Indiuisibile.

Indiuisibile quid,et quotuplex.15.7.583.

Infinitum.

Infinitum quid,et quotuplex.11.1.366.Cur in definitione Infiniti categorematici ponatur particula illa,*eiusdem rationis*. 372. et quid intelligatur per Iy *eiusdem rationis*.372. Ad infinitum. categorematicum requiritur,quòd possit accipi, et concipi per vnicam collectionem.11.4.414.
In quo consistat categorema,et syncategorema.pag.415.

Infini-

Infinitum categorematicum duplex, creatum, et increatum. 11.1. 369.
Proponuntur argumenta sententiæ admittentis infinitum Categorematicum possibile, et solutiones singulis apponuntur 11.2. 374. et seq.
Infinitum quodcunque categorematicum creatum repugnat etiã de potentia Dei absoluta. 13.394. 400. et seqq. Etiam si eius partes sint penetrabiles. 11.3.402. et seq. Implicantia huiusmodi infiniti, non benè probatur ex eo, quòd duæ lineæ infinitæ, faciétes angulum includerent spatium infinitum. 11.4. 400. Neque ex eo, quod exhauriretur Diuina omnipotentia. 401. An implicet ex eo, quòd cognitio collectiua fieri non possit, nisi ex parte obiecti intellectus concipiat quasdam relationes. 402. An argumenta de toto, et parte, quæ fiunt contra huiusmodi infinitũ, militent etiam contra Infinitum syncategorematicũ pag. 405. Soluuntur argumenta contra hoc. ibid. et seq
Argumentum petitum à cognitione Diuina, probans infiniti Categorematici possibilitatem, militat eodem modo contra aliquod infinitum, essentialiter syncategorematicum. 11.2.378. et seqq.
Si esset possibile infinitum categorematicũ, vnum esset maius alio, 11.3.375.402. et seqq. Deberet esse coordinatum. 11.4 404.
Infinitum in aliqua perfectione quid sit. 11.1. 369. an detur, 360. Implicat, etiam si esset possibile infinitum in numero 11.4. 420.
Infinitum Categorematicum quoad magnitudinem duplex 11.1 370. si esset possibile, non posset esse vtrinque terminatum, ib. 371. Admittentes huiusmodi infinitum, claudi posse vtrinque terminis, demonstrationibus mathematicis conuincuntur. 370.
Numerus finitus maximus repugnat etiam de potentia Dei absoluta 11.1. 368. An infinitum sit capax augumenti 11.3.398.
Infinitum syncategorematicum datur. 11.1.374.
Quo pacto Creaturæ futuræ, coexistentes Diuinæ æternitati non sint infinitæ categorematicè, sed syncategorematicè. 11.4 411. Neque decreta Dei in sententia ponente illa adæquatè intrinsecè, dicet sint omnia actu. 413.
Pariter negationes actu existentes suo modo, sunt infinitæ syncategorematicè. 14.2.496. Et partes quantitatis actu distinctę in nostra sententia. 15.5.568.
Collectio tota numerorum finitorum, in statu possibilitatis acceptorum.

Digitized by Google

verum, est quid indeterminatum, hoc est maius, & maius in infinitum. 1 1.1.368.369.
Quo pacto Deus cognoscat Creaturas possibiles. 11.1. 382. & seq.

Influxum.

Quid sit influxus causæ in effectum, et quomodo se habeat. 3.1. 153. et seq:
An, et qualis positio, seu influxus, quo ponitur Creatura, sit in se, et immediatè determinatio necessaria, et mediatè libera, an verò sit immediatè etiam libera, vel necessaria in se, et immediatè procedens à determinatione necessario. 3.3. 168. 169.
Influxus Cæli, an sint necessarij ad motus Elementorum. 12.2. 477.
Vide *Actio*, & *Determinatio*.

L

Locus quid, et quotuplex 12.1.421. Traditur, et explicatur definitio loci extrinseci, ibid.
Locus intrinsecus vide *Vbi*.

M

Materia

Quid sit materia prima, quid materia secunda. 2.1.40. Reijciuntur variæ rationes ad probandum dari materiam primã. 1.3.13. et seq. Quomodo probetur, pag. 16. & seq.
Materia prima an, & quomodo differat à causa materiali. 2 1.43.
Traditur, & explicatur definitio materiæ 2. 1.40. Alia definitio per negationes ibid. Quomodo debeat intelligi ibid. Omnes formæ possunt de illa prædicari in concreto denominatiuè, pag. 42.
Non est vna numero in omnibus compositis sublunaribus, pag. 43 Est vna specie, 16.2.605. An possit dari materia, quæ sit diuersa specie à sublunari. 16.2.605. Quomodo sit pura potentia, 2.3. 55. Est ens incompletum, 1.4.28. Non constat ex partibus essentialibus, ibid,
Materia non est corpus simplex, 2, 2.43. Non habet formam corporeitatis, sibi coæuam, nec vllam aliam antecedenter adæquatam

Digitized by Google

particulares, 2.2.45. Qualis sit conceptus adæquatus materiæ, distinctiuus ipsius ab omni alia re, 2.6.84. et seq.

Materia est causa, & non solùm conditio respectu formarum, 7.5.267. Cur non sit perfectior agente creato, licet possit concurrere, ad omnes formas materiales, quòd non potest facere agens creatum, 7.5.267.

Traditur, et explicatur definitio materiæ, considetatæ in ordine ad suum effectum. 7.1.233. Quomodo debeat accipi particula *ex quo*, in hac definitione ibid.

Definitio materiæ, prout est causa formæ ibid. Considerata præcisè in ordine ad formam, & vnionem formæ, est causa materialis, et sustentatiua, 7.1.234. Hoc pacto considerata non dicitur causa intrinseca, sed extrinseca ibid. Est vnum ex principijs rerum naturalium. 1.3.20.

An materia habeat propriam existentiam, distinctam ab existentia formæ, 2.3.47. Quid sit dicendũ in suppositione multiplici, quòd essentia distinguatur ab existentia. 2.3.48. et seq.

Materia non pendet à posteriori à forma, tanquam à naturali cõplemento, 8.2.287. et seq. Cur ex se præscindendo à forma, non sit principium proprietatum particularium. 3.1.100. Quomodo, licet sit causa materialis alicuius motus contrarij, formæ, adhuc dicatur, non conferre vim, ad talem motum. 4.3.138.

Materiæ appetitus ad formas quascunq. est innatus. 2.5.68. Talis appetitus debet poni, ac si ipsa esset perfectissimè intelligens. 2.5.69. adeoque appetit, & respicit de facto indeterminatè omnes formas substantiales, naturaliter sibi vnibiles. 2.5.68. Ex respectu materiæ ad formas determinatè, non benè infertur esse infinitè perfectam. 2.5.79. neq. esse naturaliter ab Angelo incomprehẽsibilem ibid.

Materia, quę respiciat, & appetat formas determinatè, non est possibilis. 2.5.70.

Appetentia materiæ circa formam substantialem, non præscindit ab appetentia formæ accidentalis, saltem in confuso. 2.6.89. et seqq.

Potentia materiæ ad formas substantiales, non distinguitur realiter à materia, nec potest haberi conceptus essentiæ materiæ sine tali potentia. 2.4.60.61. Nõ est tantùm proprietas profluens ibid. quomodo distinguatur formaliter ab ipsa materia. 2.7.91. Materia nõ amittit hanc potentiam, adueniente forma. 2.4.65.

Non

Digitized by Google

Non datur duplex potētia in materia, altera radicalis, quæ sit eius essentia, altera formalis, quæ non sit eius essentia. 2.4.61.
Nulla datur in materia potentia accidentalis. 2.6.82.
Conceptus formalis potentiæ passiuæ, non potest præscindere ab exigentia formarum. 2.5.68. adeòq. non potest dici materia m... sub conceptu exigentiæ respicere formas indeterminatè, sub cō-ceptu verò potentiæ, determinatè ibid.
Potentia obedientialis materiæ est ipsa simplex entitas materiæ, quid sit hæc potentia obedientialis. 2.7.91.
Materia an habeat potentiam obedientialem ad formas supernaturaliter producibiles. 2.7.91. qualis sit eius potentia ad formas corruptas. ibidem. est eque inclinans ad quemlibet motum. 4.3. 237.
Qualis sit appetitus materiæ, ad formam, quam de facto habet. 2.7. 94.
Disparitas inter respectum Omnipotentiæ Diuinæ ad Creaturas possibiles, et potentiam materiæ, ad formas. 2.5.75. et seqq.
Materia non potest existere naturaliter, sine aliqua forma substantiali, et accidentali. 8.1.278. examinātur variæ rationes, & reijciuntur earum impugnationes cur materia naturaliter existere nequeat spoliata omni forma substantiali. 8.2.281.
Cur anima possit naturaliter existere extra compositum. 3.1.101.
Materia potest miraculosè spoliari omni forma substantiali. 8.1. 279. quo miraculo posito existeret naturaliter. ibid. Non potest neque Diuinitus, spoliari omni forma accidentali modali. pag. 280.
Volitas Dei circa conservationem materiæ, spoliatæ omni forma, esset naturalis, sed coniuncta cum alia volitione supernaturali de non ponenda forma. 8.2.293.294.
Materia si miraculosè corrumperetur eius quantitas, per virtutē emanatiuam aliam, sibi reproduceret, sicut et Anima reproduceret sibi intellectum, posito, quod potentiæ distinguatur ab ipsa. 7.3.254. hæc virtus in materia, et in anima esset naturalis. ibid.
Quid sit facere vnum per se cum materia. 2.3.56.
Non amittitur vnitas individualis, licet amittatur aliqua pars materiæ, dummodo talis amissio fiat per continuationem. 3.1.104.
Ad talem vnitatem debet attendi modus acquisitionis. 3.1. 104.

Materia, et forma vnitæ collectiuè acceptę sunt totum. 7. 1. 138.
Duplex diuisio competens rebus materialibus, 15. 1. 522.
An repugnet rem materialē esse totam in toto, et totam in qualibet parte spatij. 15. 4. 549.
An cum eadem materia resurgent pueri, et cœteri homines in resurrectione mortuorum. 3. 1. 105. 106.

Medium.

An media habeant bonitatem intrinsecam. 8. 3. 197. Dupliciter possunt eligi ad finem. 8. 5. 309.
Medium, vt medium habet bonitatem solùm vtilem. 8. 3. 296.
Nihil potest ordinari, tanquam medium ad seipsum. 9. 3. 341.

Mensura.

Mensura, et numerus quid sit. 14. 4. 517. Quas conditiones debeat habere mensura temporis. ibid.

Merces.

Merces in quo differat à prœmio. 9. 3. 341.

Miraculum.

An, et quando in aliqua probatione, recursus ad miracula, non sit absurdus. 9. 4. 349.
An, et quando cum precamur Deum postulemus miraculum ibid.

Motus.

Motus diuisio multiplex. 10. 1. 358.
Traditur, et explicatur definitio motus. 10. 1. 352. et seqq. Compatit tam motui successiuo, quàm instantaneo. 10. 1. 357.
Motus datur. 356. Soluuntur argumenta Zenonis, negantis dari motum 357. An distinguatur à duratione. 14. 3. 515. Quid requiratur ad motum. 10. 1. 360. Cur non constituat vnum prędicamentum per se diuersum ab alijs. 10. 2. 366.
Motus non distinguitur realiter ab actione, & passione. Quomodo distinguantur inter se formaliter. 10. 2. 361.
Motus per quid specie, & numero distinguantur. 10. 3. 363, et seqq.
Motus non differunt specie in ratione motus, etiam si actiones, vel passiones differant specie. pag. 364. Motus recti ad eundem terminum ad quem, facti per medium tenue, vel crassum, calidum, vel frigidum, non differunt specie, nisi accidentaliter. 10. 3. 364.
Motus aëris ascendētis sursum ab aqua, differt specie à motu eiusdem descendentis deorsum ab igne, licet sit ad eundem terminum physicè. ibid.
Motus naturalis, & violentus non differunt specie in ratione motus, pag. 363.

Mo-

Motus furſum, & deorſum differũt ſpecie, ſicut etiam motus rectus, & circularis. 10. 3. 364. Motus circularis eſt ſimplex. 16. 1. 602. Nõ habet terminum ad quem permanentem, ſed tranſeuntem. 4. 1. 122.

Motus proueniens à natura, ſi ſit circularis, vel ſimilis circulari, nõ fit propter quietem localem mobilis, ſed propter bonum corporum ſubiectorum, ſi ſit motus rectus eſt propter quietem. 4. 1. 122.

Motus ſucceſſiuus ad quæ prædicamenta detur. 10. 3. 363.

Motus cordis, pulmonis, et partium vitalium in animantibus, non fit propter quietem localem, ſed vt expellatur humidum, & attrahatur frigidum. 4. 1. 121.

Motus naturalis non eſt damnificus toti, niſi per accidens. 4. 3. 141.

In quo ſenſu accipi debeat motus naturalis. 4. 2. 123.

Motus corruptiuus non eſt naturalis, ſed violentus; eſt naturalis prout opponitur miraculoſo. 4. 3. 141.

Non eſt poſsibilis motus perpetuus naturalis rectus. 4. 1. 124.

Motus infinitè velox, vel tardus implicat. 11. 4. 420.

Motus phyſicè vnus, quomodo à mathematicis explicetur per duos motus. 16. 4. 618.

Effectus formalis motus quid ſit. 10. 1. 351.

Mundus.

Mundus, neque vlla alia Creatura fuit, vel eſſe potuit ab æterno. 4. 519. Si res durarent ſeipſa, ſine duratione ſucceſſiua ſuperaddita, nulla apparet implicantia, cur non potuerint eſſe ab æterno. ibidem.

Mundus certas habet ſedes, pro ſingulis Elementis. 16. 1 596. & ſeq. 600. & ſeqq.

Mutatio.

Mutatio quid, et quotuplex. 10. 1. 357.

Cur in mutatione ſubſtantiali non pereat, verbi gratia, lignum, ſecundùm ſe totum, & ignis ſecundùm ſe totũ generetur. 1. 3. 19.

Quæ formæ conſiderentur in mutatione aliqua. 10. 1. 353.

N

Natura.

Traditur, et explicatur definitio naturæ. 4. 1. 116. Comprehendit

Digitized by Google

magis propriè res sensibiles, quæ venire possunt sub physicam abstractionem. ibid.
Natura hìc definita est causa, et principium omnis motus, tam localis, quàm alterationis, augumentationis &c. pag. 117. Est etiam causa motus circularis. pag. 118.
Ad rationem *naturæ* sufficit principium merè passiuum, etiam si non detur in mobili principium actiuum illius motus. 4. 2. 123.
Principium actiuum motus sensibilis, quod tamē principium existat in ipso mobili, est natura. 4. 2. 124.
Omnes animæ etiam rationales secundùm vltimum gradum sunt natura. 4. 3. 136.
An, et quomodo materia, & forma sint natura. pag. 136.
Materia secundùm se accepta est qualibet natura solùm potentia, forma autem per se considerata, est natura determinata, quantùm est de se. ibid.
An formæ assistentes sint natura. 4. 3. 140.
Principium actiuum motus sensibilis in alio, non est natura definita hic ab Arist. 4. 2. 123.
Corpora Cœlestia habent naturam hìc definitam ab Arist. 4. 1. 118.
Definitio naturæ conuenire posset etiam corpori simplici si esset possibile. 4. 1. 121. Conuenit etiam Angelo. ibid.
Particula *Et* in definitione naturæ quomodo debeat accipi. 4. 1. 120. Proponitur, et soluitur difficultas desumpta ex motu circulari Cœlorum. 4. 1. 118. et seqq.
Priuatio non est natura, et cur. 4. 1. 116.
An totum compositum substantiale possit, et debeat dici natura. 4. 3. 141.
Afferuntur variæ acceptiones huius vocis *natura*. 4. 1. 115. 116.

Naturale.

Naturale multis modis accipitur. ibid.
Natura non potest demonstrari à priori per causam efficientem, seu finalem. 4. 4. 142. Posset demonstrari per causam formalem, sed talis demonstratio nihil facit ad præsentem quæst. 4. 4. 142.
Naturam dari neque à posteriori per effectum demonstrari potest. 143. et seqq. nullus enim datur medius terminus ad hoc probandum, quia inuoluat ipsam conclusionem. 144. et seqq.

Negatio.

Negatio quid sit 14. 2. 498. An sit indestruibilis. pag. 492.
Negationes rerum formaliter per quid durent. 14. 2. 494.

Nega-

Negatio alicuius rei, ex quo proueniat. 9.2.328. Negationem hanc esse propter hoc, vel propter aliud mutuum, quid sit. 14.2.503.
Negatio substantialis rei, contradistincta à negatione durationis eiusdem, quando nam detur. 14.2.489.
Negatio rei secundùm se acceptæ, non potest aliquando durare, et aliquando non. 14.2.494. Non tollitur ex hoc libertas, et indifferentia in Deo. 14.2.492.
Negatio formæ non quomodocumque, sed vnitæ, est principium rerum naturalium. 14.2.494.
Negatio durationis temporariæ, hoc est temporis imaginarium, non est infinitum Categorematicum, sed syncategorematicum, 497. sicut etiam negationes rerũ omniũ possibilium, actu existentium suo modo. 14.2.496.
Negationum dependentia à suis causis per quid, et à quo habeatur. 14.2.500. et seqq. non pendent à suis causis per modum superadditum, vel positiuum, vel priuatiuum. pag. 498. 502.
Duo modi proximè causandi negationes. 499. 500.
Negatio frigoris in subiecto, non adiuuat productionem caloris in eodem subiecto. 9.2.329.
Negatio frigoris in subiecto in quo ponitur calor, nõ est prior natura, sed potiùs posterior, calore, et priuatio gratiæ nõ est prior natura actu peccaminoso. 9.2.329.
An quando ex negatione vnius valet inferri negatio alterius, illud sit causa istius. 9.2.330.
Negatio opposita vnioni, est vna. 7.3.255.
Vide *Priuatio.*

P

Passio.

Passio nõ distinguitur realiter ab actione. 10.2.360. Quomodo distinguantur inter se formaliter. 10.2.361.
Quid requiratur ad hoc, vt aliquid sit passum. 10.2.362.

Penetratio.

Duo corpora quanta possunt esse in eodem loco miraculosè. 12.3.454

Perfectio.

Quid requiratur ad hoc vt aliquid perficiatur intrinsecè. 7.3.250-252.

Non

Digitized by Google

Non debet cõcedi alicui rei prædicatum aliquod perfectionis, quin probetur positiuo argumento. 2. 5. 71.

Potentia.

Potentia quid, & quotuplex. 2. 4. 58. 59.
Potentia actiua duplex, alia emanatiua, alia in externam materiam. pag. 59.
Potentia passiua essentialiter respicit actiuam. In quo consistat hic respectus. 4. 2. 126. Quid sit Potentia passiua respectu alicuius formæ. 2. 6. 86.
Duplex disparitas inter potentiam actiuam, & passiuam. 2. 6. 87.
Potentia positiua non destruitur adueniente actu. 2. 4. 65.
Aliqua Potentia dat facilius, vel difficilius posse, non autem dat simpliciter posse. 2. 4. 66.
De qua nam Potentia loquatur Arist. cum dicit, Potentiam, & impotentiam naturalem esse in prædicamento qualitatis. 2. 4. 64.
Regula ad dignoscendum, an aliqua potentia sit de essentia illius, cuius est Potentia. 2. 4. 67.
Potentia intellectiua non distinguitur, neque formaliter ab Anima. 2. 4. 63.

Principium.

Quot, & quænam fuerint antiquorum opiniones, circa principia rerum naturalium. quæst. 1. pag. 2. & seqq.
Variæ acceptiones huius vocis *principium*. 1. 2. 19.
Multiplex diuisio principij ibid.
Quid sit principium in actu primo, & quid in actu secundo. 1. 5. 34.
Definitio principij in communi ex Arist. explicatur. 1. 2. 9.
Traditur, & explicatur definitio principiorum rerum naturalium ex Arist. 1. 4. 24. Afferuntur, & reijciuntur multæ explicationes illius particulæ *ex*, ibid. & seqq. Particula *ex*, in quo sensu sit accipienda. 1. 4. 27. & seqq. Particula autem *esse* in hac definitione potest competere entibus incompletis, saltem secundario pag. 25.
Prima principia per Arist. ideò non sunt ex alijs, quia sunt prima, non ex alterutris, quia sunt contraria. 1. 4. 25.
Discursus Arist. circa principia rerum naturalium. 1. 3. 20. & seqq.
Inter illa intercedit contrarietas. ibid. Contraria an possint esse plusquam duo. ibid. An debeat dari tertium principium, quod prius v. g. præexistat sub non albo, & deinde existat sub albo de nouo, quod est materia. pag. 21.
Principia quæsita ab Arist. sunt principia rerum omnium generabilium

bilium, & corruptibilium; eam compositi substantialis, quàm accidentalis. Sunt principia communitatis, & non solùm causalitatis. 1.3.22. Non agit de principijs generationis, sed de rebus, quæ generantur, quatenus sunt in hac circumstantia generationis. 1.3.23.

Tria sunt principia rerum naturalium in fieri. pag. 20. 21. 23.

Res naturales non fiunt ex coniunctione corpusculorum. pag. 23.

Principij correlatiuum, est principiatum. 1.2.11. Cur in Diuinis filius non dicatur principiatus. ibid.

Ratio principij intrinseca omnibus tribus principijs, est ratio perfectè præscindens ab inferioribus. 1.5.37.

Denominatio principij, non est adequatè in positiuo, sed inuoluit essentialiter priuationem antecedentem. 1.5.36.

Principium denominatur à principatione actiua, quæ respectu diuersorum, & est actiua, & passiua. pag. 34. Ratio, seu denominatio Principij, est intrinseca inadæquatè priuationi, etiam vt est non ens. ibid.

Ratio Principij potest præscindi ab ente, & non ente. 1.5.36.

Totum principiare, non est à materia sustentari formam, & à forma informari materiam. 1.5.37.

Omnis causa est principium, non è contra. 1.2.11.

Quomodo possibilitas creaturarum non sit primum, vnde Deus est, aut cognoscitur, sed è contra. 5.5.193.

Prioritas naturæ.

Prioris natura, seu Determinatiui essentia, non benè explicatur per hoc, quòd prius natura, possit concipi existere, præscindendo ab existentia effectus, at verò effectus, seu id, quod est posterius natura, non possit concipi sine eo, quod se habet, vt prius. 5.2.160. et seqq.

Ratio prioritatis naturæ, seu determinatiui ad existentiam alterius, an sufficienter explicetur, consistere in quadam præsuppositione. pag. 164. Quid sit hæc præsuppositio, et an sufficienter explicetur per hoc, quod illud præsupponatur ad aliud, quod præmouet Deum, ad positionem effectus 5.2.164.165.

Affertur explicatio sufficiens præsuppositionis causæ, respectu effectus. 5.3.166. per totum artic.

Afferuntur, & examinantur variæ aliæ explicationes de prioritate naturæ seu causalitatis. 5.2.157. et seqq.

Ratio causæ, Prioris natura, & determinatiui (quod idem sunt) in quo

quo consistat, prascindendo à decreto libero Dei; 5. 3. 173. per totum artic.
In quo consistat ratio prioritatis naturæ, in decreto libero Dei, respectu effectus, iuxtà sententiam, ponentem illa, adæquatè intrinseca Deo. 5. 3. 176. & in quo consistat in sententia docente, decreta Dei libera compleri extrinsecè. pag. 177.
Determinativum, determinans, & determinatū, quid sint. 5. 3. 166.
Quot modis aliquid prius alio, dici possit. 5. 2. 157.
Prioritas à quo, seu originis, quid sit. 5. 3. 177.
Prioritas loci quid. 9. 2. 326.

Privatio.

Privationis essentia, in quo consistat. 3. 3. 110. 111.
Discrimen inter privationem, et negationem. pag. 110.
Privatio moralis, quid sit. pag. 111.
Cur aliquando sit maius malum alicui, privatio minoris, quam negatio maioris boni. ibid.
Privatio nō est vna simpliciter, quę neget plures terminos. 3. 3. 112. cur vna non sufficiat. ibid.
Privationes quomodo sint acceptibiles. pag. 113.
Privationes, seu negationes actu existentes suo modo, non sunt infinitæ categorematicè. 14. 2. 496. Quomodo sint solùm syncategorematicè infinitæ. ibid.
Privatio Gratiæ sanctificantis quomodo pendeat à peccato in natura lapsa, & non penderet à peccato, si Deus creasset hominem in pura natura. 14. 2. 501.
Privatio est vnum ex principijs rerum naturalium in fieri. 1. 3. 20. & seqq.
In quo consistat ratio principiandi privationis. 14. 29. et seqq.
Principiatio privationis, est diuersa à principiatione materiæ pag. 30.
Privatio principiat, quando primò nō est. 14. 30. 31. principiat per accidens, ideſt per aliud. pag. 26.
Quid sit privationem principiare ratione subiecti ex Arist. pag. 29.
In quo sensu privatio sit elementum. pag. 30.

Producere, et Productio.

Producere quid sit. 1. 3. 21.
Producere ex nihilo, seu creare quid sit. ibid.
Quid requiratur ad hoc, vt aliquid fiat, seu producatur. 5. 2. 162.
Dupliciter potest poni aliquid de nouo, et quomodo. 14. 2. 495.

Digitized by Google

Ad productionem alicuius formæ de nouo, requiritur per se priuatio illius; omne aliud, per accidens. 1.3.20.
Productio mundi, an fuerit mutatio physica. 1.4.31.

Proportio.

Proportio inter duo, quid sit. 2.7.92.
Cur Deus non possit facere, quòd duo improportionata inter se, euadant proportionata. ibid.

Propositio, et Termini propositionis.

An, et quomodo possit verificari propositio aliqua vniuersalis negatiua, de aliqua multitudine, etiam si illa multitudo collectiuè non possit accipi. 11.2.376. et 377. Verificatiuum descensus in talibus propositionibus vndè nam desumatur. ibid.
Quando nam particula *omnes*, in aliqua propositione faciat sensum collectiuum, & quandò sensum distributiuum. 7.1.237.
Talis collectio, seu distributio an se teneat ex parte obiecti, an ex parte intellectus. ibid.
Termini, *omnia, singuli, totum, quodlibet*, sunt indifferentes ad sensum collectiuum, & distributiuum. 11.2.378.382.385. Possunt applicari tam multitudini determinatæ, quàm essentialiter indeterminatæ. 11.2.378.

Punctum.

Punctum, linea, superficies quid. 15.7.583. In quo sensu de his loquantur Mathematici. pag. 587.

Q

Quantitas.

Quantitas quid, et quotuplex. 15.1.521. traditur ex Aristot. eius definitio, et explicatur. pag. 522.
Essentia, seu ratio formalis quantitatis in quo consistat. pag. 523. 524.
Quantitas non est identificata cum materia, neque cum formis substantialibus materialibus. 15.1.526. neque cum reliquis accidentibus. pag 525. Est accidēs realiter distinctum ab his omnibus. ibid. et seqq. Datur ratio naturalis, etiam præscindendo à mysterio Eucharistiæ ad hoc probandum pag. 527.
Quantitas in nouo composito est eadem, quæ fuit in corrupto. 2.2.46.

Digitized by Google

Quantitatis diuisibilitas per quid differat, à diuisibilitate substantiæ, per se acceptæ. 15.1.523.

R

Receptio.

Receptio, seu subiectio, et informatio, quid sit. 8.1.277.

Replicatio.

Idem corpus quantum miraculosè potest esse in pluribus locis, etiam circumscriptiuè. 12.5.454. An, et quæ accidentia possint, vel non possint replicari cum eo pag. 456. Quæ accidentia conaturaliter (si Deus posita replicatione corporis, velit de cætero operari connaturaliter) comitentur corpus replicatum. ibid. et seqq.

An si idem pondus replicatum superponatur sibimet ipsi, graueret semet ipsum. 12.5.463.

Quid sit dicendum de formis, quæ producuntur in re replicata. pag. 462.

Si quis replicatus comederet, an cibus in ventriculo deberet connaturaliter replicari. 12.5 463.

Idem vas replicatum, naturaliter in vno loco posset esse plenum vino; in alio plenum aqua. 12.5.463.

An idem corpus possit vulnerari in vno loco, & non in alio, ibid.

An possit aliquis peccare, vel mereri in vno loco, & non peccare, vel mereri in alio. ibid.

An aliquis replicatus possit in vno loco loqui, quicquid concipit in alio, absque eo, quod ille concepta ibi replicetur. Vel comburi in vno loco, absque eo, quòd quicquam patiatur in alio. 12.5.464.

Corpus replicatum in duplici loco, an vtrobique connaturaliter moueretur motu locali. pag 460

Eadem res replicata, quo pacto se haberet connaturaliter imagĕdo. pag. 462. & seqq.

Accidentia, quæ in conseruari pendent à causa secunda, an, & quomodo possint replicari in loco, vbi non sit eorum causa conseruatiua. 12.5.458.

An, & quinam actus vitales sint irreplicabiles. pag. 464.

Vbi neque de potentia absoluta Dei potest replicari. pag. 448.

Digitized by Google

Vnio ſine extremis, eſt irreplicabilis, etiam de potentia Dei abſoluta pag. 458.

Relatio, Reſpectus, Ordo.

In quo conſiſtat reſpectus indeterminatus. 2. 5. 72.
Qualis, & quid ſit ordo, quem dicit creatura, prout talis eſt, ad Deum. 5. 4. 184.
Variæ ſpecies ordinum, & relationum tranſcendentalium, & connexionum eſſentialium, & quid ſint. pag. 183.

S

Senſus.

Senſus per ſuos actus non præſcindunt neq; formaliter. 1. 1. 4. & 5.
Quomodo diſcernant differentiam individualem obiecti. ibid.
An cognoſcant pluralitatem obiectorum. 1. 1. 6.

Similitudo.

An, & quomodo aliqua res poſsit dici ſibi ſimilis. 6. 4. 229.

Spatium reale.

Spatium reale, quid ſit. 12. 5. 449.
Vide *Vbi*.

Spatium imaginarium.

Spatium imaginarium quid ſit. 12. 3. 432. 435. non eſt quid chymericum. pag. 433. Talia ſpatia, prout contradiſtincta à reali, nihil aliud ſunt, niſi negationes vbicationum realium indeterminatè acceptarum. pag. 437. non ſequitur ex hoc, tale ſpatium eſſe categorematicè infinitum. 12. 3. 438.
An Deus exiſtat in ſpatijs imaginarijs. pag. 438. & ſeqq.

Subiectum.

In quo conſiſtat ratio ſubiecti, & ratio termini. 7. 4. 259. Per totum Articulum.
Subiectum tripliciter accipi poteſt. ibid. pag. 259.
Subiectum denominationis, ſeu logicè ſubiectum, quid ſit. ibidem.
præſcindit à perfectione, & imperfectione. ibid.
Subiectum inhæſionis, quid ſit, ibid.
Traditur, & explicatur definitio ſubiecti ſuſtentantis. pag. 260.
per hanc definitionem benè contradiſtinguitur, ratio ſubiecti ſuſtentantis à modo cauſandi aliarum cauſarum. ibidem, pag. 261.

Digitized by Google

Subiecti non sustentantis definitio.ibid.
Subiectum, præscindens à sustentante, et non sustentante quid sit 7.4.262.
In quo sita sit ratio subiecti, et formæ. 3.1. 100. reijciuntur variſ. modi explicandi rationem huiusmodi subiecti. 3.1.96. & seqq.
Subiecta specie differentia, eodem modo, ab eadem forma affecta, non differunt specie in ratione formali; secùs verò si diuersimodè ab eadem forma afficiantur. 8.1.278.

Substantia.

Substantia quid sit. 3.1.106.
Substantia naturalis, & supernaturalis, cur non detur. 2.7.91.
Quid sit facere vnum substantiale formaliter, et vnum per se. 2.4. 64. et 65.

Supernaturale.

Supernaturale quoad substantiam, et quoad modũ, quid sit. 2.7.90.

Sustentatio.

Sustentatio naturalis formæ materialis, est causalitas materiæ in formam, et vnionem. 7.5.273.

T

Tempus.

Tempus extrinsecum quid sit. 14.4.517. eius definitio explicatur ib.
Tempus imaginarium quid sit. 14.2.494.
Tempus intrinsecum. vide *Duratio.*

Terra.

Terra est vnum ex quatuor elementis, et occupat locum circa centrum Vniuersi. 16.1.596. et seqq. Conficit vnum globum, figuræ rotundæ, cum aqua. pag. 597. & seqq. montes, et valles non officiunt eius physicæ rotunditati. pag. 597. Habet idem centrum grauitatis, et magnitudinis. pag. 599. Non est notabiliter altior aqua maris 15.1.598. Est omninò immobilis secundùm se totam, quocunque motu locali. pag. 600.
Vide *systema*, in titulo *Cœlum.*

Terminus.

Terminus dupliciter accipitur. 6.3.220

Terminus actionis.

Quid sit terminus actionis. 6.3.229.

Digitized by Google

Terminus intrinsecus, et terminus extrinsecus, quid sint. 7. 4. 263. Reijciuntur varię explicationes, de ratione termini intrinseci. pag. 262. In quo consistat ratio purè termini intrinseci, pag. 263. et 264.
Discrimen inter subiectum, et purè terminum. ibid.

Totum.

Totũ quid sit. 7. 1. 234. et seqq. non importat tertiam entitatẽ, quæ dicitur forma totalitatis, præter partes collectiuè acceptas; materiam scilicet, formam, et vnionem. pag. 235. et seqq.

V

Vacuum.

Vacuum quid sit. 13. 1. 465. Cur naturaliter dari non possit. ibid. & 466. Potest dari de potentia Dei supernaturali. ibid. pag. 467.
Vacuum, an debeat admitti ad hoc, vt detur motus localis. ibid. An detur in scissione corporis solidi. pag. 468. An detur quando saxum planum, vel columna ponitur supra basim. ibid. Respondetur variis experimentis, in quibus videtur fieri vacuum. pag. 469.
An Angelus possit causare vacuum. pag. 467.
Quæ nam sit causa motus in corporibus, ad vacuum euitandum. 13. 2. 471.
An in vacuo Angelus possit moueri localiter. 13. 2. 472.
An in vacuo fieret motus alterationis, in corporibus applicatis. ib.
An in vacuo fieret motus proiectorum. ibid.
An in vacuo posset fieri motus progressiuus animalium. pag. 473.
An grauia, et leuia in vacuo mouerentur. ibid. 473. vsque ad 478. motus localis grauium, et leuium in vacuo, non esset in instanti 13. 2. 419.

Vbicatio.

Conceptus Vbicationis vt sic, quid dicat. 5. 4. 186.
Vbicatio quid sit 12. 2. 424. 430.
Quid sit rem esse in loco intrinseco, seu præsentia rei ad locum extrinsecum. 12. 2. 424 Non potest haberi per hoc, quòd res tangat talem superficiem, distantem tanta distantia à punctis fixis. pag. 425. neque per negationem quantitatis interceptæ, inter rem locatam, et talem superficiem. ibid, neque potest consiste-

re

re in decreto Dei.volentis, quòd res sit coniuncta cum tali superficie.pag.426.neque in motu antecedenti, et negatione vlterioris motus, et præterea in negatione Vbi supernaturalis.ib. Neque in quadam relatione resultante ex eo,quòd corpus ambiatur loco.12.2.429.Neq in quibusdã formalitatibus diuinis, virtualiter inter se distinctis.ib.sed habetur per vbi intrinsecũ, quod est modus superadditus corpori locato.et locãti.12.2.424.
Vbicatio est modus.per se ipsam afficiens rem,quam vbicat.ibid. pag.430.
Vbicatio non est de conceptu dependentiæ effectus, à suis causis. 14.3.512. & seqq.distinguitur ab actione, per quam fit. pag. 514.
Vbi & productio vbicationis se ipsis formaliter sunt in loco. 12.4. 442.
Materia,forma,et reliqua accidentia habeant suas peculiares vbications. ibid. Materiam, siuè accidentia esse in loco, cur non possit haberi,per vbi quantitatis,et præterea per vnionem ipsius materiæ, siue accidentium,cum quantitate.12.4.443.& seqq.
Non possunt vbicari per vnicum Vbi,omnia,quæ sunt in composito,ibid.pag.445.
Vbi creatum est duplex; alterum,definitiuum;alterum circũscriptiuum.Quid sint,& quibus rebus conueniant. 12.4.447.
Res materiales,quod vbi habeant connaturaliter. ibid.an possint habere vbi definitiuum. ibid.
Vbi,quod respectu vnius subiecti,sit circumscriptiuum,respectu alterius sit definitiuum naturaliter non potest dari, secùs verò supernaturaliter 12.4.448.
Per quid differat vbi spirituale Angeli, & Animæ,quando est diuisibile,ab Vbi Christi Domini in Eucharistia.12.4.447.
Corpus beatum,& Anima rationalis,quod nam vbi habeant.pag. 447.
Vbi est irreplicabile,etiam supernaturaliter.12.5.649.et.seqq.

Vnio.

Vnio quid sit.7.2.241.quinam sit eius effectus formalis. ibid.pag. 242. eius definitio ibidem.& 247.
Cur non possit dici,vnionem esse partes in recto, & indistantiam in obliquo.7.2.244.

An

An in compoſito materiali partes vnianeur ſe ipſis, propter naturalem ſympathiam huius formæ, cum hac materia. pag. 245. Cur non ſufficiat proportio, inter materiam, & formam. pag. 248.

Vnio, qua fit totum ſubſtantiale, non eſt accidens phyſicum, ſed modus ſubſtantialis, realiter ab extremis diſtinctus. pag. 242. & ſeq. In compoſitis accidentalibus, eſt modus accidentalis. pag. 246.

Vnica datur vnio in compoſito. 7. 3. 249. Subiectatur ſolùm in materia, & terminatur ad formam. 7. 3. 249, & ſeqq.

Vnio quomodo vniatur partibus. ibid. pag. 248.

Quid ſit vniri formaliter, quid vniri cauſaliter. 7. 5. 272.

Vnio diſtinguitur realiter ab actione eductiua, ſeù creatiua formæ, et duratione eiuſdem. 7. 3. 256. et 258.

Vnio, & forma materialis producitur, & educitur eadem actione. 7. 5. 272.

Cur vnio ponatur permanens. 7. 3. 256. et ſeqq.

Ex vnione identificata cum actione eductiua formæ, an, & quæ abſurda ſequantur. 7. 3. 257. et ſeqq.

Vnio non eſt principium diſtinctum à forma, eſt autem ratio formalis principiandi ipſius formæ. 1. 4. 32.

Cur per vnionem, Verbum Diuinum non mutetur intrinſecè, licet vniatur intrinſecè cum humanitate. 7. 3. 251.

Vnitas.

A quo deſumatur vnitas numerica rei. 2. 3. 50.

Volitio.

Volitio efficax, & inefficax quid ſint. 2. 6. 83.

Laus Deo, & Deiparæ Virgini.

Digitized by Google

Errata corrige, Primus numerus pag. secundus versum indicat :

Tatus pag.7.verſ.25.Tatas, ablata pag.7. verſ.33. allata. ſubſtentabuntur.18.32. ſuſtentabuntur. ſi 20.7. ſit. fiat 20.18.fiat. patticula 24.24.particula.rigoroſiſſime 25.34.rigoroſiſſimè. quo 26.40.quod. principiationem 36.15. priuationem. cunfletur pag.37.verſ.12.confletur. ſubſtentari 37.21.ſuſtentari. concepi 39.18. cõcipi.chymeecum 40.16. chymæricum. in illo 42.25. in vllo. conecptus pag.43. verſ.5.conceptus. famam 56.37.formã. ſit 60.29. it. repugntia 68.30.repugnãtia. ppetitus 69.27.appetitus. ſecundarus 76.2.ſecundarius. prædicatum 82.12. prædicamentum. forma 83.5.formæ. comparatum 88.8.comparatam.appeti; 89. 37.appetã. ſoluantur 101.18. ſaluantur. materia 102.17.maior, capor 102.26.calor. Petri 105.3. heri. ſenes 105,8. feni. prouatio 107.37.priuatio.illum 110.14. illud. eſſentiam 113.13. exiſtẽtiam ſuam. luſum 122.24.luſus. natura 139 27. naturam. natura exiſterem 144.36.naturam exiſtere.quodlibet 148.28.quolibet. & à C.156.19. & B à C.coneſſa 158. 8. connexa. acceptæ 158.26. accepta. magnus 158.29.manus, cauſa 161.12.cauſam. à quo 168.4.à qua. denominatio 168.24. determinatio. pod 193.17.quod.non habent 197. 27. vel habent. aliquid 204.7.aliquod. & denominatione 207.11. ea denominatione, vt cum illo 209. 23. & cum illo eſt. diſpoſines 210. 32. diſpoſitiones. eamque 213. 29. tanquam. cum toto 215.20.cum eo toto. vrgear 216 17.vrgeat. ſed aliquid 234.3.ſed ad ly aliquid ipũ 235.35.ipſum. Ad ipſum 236.12. Ad hoc ipſum. cap.8.236.14. cap.81 quia ſi daretur 336.14.quia ſcilicet. rota 239.5.tota. aliqua 241.23.aliquo. *poſt pag.248, in ſequenti folio mutandi ſunt numeri, ita vt vbi dicit* 239. dicat 249. 250. &c. per totũ illud foliũ. perſeuerantiam 257.35.perſeuerantia. reſpiciet 262 24.reſpicit. illo 263.25.ille. nulla 264.2.nullam. & vnione 264.19. ex vnione. ergo materis 266.19.licet ergo materia æquo 278.12.equo. efficit 278,21.afficit. accedit 284. 17.accidit. naturæ 287.39.natura. & nõ poſteriori 288.26. & non pro poſteriori propoſitio 297.30.proporttio. per ſe ipſa 297.36.per ſe ipſam. Deus 301.29. Deſ. euenit 301.38.venit. reater 302.31.realiter. finalis 309.29.cauſæ finalis. cum Soncina 312.23.cum Soncinate, exiſtentem 313.27.emanantem, abſoto 328.23. abſoluto. quo ponitur 329.31.in quo ponitur. cauſatus 337.1. cauſatur præcum 349 32.precum. vidatur 369.8.videtur. ſi 369.5.ſit. ſinguli 369.9.ſinguliſ accipi 378. 37.accepi. illam 396.25.illũ. determinationis 405.26.indeterminationis. pag.415 *verſu 7. poſt illa verba*, vt *collectiuè accipi, adde*, poſsint; implicat enim collectiuè accipi. infinimam 416.39. infimam. infinita 419.8.finita. negatio nam 437.104 negationem.applicatus 501.11.applicatur. deuenires 501.21. deuenies. pag.502. *verſu 30. poſt illa verba*, exigant rem *adde*, modificatam, non exigunt eam. poſtiue 503.2.poſitiuo.negationes 504.5.negationes collectiue.tantum 504.26.tamen. pag.504.verſ.27. *poſt illa verba, ſingulas tamen finitas, adde*, quæ tamen omnes collectiuè nõ poſſint accipi. ita vt quæuis 504.27.quãuis. nu.4.505.30.nu.64. quod 506.3.quia. poſitiuam 506.5.poſitiua. faciet 507 19.facit. per durationem 507.19.per durationem eſſentialiter conſeruaretur 507.23.conſeruetur.diuinam 508.19.diuini.habent 509.25.habeat. ponit 509.31. poſſit. ante, 510.26. ante. infinito 510.16.in infinitum.eſſe terminum 513.35. eſſe communem.intermittitur 515.33.intermittetur.reſpondebitur 516.3. reſpondetur. poſt viſionem 516.18.poſt viſionem A, calor 538.34.color.

Cætera doctrinæ, ac prudentiæ Lectoris corrigenda relinquuntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Errata corrige, Primus numerus pag. secundus versum indicat:

Tatus pag.7.vers25.Tatas. ablata pag.7. vers.33. allata. subsistentabuntur.18.32. sustentabuntur. si 20.7. sit. siat 20.18.siat. patticula 24.24.particula.rigorosissime 25.24.rigorosissimè. quo 26.40.quod. principiationem 36.15. priuationem. cunflectur pag.37.vers.12.consletur. subsistentari 37.21.sustentari. concepi 39.18. cõcipi. chymeecum 40.16. chymæricum. in illo 42.25. in vllo. conecptus pag.43. vers.5.conceptus. famam 56.37.formam. sit 62.29. it. repugntia 68.30.repugnatia. ppetitus 69.27.appetitus. secundarus 76.2.secundarius. prædicatum 82.12. prædicamentum. forma 83.5.formæ. comparatum 88.8.comparatam.appeti 89.37.appetit. soluantur 101.18. saluantur. materia 102.17.malor. capor 102.26.calor. Petri 105.3. heri. senes 105.8. seni. prouatio 107.37.priuatio.illum 110.14. illud. essentiam 113.13. existétiam suam. lusum 122.24.lusus. natura 139 27. naturam. natura existerem 144.36.naturam existere. quodlibet 148.28.quolibet. & à C.156.19. & B.à C. conessa 158.8. connexa. acceptæ 158.26. accepta. magnus 158.39.manus. causa 161.22.causam. à quo 168.4.à qua. denominatio 168.24.determinatio. pod 193.17.quod. non habent 197.27. vel habent. aliquid 204.7.aliquod. & denominatione 207.11. ea denominatione. vt cum illo 209.23. & cum illo est. dispolines 210.32. dispositiones. eamque 213.29. tanquam. cum toto 215.20.cum eo toto. vrgear 216 17.vrgeat. sed aliquid 234.3.sed ad ly aliquid. ipú 235.35.ipsum. Ad ipsum 236.12. Ad hoc ipsum. cap.8.236.14. cap.81. quia si daretur 336.14.quia scilicet. rota 237.5.tota. aliqua 241.23.aliquo. *post pag.248. in sequenti folio mutandi sunt numeri, ita vt vbi dicit* 239. dicat 249. 250. &c. per totú illud foliú. perseuerantiam 257.35.perseuerantia. respiciet 262 24.respicit. illo 263.25.ille. nulla 264.2.nullam. & vnione 264.19. ex vnione. ergo materia 266.19.licet ergo materia. æquo 278.12.equo. efficit 278.21.afficit. accedit 284.17.accidit. naturæ 287.39.natura. & nó posteriori 288.26. & non pro posteriori. propositio 297.30.proportio. per se ipsa 297.36.per se ipsam. Deus 301.29. Deus. euenit 301.38.venit. reater 302.31.realiter. finalis 309.29.causæ finalis. cum Soncina 312.37.cum Soncinate. existentem 313.27.emanantem. absoto 328.23. absoluto. quo ponitur 329.31.in quo ponitur. causatus 337.1. causatur. præcum 349 32.precum. vidatur 369.2.videtur. si 369.5.sit. singuli 369.9.singulis. accipi 378.37.accepi. illam 396.25.illú. determinationis 435.26.indeterminationis. *pag.415 versu 7. post illa verba*, vt *collectiuè accipi, adde*, possint; implicat enim collectiuè accipi. infinimam 416.39. infimam. infinita 419.8.finita. negatio nam 437.104 negationem. applicatus 501.1.applicatur. deuenires 501.21. deuenies. *pag.502 versu 32. post illa verba*, exigant rem, *adde*, modificatam, non exigunt eam. positiue 503.2.positiuo. negationes 504.5.negationes collectiue. tantum 504.26.tamen. *pag.504.vers.27. post illa verba, singulas tamen finitas, adde*, quæ tamen omnes collectiuè nó possint accipi. ita vt quæuis 504.27. quáuis. nu.4.505.30.nu.64. quod 506.3.quia. positiuam 506.15.positiua. faciet 507 19.facit. per durationem 507.19.per durationem. essentialiter. conseruaretur 507.23.conseruetur. diuinam 508.19.diuini. habent 509.25.habeat. ponit 509.32. possit. ante, 510.26. ante. infinito 510.26.in infinitum. esse terminum 513.35. esse communem. intermitti-ar 515.33.intermittetur. respondebitur 516.3. respondetur. post visionem 516.18.post visionem A, calor 538.34.color.

Cætera doctrinæ, ac prudentiæ Lectoris corrigenda relinquuntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google